C. VALERII
CATULLI,
ALBII TIBULLI,
ET
SEXTI AURELII
PROPERTII
OPERA.

TOMUS II.

SEXTI AURELII
PROPERTII
EQUITIS ROMANI
ELEGIARUM
LIBRI QUATUOR.

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT
PHILIPPUS SILVIUS T. E. C. P.

JUSSU CHRISTIANISSIMI
REGIS,
IN USUM SERENISSIMI
DELPHINI.



PARISIIS,
Ex Typographia FREDERICI LEONARD Regis, Serenissimi Delphini, & Cleri Gallicani Typographi, viâ Jacobæâ.

M. DC. LXXXV.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

AD

SERENISSIMUM

DELPHINUM,

PHILIPPUS SILVIUS T. E C. P.

EXTREMUM *hunc ſpectes facilis*, DELPHINE, *laborem*,
Vatibus è noſtris tertius ecce venit.
Comptus ridenti venit ecce Propertius ore,
Et docti Veneres explicat ingenii,

Qualis ad Augusti veniebat limina quondam
Actia magnifico carmine bella canens:
Quàm caneret majora libens! quàm divite venâ
Promeret insuetos ad nova facta modos,
Dudum depositi si rursus carminis usum
In MAGNI *laudes fata benigna darent!*
Centum urbes validi rupto muri aggere captæ,
Menstrua dum reparat cornua Luna semel,
Tranatique amnes, jussusque frementibus undis
Æratas Rhenus trans vada ferre acies,
Deletum & Batavum nomen, nisi Nereus ingens

Victa superfuso conderet arva salo;
Hostili toties Siculum mare sanguine tinctum,
Et Ruterus mediis contumulatus aquis,
Fulminaque in sontes ipsis è fluctibus urbes
Emissa, & medio Tartara rupta mari,
Et conjuratis Europa excita catervis
Ad MAGNI *arbitrium pace coacta frui*
Quanto materies essent ad Carmina major,
Quàm tum fœmineâ palma parata fugâ!
Quàm verè caneret! LODOICI hæc gloria summa est,
Illâ, quâ vicit, condidit arma manu.

Totus in his molles dedignaretur Amores,
Cynthiaque in toto carmine nulla foret.
Nunc quia spes de te certas, DELPHINE, *Patrisque*
Fortia facta illum dicere fata vetant:
BORBONIDUM *certè magno sub nomine felix*
Prodire, & vester, quà datur, esse cupit.

LUTETIÆ PARISIORUM,
KAL. MART. AN. CHR. M. DC. LXXXV.

SEXTI AURELII
PROPERTII
EQUITIS ROMANI
VITA.
EX PETRO CRINITO,
LIB. III. CAP. XLIII.
DE POETIS LATINIS.

SExtus Aurelius *Propertius* ex Mevania oppido oriundus, quod in Umbria est, ut ipse Auctor copiose testatur, quo loco Umbriam Romani Callimachi patriam vocat:

Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.

Sunt qui scribant ejus patrem Equestri Dignitate ornatum, ac Triumvirali potestate fuisse, tum inter eos connumeratum, qui L. Antonium secuti, Perusiâ captâ, ex Octavii Cæsaris auctoritate ad aram Divi Julii perducti ibidem occisi fuerunt. Illud omninò constat, Aurelium hunc *Propertium*, magna ex parte amissis bonis, Romam se recepisse, cum patrem suum in tenera adhuc ætate amisisset; quod illis versibus apparet:

Aspice me, cui parva domus fortuna relicta est,
Nullus & antiquo Marte triumphus avi.

Et alibi clariùs:

Ossaque legisti non illa ætate legenda
Patris & in tenues cogeris ipse Lares.

Propert. B

Nam tua cum multi versarent jura juvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo,
Matris & ante Deos libera sumpta toga;
Tum mihi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.

In urbe autem brevi nominis celebritatem adeptus est, cùm ingenii comitate, tùm elegantiâ Carminum. Mæcenati & Cornelio Gallo maxime acceptus fuit, quod uterque Poëtæ studiis, & doctrinæ pro similitudine professionis faverent. Ovidium quoque Tibullum, & Bassum inter principes amicos coluit, ad quos de suis caloribus & puellæ ingenio sæpiùs scripsit.

C. verò Plinius in Epistola ad Romanum refert Paulum Passienum in scribendis Elegis eruditum habuisse inter suos majores Propertium: eaque ratione, inquit, id Passieno gentile est: nam & ex eodem municipio est, quo *Propertius.* Unde maximum studium Passieno fuit calores *Propertii*, atque ingenium suo carmine exprimere, cum in Elegis (ut inquit Plinius) foret egregius, atque præcipuus *Propertius.*

Libros quatuor Elegiarum composuit, in quibus fere suos calores, & Hostiæ laudem, ac formam celebrat. Nam puellam Hostiam miro quodam affectu exarsit, quam mutato nomine, ut auctor est L. Apuleius, Cynthiam appellare maluit. Hinc Apollinaris Sidonius ad Hesperium scribit: *Memineris*, inquit, *quod sæpe versum Corinna cum suo Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Casennia cum Getulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo.*

Callimachum præcipue Cyrenæum, Mimnermum, & Philetam Græcos Poëtas in Carmine secutus est, quorum manibus comitem se profitetur. Nam ut illi apud Græcos in Elegia, consensu omnium longe præstiterunt: ita *Propertius* apud Latinos, eorum imitatione, primas videtur quorumdam judicio consecutus. Fabius Quintilianus Censor in litteris acerrimus, cum Tibullum maxime commendaverit, non deesse tamen, inquit, qui *Propertium* malint, cum sit Ovidius lascivior, Gallus in Elegia durior. Ovidius certe cum sæpe de ipso *Propertio* agat, blandum, tenerum, ac dulcem appellat, multumque illius carmini semper concessit, & re-

cenſenti ſua carmina auditor adfuit.

Sæpe ſuos ſolitus recitare Propertius ignes,
Jure ſodalitii qui mihi junctus erat.

Sed & Valer. Martialis *Propertii* ingenio, & amoribus plurimum tribuit, ut eo maxime loco probavit, quo Galli Lycorin, Tibulli Nemeſin, & Leſbiam Catulli celebrat. Sic enim ait in Apophoretis.

Cynthia facundi carmen juvenile Properti
Accepit famam, nec minus ipſa dedit.

De obitu ejus parum compertum eſt. Quidam ſcripſerunt illum periiſſe annos alterum & quadraginta natum. Fuiſſe & alterum *Propertium* Fulgentius oſtendit, qui in libro ad Chalcidium de priſco ſermone verba hæc ex *Propertio* refert: *Catillata geris vadimonia publicum proſtibulum.*

SEXTI AURELII

PROPERTII
EQUITIS ROMANI
VITA.
EX LILIO GIRALDO

De Poëtarum Historia.

DIALOGO IV.

Sextus verò Aurelius *Propertius* Umber ex Mevania oppido fuisse dicitur, vel potius ex Assisia, vel Essisia, utrumque enim memini me legere in Græcis & Latinis Scriptoribus, quam civitatem Axim, vel Assim potius ipse Poëta appellat; qua de re nonnihil Flavius Blondus, aliique viri docti. Ejus Poëtæ versus vobis ex quarto libro recitabo, ut plane rem percipiatis. Quo loco vitam, patriam, fortunamque suam sub Hori Mathematici persona recenset.

Umbria te notis antiqua Penatibus edit;
Mentior, an patriæ tangitur ora tuæ?
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et sacer æstivis intepet imber aquis.
Scandentisque Assis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille meo.

Videtis, ut plane *Assem* patriam suam faciat, & sacrum imbrem amnem sic adhuc ab incolis, paucis immutatis litteris, vocitatum nominet. Et ideo paulò suprà *Assim* scandentes arces appellat, cum canit,

Scandentes si quis cernet de vallibus Arces,
Ingenio muros æstimet ille meo.

Nisi quis audaciusculè eo versu scandentem *Assem* legere maluerit. Nunc verò reliqua attendite, quæ Horus vaticinatur.

Ossaque legisti non illa ætate legenda
Patris, & in tenues cogeris ipse Lares.
Nam tua cum multi versarent rura juvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.

Ecce ut patrem amisisse fatetur, & ex divisione, quæ facta est, agrorum veteranis militibus, sub Augusto prædiis spoliatum, quomodo & Virgilium, aliosque legimus. Quippe, ut sciatis, *pertica* hoc loco non hastam, nec subhastationem significat, ut docti quidam hoc loco opinati sunt, sed lineam, quæ postica etiam dicebatur, in agris dividundis & metandis. *Perticam* verò primus eam Servius Sulpicius appellavit, ut Festus scribit. Eodem nomine & Virgilius in Diris est usus, si modo Virgilii Poëma illud est, ut diximus.

Pertica, quæ nostros metata est impia agellos,
Qua nostri fines olim, cinis omnia fiant.

Sed & alibi quoque idem *Propertius* se agros amisisse ostendit, cum ait,

Adspice me, cui parva domus fortuna relicta est.

Post hæc subdit Horus:

Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo,
Matris & ante Deos libera sumpta toga.

Matris ait, non *patris*; nam ea toga ante Lares sumebatur. Ergo ante Deos matris; in maternis enim ædibus vivebat, jam amissis paternis, ut dictum est.

Tunc tibi pauca suo de carmine dictat Apollo;
Et vetat insano verba tonare foro.
At tu finge Elegos, fallax opus, hæc tua castra,
Scribat ut exemplo cætera turba tuo.

Et reliqua, quæ idem Horus prosecutus est.

Hostiam verò puellam ardentissime amavit, quam ipse, dissimulato nomine, Cynthiam, ut ait Lucius Apuleius, nuncupavit, & ea contentus vixit. Callimachum in primis Poetam Cyrenæum, & Coum Philetam dicendi forma imitatus est. Quin & se ipse alicubi Romanum Callimachum appellat, ut & Virgilium Mantuanum Homerum dicimus. Quatuor Elegiarum libros cultos & eruditos reliquit. Sed hæc nota

etiam ſemitariis Grammaticis ; unde non eſt, cur in præſentia vobis recitem.

Fuit in familia *Propertii*, ex eodemque municipio Paulus Paſſienus, qui, ut Plinius ſcribit, abſolutiſſime Elegos compoſuit ; moxque ad Lyricos converſus non mediocrem inde laudem etiam promeruit, cujus meminit & Gellius.

GERHARDUS JOHANNES VOSSIUS

DE POETIS LATINIS.

Olymp. 199. ann. 1.

PRopertius patria Umber . ut ipſe ſcribit, æmulus Philetæ Coi, & Callimachi Cyrenæi, unde & ſe Romanum vocat Callimachum. Conqueritur ſe excidiſſe agris paternis, in diviſione ea, quæ ſub Triumviris facta eſt militibus. Puella, quam Cynthiam vocat, vero nomine Hoſtia eſt dicta, ut ex Apuleio conſtat. Videtur autem fuiſſe filia Hoſtii, *vel potius neptis*, qui de bello Iſtrico ſcripſit. Ab hoc, cujus quatuor libros Elegiarum habemus, diverſus eſt is *Propertius*, ex quo Fulgentius Planciades libello ad Chalcidium Grammaticum citat: *Catillata gerit vadimonia publicum proſtibulum.*

EXCERPTA
EX GASPARIS SCIOPPII EPISTOLA XIII.
DE PROPERTII PATRIA,

Quæ in ejus Paradoxis habetur.

DE *Propertii* patria non possum assentiri Josepho Scaligero. Ipse sic describit Lib. 4. Eleg. 1.

Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.
Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros æstimet ille meo.

Hic satis significat patriam suam in planitie esse positam, cujus arces, sive turres de valle consurgentes longe sint conspicuæ, neque tamen æque turres ejus lateritio quamvis muro insignes, ac suum ingenium in ea eminere. De muro illo Plinius quoque sic meminit, lib. 35. cap. 14. *In Italia quoque lateritius murus Aretii & Mevaniæ est.* In eadem Elegia hæc Genethliaci ad ipsum *Propertium* verba sunt, ut quidem in melioris notæ codicibus Joannes Metellus Sequanus perscripta invenit.

Umbria te notis antiqua Penatibus edit;
Mentior, an patriæ tangitur ora tuæ?
Quæ nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et lacer æstivis intepet imber aquis.
Scandentique altus consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille meo.

Quis jam relictus est dubitandi locus, quin Mevania sit *Propertii* patria, illa, inquam, cujus celsa turris lateritio muro imposita etiam ex longinquo in magna campi planitie cerni possit? *Imber sacer* fuit fons aquæ calidæ muro inclusus, cujus etiamnum præclaræ visuntur reliquiæ, quas sibi visas affirmat politissimi ingenii Theologus Paulus Meronus, ac thermarum illarum nomen nonnihil, ut fit, depravatum hodie quoque usurpari. *Inversato* enim, vel *imbersato* appellant.

Fieri poteſt, ut aquæ illæ fiſtula imbris modo deſuper expreſſa nomen ei *imbris ſacri* pepererint. In vulgatis libris eſt: *Et lacus æſtivis intepet Umber aquis.* Sed certiſſimum eſt nullum in univerſo illo campo latiſſime patente lacum inveniri, & aquas Clitumni fontis in eodem campo *lato gremio*, (ut Plinius minor ait) *pateſcentis* eſſe gelidiſſimas, ita ut, eodem Plinio teſte, *rigor earum nivibus certet.* Cujus quidem ipſe priori anno magna cum voluptate experimentum cepi. Cum enim à meridie in maximis caloribus æſtivis, ac ſimul quartanæ ignibus inflammatus ad fontis ejus gurgitem perveniſſem, equos & rhedam, in qua æger cubabam, bene diu conſiſtere in eo juſſi, hauſtamque ex ipſis ejus venis aquam puram & vitream avidiſſime obduxi. Burdo tamen, *Scaliger*, ſummâ vi contendit vitreum hunc & pellucidum Clitumni fontis gurgitem eſſe tetrum & ſulfureum illum Vadimonis lacum, nihil niſi fœdos ſerpentes ac teſtudines continentem, & carbones ſubinde ex Inferorum, credo, fornacibus ſubvectos ejectantem. Hoc amplius vero poſtulat, ut aquæ Clitumni non ex terra *pluribus venis exprimantur*, quod Plinius idem ſcribit, & omnes quotquot Spoletio Fulginium verſus iter faciunt, oculorum manuumque teſtimonio verum eſſe comperiunt, *ſed ex Vadimone emittantur.*

Tantumne eſt, inquies, an alia etiam monſtra ac portenta loquitur? Ille vero loquitur, & nullo quidem genere jam expoſitis tolerabiliora. Dum enim Vadimonem à *Propertio Umbrum lacum* vocari contendit, ingenti prodigio agrum Stellatinum cum lacu illo Vadimonis ex Hetruria trans Tiberim in Umbriam tranſportat, & in loco quadraginta quaſi paſſuum millibus remoto collocat. Ad hæc Ameriam à campis Mevanatibus contingi, ex eaque Clitumnum deſpectari confidentiſſime pronuntiat, cum eam à Clitumni fonte non minus viginti paſſuum millia diſſidere, multoſque altiſſimos montes interjectos eſſe conſtet. Nec enim hæc de campis Gurguſtidoniis eſt controverſia, aut de Thomæ Mori Utopia, ſed de iis, quæ pene in conſpectu urbis Romæ cujuſvis oculis, niſi qui ſit iis captus, ſubjecta ſunt. Qui Geographorum Principis Cluverii Italiam antiquam conſulere volent, de re tota exploratiſſime judicium facient, & ad confutandos tam portentoſos errores verbum amplius addendum non putabunt. Sed quibus

ejus

ejus libri copia non eſt ex ſubjecta figura nihil deterius judicare poterunt.



Peruſiæ mentionem non alia de re mihi facere hic viſum eſt, niſi ut minore negotio intelligantur verſus extremo libro primo, quibus patriam ſuam *Propertius* Peruſiæ finitimam eſſe hoc modo ſignificat.

Proxima ſuppoſito contingens Umbria campo
Me genuit terris fertilis uberibus.

Senſus eſt: ego in ea Umbriæ parte natus ſum, quæ contingit loca proxima campo illi, qui Peruſiæ eſt ſuppoſitus, quoniam inter campum illum & loca patriæ meæ contigua nonniſi Tiberis intereſt. Paſſeratius veniam meretur, cum velut cœcus nihil inter Peruſiam & Ameriam facit diſcriminis. Nec enim eſt hominis capti oculis alba ſignare linea. Nihil ſe erraturum credidit, ſi ducem ſequeretur Burdonem, *Joſephum Scaligerum*, ... Age verò animum parumper attende, & ipſa Burdonis, *Scaligeri*, verba accipe, quibus de *Propertii*

Propert. C

patria à se uno demum inventa gloriatur. *Procul dubio*, inquit, *hactenus ignorata fuit patria Propertii. Nam quod Mevaniam, quæ hodie Bevagna dicitur, putarunt, falluntur* Et infrà. *Quare & cujas esset Propertius, & quis sit lacus Umber, quaque hic accipienda sit Mevania, primi indicavimus. Denique meo periculo Amerinum fuisse Propertium omnes mihi concedant necesse est.* Quid pote confidentius?

Nunc argumentum, quod eam in rem dicit unicum est: *Propertii patriam in monte sitam esse, Mevaniam verò non esse in monte sitam. Igitur non posse Propertii patriam esse.* Sed hoc negamus. Jamque satis ex iis quæ suprà dicta sunt, falsitatis arguitur propositio, quam nullius probationis indigere putat Scaliger.

Dixerat quippe *Propertius* arces patriæ suæ non in clivo esse, sed *de vallibus scandere*, sive in editum extolli. At Burdo, *Scaliger*, ad ravim usque oggannit eam in colle, aut edito clivo sitam à Poëta prædicari. *Cum Poëta*, inquit, *manifestè dicat patriam suam in colle sitam, quomodo Mevania, quod oppidum in planitie situm est, erit ejus patria?* Et iterum: *Patria Propertii in clivo fuit.* Et tertium, *In montanis patriam suam ipsemet constituit.* Et quartum: *Suam patriam in colle ponit.* Jam si quæras, ubinam hoc *Propertius* dixerit, cum ejus rei in versibus supra recitatis ne minimum quidem vestigium, sed contrarium potius appareat, duo tibi Poëtæ loca afferet, quibus sibi, quod ipse consomniavit, plenissime expressum persuasit. Primum enim scribit Poëta:

Scandentes si quis cernet de vallibus arces.

Quis ergo jam dubitet, quin ipse patriam suam in colle ponat? Ain' verò Burdo, *Scaliger*, in colle Poëta patriam suam ponit? Nonne tu ipse in editione tua posuisti, *de vallibus*, quomodo in omnibus manu, formaque descriptis libris legitur, non *de collibus*? Jamne igitur te stultividum, vel potius amentem fuisse sentis, qui cum tibi novum quid, & à nemine unquam dictum invenisse videreris, voluptatis vi præceps actus ne oculis quidem dehinc sincere uti potueris, & in Poëta *collibus* pro *vallibus* legeris.

Alter Poëtæ locus est:

Scandentisque axis consurgit vertice murus.

Sic enim & ipse Burdo, edidit, & *axis* voce editum collem

significari Juvenalis, Statii, & Silii locis docere conatur. Sed omnem in istis quoque ludit operam, velut ipse ejus subscriptor, & adstipulator Passeratius fatetur. Primum enim non ea vocabuli *axis* est significatio apud tres illos Poëtas. Deinde si omnino id significaret, aliter catuli longe olent, aliter sues, id est, longe ab aurea Propertii ætate trium illorum Latinitas degeneravit; quod non uno loco aperte fert æqualis eorum Quinctilianus. Tertio, non est in veteribus Propertii libris *axis*. Nam in suo Passeratius legi ait *arcis*, idque probat. Sed in aliis Metellus invenerat, ut nos suprà posuimus. Sed sive *arcis* sive *altus* legas, non aliud dicere Poëta voluit, nisi quod ipsum prius dixerat, turrim scilicet, sive arcem lateritio muro impositam valde editam, & eminus conspicuam fuisse. *De vallibus*, inquam, non *de collibus*, arces illæ consurgebant.

Nunc porro audiendum, quo pacto idem Ameriam Propertii patriam fuisse vincat, *Propertii patriam* ait *esse in clivo positam, esse antiquam, esse continuam Mevaniæ campo, & despectare lacum Vadimonis. Hæc omnia convenire Ameriæ, Ameriam itaque esse Propertii patriam.* Sed primum membrum hujus propositionis jam falsimoniæ revicimus, patriamque Propertii in planitie positam demonstravimus. Secundum ex Poëtæ verbis cogi non potest; non enim ille oppidum, in quo natus erat, sed *Umbriam antiquam* vocat. Tertium ita esse assentio; cum oppidum Mevania non sit in medio illius campi, sed propius ad oram sive extremitatem sita. Quartum esse falsissimum ex supra dictis patuit. Vadimon enim est in Hetruria plusquam triginta passuum millia à Mevaniæ campo remotus, interjectis altissimis montibus. Nihiloque verius, quod & appingit Burdo, *Amerinos esse quidem Mevanates, etsi non Mevanienses.* Nihil enim Ameriæ est cum Mevaniæ sive oppido, sive campo.

Interjecta etenim terrarum millia multa
Quæ varii retinent montes, & secla ferarum.

Falsum etiam discrimen est inter *Mevanates* & *Mevanienses*; ut *Mevaniensis* scilicet sit natus in oppido; *Mevanas* verò natus in planitie. Nam tria omninò campus ille habet oppida, *Mevaniam*, Hispellum, & Fulginium, quorum cives ab Auctoribus *Mevanates*, Hispellates, & Fulginates appellantur: cui consequens est, ut quoniam qui Hispellum, & Fulginium sortiti sunt patriam, & in medio *Mevaniæ* campo nati sunt,

Mevanates tamen dici non possunt, absurdissimum sit Amerinos *Mevanatibus* contribuere, quorum patriam in alto monte circiter viginti passuum millia distante positam esse constat. Neque tamen *Mevanates* negaverim eosdem recte *Mevanienses* dici. Nam locus Plinii, quo *Mevanates* à *Mevaniensibus* distinguuntur, mendose legitur. In omnibus enim Plinii antiquioribus exemplaribus, non *Mevanienses*, sed *Mevanionenses*, idque perperam legi doctissimus Cluverius monuit, qui & *Mevaniolenses* legendum docet. Cæterum *Propertium* recte *Mevanatem* dici, tanquam ex oppido *Mevaniæ* natum, ultro confitetur.

Addit præterea Scaliger: *Præterea & illud mirè convenit, quod ait patriam suam despectare lacum Umbrum, qui lacus non alius est, quàm ille Vadimonis lacus veteribus celebratus. Hoc planè cognoscitur Epistolâ Plinii ad Gallum lib. 8. Exegerat, inquit, prosocer meus, ut Amerina prædia sua inspicerem. Hæc perambulanti mihi ostenditur subjacens lacus Vadimonis, &c. Junius Philargyrius: Clitumnus & Deus & lacus in finibus Spoletinorum, ex quo bibentia pecora alba fiunt. Lacum Vadimonis Clitumnum vocat, quod ab eo lacu Clitumnus emittitur. Vides Ameriæ lacum esse Vadimonem?*

Hic enimvero nihil denuo demonstrare attinet, quanta sit inscitia, *Vadimonem* vel in Umbria ponere, vel *Clitumnum* dicere. Satis enim jam hæc rejecta sunt, satisque ostendi nihil ab eo, qui vel primoribus labris litteras delibarit, dici potuisse stolidius & indoctius. Hoc tantum addere libet, Philargyrium minus proprie Clitumni fontem appellasse *lacum*, cum eum nonnisi late patentem fontis gurgitem esse, præter Plinii auctoritatem ipsa αὐτοψία omnibus probet. Fieri tamen potest, ut Philargyrius Virgilianè loqui voluerit. Nam Æneid. lib. 8. hæc Æneæ ad Tiberim verba sunt:

> *Quo te cumque lacus miserantem incommoda nostra*
> *Fonte tenet.*

Ubi Servius: *Lacus est quoddam latentis adhuc aquæ receptaculum, & dictus lacus quasi lacuna, ex qua erumpens aqua efficit fontem, qui cum fluere cœpit, alveum facit.* Similiter & Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. *Juturnæ lacum* & *fontem* indiscriminatim dicit.

Quod vero ad Plinii locum attinet de lacu Vadimonis

Amerinis prædiis subjecto, id Cluverius recte de *Castello Amerino*, non de *Ameria* accipiendum docet. Nam Castellum illud est in Hetruria, cum *Ameria* trans Tiberim sit in Umbria. Hoc autem loco merito quis obstupescat, cum eodem 8. lib. duæ sint Plinii Epistolæ, quarum octava fontem *Clitumni*, vigesima vero lacum *Vadimonis* curiosissima narratione exequitur, quomodo adhuc Scaliger sibi persuadere potuerit lacum eumdem esse *Vadimonem*, & *Clitumni fontem.* Quis dehinc ullius rei fidem belluę habendam putet? Quis eum quoties intolerantissime de novis, & à se primum inventis opinionibus gloriatur, non ad idem exemplum magno conatu maximas nugas agere exploratum habeat?

EXCERPTA
EX LIBRO
THADDÆI DONNOLÆ J. C.
DE PATRIA PROPERTII.

QUemadmodum Græcarum urbium plures de Homeri patria inter se diffidentes singulæ ipsum ut civem suum sibi quondam vindicabant, ut refert Cicero Orat. pro Archia Poëta, necnon Aulus Gell. lib. 3. cap. 11. Noct. Attic.

Septem urbes certant de stirpe insignis Homeri
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chius, Argos, Athenæ.

Ita ferme & in Umbria Italiæ Provincia antiquissima plures inter civitates & oppida non absimilis de *Propertii* Poëtæ patria æmulatio, dissensioque dudum vigere pernoscitur, nempe inter Ameriam, Fulginium, Assisium, Hispellum, Trebiam, Mevaniam, Montefalchium, & Vectonium, quibus & addita est nuper Perusia; quarum quidem urbium cives singuli *Propertium* ut civem suum repetunt ac vendicant.

Raphaël Volaterranus, Petrus Crinitus, Ambrosius Calepinus, Domitius Calderinus, Philippus Beroaldus, Marius Equicola, Joannes Ravisius Textor, Joannes Maria Catanæus, Leander Albertus, M. Anton. Bonciarius, Philippus Cluverius, plurimique alii non parvi nominis Scriptores Mevaniam *Propertii* patriam fuisse existimarunt.

Josephus Scaliger *Propertii* patriam hactenus ignotam sese primum edocuisse gloriatur, illamque Ameriam esse contendit.

Lilius Gregorius Giraldus Histor. Poëtarum Dialog. 4. Franciscus alumnus in fabrica mundi n. 659. Justus Lipsius lib. 5. Antiquar. Lect. cap. 10. Laurent. Schraderus Halberstadiensis lib. 3. Monumentorum Italiæ, Christophorus Saxus Perusinus Assisium Propertii solum dixere patrium.

Nonnulli alii Fulginium asseverant; alii solidiori ratione Trebiam adstruunt, Montefalchium alii malunt, alii Vecto-

nium autumant; tum denique felix Ciattus Perusinus ipsam Perusiam *Propertii* patriam esse contendit.

Ego autem veram germanamque *Propertii* Poëtæ patriam esse Hispellum assero; quod quidem solius veritatis & rationis ductus studio ita perspicue me demonstraturum confido, ut nullus in posterum subsit hac de re dubitandi locus.

Propertius quidem, quantum licet intelligere, tribus in locis de patrio solo suo clarius egisse videtur.

Primus locus est in Elegia speciatim de patria sua ad calcem primi libri *Tullo* inscripta.

Secundus est Eleg. 1. libri 4. cui *de Vrbe Roma* titulus est.

Tertius denique ac postremus est ejusdem Eleg. 1. l. 4. nonnullis interjectis versibus. De quibus nobis est sigillatim dicendum.

Quod ad primum attinet locum, Tullo cupienti proprios Poëtæ Penates ediscere respondet *Propertius* in hæc verba:

Qualis & unde genus, qui sint mihi, Tulle, Penates,
Quæris pro nostra semper amicitia.
Si Perusina tibi patriæ sunt nota sepulcra,
Italiæ duris funera temporibus;
Cum Romana suos egit discordia cives,
Sit mihi præcipue pulvis Hetrusca dolor.
Tu projecta mei perpessa es membra propinqui,
Tu nullo miseri contegis ossa solo.
Proxima supposito contingens Umbria campo
Me genuit terris fertilis uberibus.

Quibus quidem Poëta significat, deploratque patrem suum Equestri Dignitate & Triumvirali potestate ornatum cum plerisque Romanorum Equitum & Senatorum, devicto ad Perusiam L. Antonio M. Antonii fratre, ipsâque Perusiâ captâ atque excisâ, ad aram Cæsaris Idibus Martii hostiarum more interemptum, quod ejusdem L. Antonii partes esset secutus. De qua Romanorum cæde Suetonius in Augusto & alii. Tum Poëta Tulli percontationi satisfaciens subdit:

Proxima supposito contingens Umbria campo
Me genuit terris fertilis uberibus.

Quibus quidem verbis *Vmbrum* sese, & in *Vmbria* natum profitetur perspicue: unde exploratum habetur, ipsum, non Perusinum fuisse, cum in Hetruria, non in Umbria sitam esse Perusiam constet apud omnes.

Secundo loco agit *Propertius* de natali solo suo Eleg. 1. lib. 4. cui de *Urbe Roma* titulus est, ubi de Romanis plura præfatus, aliquando fore, ut Umbria elata ac tumida suis ipsius carminibus superbiat, vaticinatur, seque Romanum Callimachum pronuntiare non dubitat:

Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris
Umbria Romani patria Callimachi.

Quia nimirum ipse dicendi formâ Callimachum Poëtam Græcum est imitatus.

Pergit deinde Poëta, suisque ex libris magna auspicatus illud plane suum declarat natale solum, quod muris seu arcibus, tanquam arduis munitum propugnaculis, ex vallibus conspicitur emergere, cum ait:

Scandentes si quis cernet de vallibus axes,
Ingenio muros æstimet ille meo.

Quo quidem disticho *Propertius* quasi dextram ad Hispellum, ejusque scandentes Lares intendens, *si quis*, inquit, *de vallibus arces fuerit conspicatus ascendentes*, *muros istos meo æstimet ingenio*, *seu arces illas meæ esse patriæ intelligat.*

At Scioppius ex istis versibus, *ut nostris tumefacta superbiat Umbria*, &c. & *Scandentes si quis cernet*, &c. Mevaniam designari contendit. *Propertius hic*, inquit, *satis significat patriam suam in planitie esse positam.* Sed istud ex Poëtæ verbis nequaquam cogi potest, immo contrarium plane colligitur.

Hispellum sane è media vallis planitie, qua à fronte, ac lateribus perbelle circumdatur, ita suis cum turribus, turritisque mœnibus assurgere, & ad placidi collis verticem scandere adhuc ex parte conspicitur, ut in tota regione simile illi oppidum ex situs specie non sit invenire, quod nempe tanquam speculum in specula mediæ vallis collocatum inter Spoletium & Perusiam quindecim millibus passuum ab utraque æqualiter distans civitate universam vallem Clitumni in primis Tiniæque fluviorum aquis irrigatam prospiciat. Aliæ verò civitates, Mevania, Fulginium, Camerium, in plano jacent: Assisium in collis latere extensum cubat. Vectonium pariter, Trebia, & Montefalchium in collibus inter se oppositis ex parte abdita abductaque oppida locata visuntur. At Hispellum in mediæ vallis specula, quasi speculum collocatum est.

Et

Et quamvis forsan hodie Hispelli turres multò pauciores recenseantur, longe tamen plures olim extitisse pro comperto est, earumque alteram antiquitate & magnitudine potiorem, totius populi Hispellatis consensu, an. 1336. sub Clemente VI. Papa eversam fuisse constat.

Tertio loco agit *Propertius* de patria sua in eadem Eleg. 1. lib. 4. nonnullis versibus interjectis, ubi parentis sui cædem, dirique sui sideris acerbitatem rursus ingemiscens magis peculiari quodam studio patriæ suæ fines demonstrat.

Umbria te notis antiqua Penatibus edit;
Mentior, an patriæ tangitur ora tuæ?
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et lacus æstivis intepet Umber aquis.
Scandentisque axis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.
Ossaque legisti non illa ætate legenda
Patris, & in tenues cogeris ipse Lares.
Nam tua cum multi versarent rura juvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox ubi bulla tuo, &c.

Hic etiam licet observare Poëtam nec hisce versibus natale solum suum nominatim, sed illius solummodo fines ac terminos sub Hori Mathematici seu Genethliaci persona recensere voluisse. Ait enim se editum in Umbria Provinciarum Italiæ antiquissima, solique sui oram patrii eam Umbriæ partem attingere, *qua nebulosa cavo rorat Mevania campo;* atque hinc equidem planius liquet *Propertii* cunabula nequaquam esse Mevaniam asserendam, tùm quod non patriam suam, sed *oram patriæ* suæ dixerit, his verbis: *patriæ tangitur ora tuæ, qua nebulosa cavo rorat Mevania campo;* tum quia ut, cujus ad verticem consurgit murus, suam proferret, declararetque patriam, Hispellum scilicet scandens in collem, continuo ait:

Scandentisque axis consurgit vertice murus.

Tum denique quia Mevania acclinis non est, neque conscendit, quod ita ad hodiernam usque patet ætatem, ut nemini dubium esse credamus. Quod etiam jam pridem canebat Silius Italicus libro sexto Belli Punici.

Ubi latis
Projecta in campis nebulas exhalat inertes,

Propert. D

Et ſedet ingentem paſcens Mevania taurum
Dona Iovi.

Et lib. 8.

His urbes Arna, & latis Mevania pratis.

Deinde Poëta ſuam clare patriam non eſſe Mevaniam ſignificaſſe videtur, cum dixit ſuum natale ſolum ad Mevaniæ campum, ſeu *qua nebuloſa rorat Mevania*, eſſe contiguum: his enim profectò verbis Mevaniam excepiſſe cenſetur; quoniam particula illa, *quà*, ibi idem ſonat, quod *ex ea parte*. Et dum illicò ait;

Scandentiſque axis conſurgit vertice murus.

Hiſpellum ipſum proxime in collem ſcandens, cujus ager Mevaniæ ipſius cavo rorantique campo cohæret, pulcrè ſimulque clarè, vel Aſſiſio exploſo, quod à Mevania longius, novem ſcilicet paſſuum millibus diſtet, demonſtravit.

Ad hæc, ſi Mevaniam natalem ſibi ſedem aſſerere voluiſſet *Propertius* non eam ſane veluti ludibrio odiove *nebuloſam* dixiſſet, neque obſcuro & caliginoſo, ſed honeſto & illuſtri, ut celebre oppidum, caramque decet patriam, decoraſſet epitheto. Nam voluit Poëta exiſtimationem & ſibi & patriæ, non turpitudinem, comparare, ſubdens,

Vt noſtris tumefacta ſuperbiat Vmbria libris,
Vmbria Romani patria Callimachi.

Præterea ſi patriam ſuam revera Mevaniam eſſe declarare voluiſſet eo verſu Poëta, *Qua nebuloſa cavo rorat Mevania campo*, &c. non alia deſcriptione ſeu additione opus fuiſſet: verum cum animo ac mente Hiſpellum complecteretur, firmuſque eſſet ea in ſententia, quâ patriæ quidem fines & proprietates proferre, illius vero nomen omnino reticere decreverat; addidit *muros* patriæ ſuæ *ex vallibus ſcandentes* proſpici, & ad verticem emergere. Quod quidem uni Hiſpello, quoquo modo ſumas, unicè congruere liquido patet. A media namque valle, ut diximus, & à Mevaniæ campi ora, cui Hiſpelli jungitur ager, Hiſpellum ipſum leviter cum ſuis muris, ſeu arcibus ad collis apicem conſurgit. Quos quidem patriæ ſuæ muros licet conſpicuos & notos ab ſui ingenii monumentis notiores fore & illuſtriores vaticinatus eſt, cum dixit *Propertius*.

Vmbria te notis antiqua Penatibus edit, &c.

Scandentisque axis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille meo.

Quæ cum nullo pacto Mevaniæ possint aptari, Hispello autem Mevaniæ vicino scandenti in axem & collem emergenti mire consentiant; pro certo *Propertii* patrium solum ac natale Hispellum dicendum, planeque habendum est.

Porro constat etiam neque Assisium esse *Propertii* natale solum, ut pote quod non est agro Mevaniensi, nec Perusino finitimum, nec quicquam cum Umbri lacus aquis habet commune; quin imò ejusdem ipsius lacus Umbri, seu balinei ad Clitumnum *Propertii* temporibus Hispellates dominatum obtinebant, eoque utebantur, ut refert Plin. Jun. Lib. 8. Epistol. 8.

Sed neque Ameria *Propertii* patria dici potest; nam extra vallem Spoletinam longe sita est, triginta & amplius passuum millibus distans à Mevania, longiusque à Perusiæ finibus abesse oculis & sensu omnibus, qui regionem incolunt, aut perlustrant, percipitur. Tuder enim civitas, ejusque ager, aliaque oppida, & montes ac fluvii illam dispescunt, ac disterminant à Mevania ac Perusia.

Vectonium vero, nunc vulgo *Bettona* non esse *Propertii* patrios Lares inde facile demonstratur; quod nulla Romanæ antiquitatis vestigia in eo possint inveniri, neque etiam apud Strabonem, aut Catonem, aliumve antiquum Scriptorem Vectonii mentio habeatur, sed apud Plinium solummodo, qui nonnisi diu post Augustum libros historiæ naturalis scripsit, qui lib. 3. cap. 14. Vettionenses, qui Lusitaniæ etiam sunt populi, memoravit.

Atque illud apprime notandum est, haud longe à summa Hispelli porta, vulgo *Sanctæ Barbaræ*, locum quemdam etiamnum oleis consitum extare, à *Poëta* per antonomasiam, à *Propertio* nimirùm, ad hæc usque tempora nuncupatum.

Quod vero ad Fulginium, Trebiam, & Montefalchium spectat, aliudve, si quod est oppidum, plura de his supervacaneum proloqui censeo, cum rationes omnes ac auctoritates pro Hispello ita nostræ suffragentur sententiæ, ut plane evincere existimemus. Istæ enim omnes civitates aut novę sunt, & diu solum post *Propertium* natę, vel ita situ dispositę, ut ipsis, quę de patrię suę finibus ac situ declaravit *Propertius*, minime possint convenire.

VETERUM
TESTIMONIA
DE
SEXTO AURELIO
PROPERTIO

Ovidius Lib. 3. de Arte amandi.

ET teneri possis carmen legisse *Properti*,
Sive aliquid Galli, sive, Tibulle, tuum.

Idem Lib. 2. Trist.

Invenies eadem blandi præcepta *Properti*,
Districtus minimâ nec tamen ille notâ est.

Idem Lib. 4. Trist. Eleg. 9.

Virgilium vidi tantum: nec avara Tibullo
Tempus amicitiæ fata dedere meæ.
Successor fuit hic tibi, Galle, *Propertius* illi;
Quartus ab his serie temporis ipse fui.
Sæpe suos solitus recitare *Propertius* ignes,
Jure sodalitii qui mihi junctus erat.

Martialis Lib. 8. Epigramm. 73.

Cynthia te Vatem fecit, lascive *Properti*;
Ingenium Galli pulcra Lycoris erat.

Idem Lib. 14. Epigram. 189.

Cynthia facundi carmen juvenile *Properti*
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

Papin. Statius Silvar. Lib. 1. Carm. 2. Epithal. Stellæ & Violantillæ.

Hunc ipse Coo plaudente Philetas,

Callimachusque senex, Umbroque *Propertius* antro
Ambissent laudare diem, nec tristis in ipsis
Naso Tomis, divesque foco lucente Tibullus.

Quintilianus Lib. 10. *Institut. Orator. cap.* 1.

Elegiâ Græcos quoque provocamus, cujus mihi tersus atque elegans maximè videtur auctor Tibullus. Sunt qui *Propertium* malint. Ovidius utroque lascivior, sicut durior Gallus.

Plin. Junior Lib.6. Epist. 15.

Passienus Paulus splendidus Eques Romanus, & in primis eruditus, scribit Elegos: gentilitium hoc est illi. Est enim municeps *Propertii*, atque etiam inter Majores suos *Propertium* numerat.

Apuleius Madaur. Apol. ferè ab initio.

Hic etiam illud reprehendi animadvertisti, quod cum aliis nominibus pueri vocentur, eos Charinum & Critiam appellitarim. Eadem igitur opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit, & Ticidam similiter, quod, quæ Merella erat, Perillam scripserit, & *Propertium*, qui Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet; & Tibullum, quod ei sit Plania in animo, Delia in versu.

Josephus Scaliger Poetices Lib. 6. *cap.* 7.

Propertius facilis, candidus, verè Elegiacus, tersior tamen quàm existimatus est à Criticis; nam & amat quædam, quæ minimè sunt vulgaria, & quibusdam locis paucorum judicium secutus videtur.

Turnebus Adversar. Lib. 11, *cap.* 15.

Tanta Versuum *Propertii* jucunditas & amœnitas est, ut eos dictantibus Gratiis à Poëta exceptos censeas.

M. Antonius Muretus ad Francisc. Gonzagam, Lib. 2. *Epist.* 12.

Non injuriâ dubitatum est à veteribus, *Tibullo*ne an *Propertio* deferendus esset inter Latinos Poëtas Elegiæ scribendæ principatus. Nam ut insunt in utroque permulta, quæ eos vulgarium numero exemptos in edito atque eminenti statuant loco; sic propriæ quædam extant, & elucent in utroque virtutes, quibus uterque alterius palmam ambiguam facere videatur. Summa in *Tibullo* elocutionis elegantia & proprietas: summa in *Propertio* eruditionis Poëticæ copia, & varietas: in illo Romana prope omnia, in hoc pleraque transmarina: illum nativa quædam & incorrupta Romani sermonis integritas in media urbe natum & altum esse ostendit: hunc præter cætera forma & character ipse dicendi in Græcorum Poëtarum scriptis assiduissimè versatum esse demonstrat. Cumque à sapientissimis viris traditum sit duo esse præcipuæ Poëticæ dictio-

nis ornamenta τὸ σαφὲς καὶ τὸ ξενικὸν, illo *Tibullus*, hoc *Propertius* excellere videtur. Mollior ille & delicatior, nervosior hic & accuratior, illo magis oblectere; hunc magis, ut opinor, admirere. Illum judices simpliciùs scripsisse, quæ cogitaret, hunc diligentiùs cogitasse, quid scriberet: in illo plus naturæ, in hoc plus curæ, atque industriæ esse perspicias. Quæ cum ita se habeant, perdifficile est decernere ac constituere uter alteri præstet. Nam si præcipua laus Poëtarum in imitatione consistit, mihi quidem videtur *Tibullus* varios illos fluctuantis animi motus, quibus amantes agitari solent, meliùs imitatus esse. Sin ut quidque ad optimum proximè accedit, ita ipsum quoque optimum, judicandum est: crediderim sanè veterum illorum Græcorum, ac præcipuè Callimachi *Propertium* haud paulò similiorem fuisse; quâ etiam fiduciâ ipse se Romanum Callimachum appellare ausus est. Sed hæc ut ut sunt, neque nostrum est, neque cujusquam hominis prudentis, & considerati, quâ de re veteres illi, quorum fuit & doctrina major, & judicium acrius, non liquere pronuntiarunt, de ea certi quicquam constituere, & litem secundum alterutrum dare.

ERRATA IN TIBULLO AC PROPERTIO.

Pag. 215. *col.* 2. *Annot. lin.* 8. *loco* movetur, *lege*, non moveatur.
Pag. 450. *col.* 1. *Annot. lin.* 19. *loco* iterum Philippi, *lege*, iterum videre Philippi.
Pag. 461. *v.* 8. *loco* esse, *lege*, æqua.
Pag. 588. *col.* 1. *Annot. lin.* 32. *loco* Patarchus, *lege*, Plutarchus.
Pag. 634. *col.* 2. *Annot. lin.* 9. *loco* naves, *lege*, rates.
Pag. 661. *col.* 2. *Annot. lin.* 26. *seu ultima loco* etiam avum, *lege*, etiam Hostium avum
Pag. 697 *col.* 1. *Annot. lin.* 27. *loco* præberent hospitium, *lege*, præberent & hospitium.
Pag. 707. *v.* 6. *loco* eques, *lege*, equus.
Cætera, ut occurrent, Lector corriget, aut excusabit.

SEXTI

SEXTI AURELII PROPERTII ELEGIARUM LIBER PRIMUS

ELEGIA I.

AD TULLUM.

CYNTHIA prima suis miserum me cepit ocellis
  Contactum nullis antè Cupidinibus.
Tum mihi constantis dejecit lumina fastus,
  Et caput impositis pressit Amor pedibus.
Donec me docuit castas odisse puellas
  Improbus, & nullo vivere consilio.

INTERPRETATIO.

CYNTHIA me suis oculis infelicem prima rapuit, nullis unquam prius tentatum Amoribus. Tum mihi Cupido oculos depressit pertinacis arrogantiæ, & pedibus impositis cervicem meam calcavit, quousque malus me erudiit pudicas odio habere fœminas, & vitam agere rationis expertem.

ANNOTATIONES.

1. *Cynthia prima.*] Suos & suæ *Cynthia* scripturus amores Propertius aperit quantum in ipsum imperium exerceat Cupido, quàm ardenter *Cynthiam* depereat in amore superbientem, à quâ tamen mutuis affectibus amari cupit, ob idque magici Carminis implorat auxilium. Quis autem fuerit ille *Tullus*, cui Elegiam hanc & Librum inscribit, incertum prorsus videtur. Porrò L. Volcatius *Tullus* collega fuit Augusti in secundo suo Con-

Et mihi jam toto furor hic non deficit anno,
Cùm tamen adversos cogor habere Deos.
Minalion nullos fugiendo, Tulle, labores
Sævitiam duræ contudit Iasidos.
Nam modò Partheniis amens errabat in antris,
Ibat & hirsutas ille videre feras.
Ille etiam Hylæi percussus vulnere rami
Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.

INTERPRETATIO.

Jamque ab anno integro ista me tenet insania, quanquam intereà cogor experiri Divos mihi contrarios, ô Tulle. Minalion nullos recusando labores domuit asperitatem immitis Iasidos. Nunc enim ille insanus vagabatur in speluncis Partheniis, villosasque feras invisebat. Ipse quoque prostratus ictu rami Hylai, gemitibus dolorem suum vulneratus Arcadiis saxis testatus est.

ANNOTATIONES.

sulatu, ut refert Dio lib. 49. sub finem. Ille forsitan ipse est, de quo hic Propertius, cujus etiam meminit infrà Eleg. 6 & eleg. ultimâ hujus libri, & Elegiâ 21. lib. 3. unde colligitur Cizycænis præfuisse, vel Asiam pro Consule obtinuisse.

Cynthia autem dicitur à *Cyntho*, seu *Cynthio* ut a *Delo*, *Delia* Tibulli, simul nimirùm nomine cum Phœbi germanâ sorore, moribus tamen longè dissimilibus.

Prima.] Sic etiam infrà Eleg. 12.

Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

Ocellis.] Ex oculis & aspectu nascitur amor. Unde idem infrà lib. 2. Eleg. 15.

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Virgil. 3. Georgic.

Carpit enim vires paulatim, uritque videndo
Fœmina. ———

2. *Contactum nullis Cupidinibus.*] Qui prorsus integer nullis usquam Amoris telis perstrictus eram.

Cupidines plures finxit Antiquitas, sicut & multas Veneres. Ovidius duos Amores seu Cupidines, alterum cœlestem & divinum: alterum vulgatem & plebeium credidit. Unde lib. Fast. 1.

Alma fave dixi geminorum mater Amorum.

9. *Milanion.*] Alii scribunt, *Minalion.* Fabula est apud Ovidium lib. 2. de Arte amandi. Fuit autem *Milanion* seu *Minalion*, qui & *Meleager* aliis dicitur, nobilis adolescens qui *Atalantam* virginem Arcadicam efflictim deperiit, quam initio immitem tandem aliquando omni obsequiorum genere, & quorumcumque laborum tolerantiâ in sui amorem inflexit.

Ovid lib. 2. de Arte amandi.

Quid fuit asperius Nonacrina Atalanta?
Succubuit meritis trux tamen illa viri.

10. *Sævitiam Iasidos.*] Atalanta fuit filia *Jasi* ex urbe Nonacri in Arcadia; ut referunt Callimachus Hymno Dianæ v. 215 & 216. & Hygin. Fab. 70. & 99. Unde dicitur à Propertio *Jasis.* Fuit duplex Atalanta: altera Arcadica, cujus fuit filius Parthenopæus ex Milanione, seu Meleagro; Altera Argiva pedum velocitate, & cursu nobilis, Schœni Regis filia.

11. *Partheniis in antris.*] *Arcadicis in antris. Parthenius* enim, seu *Parthenius* mons est in Arcadia nobilis, ut referunt Plinius lib. 4. cap. 6. & Strabo lib. 8. Porrò de antro *Parthenio*, & spelunca Atalantæ, vide Ælianum lib. 3. de varia Histor. sub initium, & Callimach. Hymno in Delum v. 71. & Scholiasten ibidem.

Ergo velocem potuit domuisse puellam:
Tantùm in amore preces, & benefacta valent.
In me tardus Amor non ullas cogitat artes:
Nec meminit notas, ut priùs ire vias.
At vos, deductæ quibus est fallacia Lunæ,
Et labor in magicis sacra piare focis:
En agedum dominæ mentem convertite nostræ,
Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis, & sidera, & amnes
Posse Cytæinis ducere carminibus.
Et vos, qui serò lapsum revocatis, amici,
Quærite non sani pectoris auxilia.
Fortiter & ferrum, sævos patiemur & ignes:
Sit modò libertas quæ velit ira loqui.

INTERPRETATIO.

Potuit igitur vincere celerem virginem: tantam vim habent in amore preces & obsequia. In me hebes Amor nullum artificium, nullos excogitat dolos, nescitque, ut priùs, cognitas tenere vias. Sed vos, qui Lunæ cælo deripiendæ calletis artem, & quibus est industria peragendi sacrificia in aris magicis. Ecce nunc agite hera mea animum inflectite, & efficite, ut ipsa plusquam facies mea pallescat. Tum ego existimaverim vos & astra & fluvios cantibus Cytainis posse devocare. Sed vos, ô amici, qui seriùs casum, ut caveam, admonetis, conquirite animi ægroti remedia. Constanter perferemus & gladios, & crudeles flammas, dummodò liberum sit dicere quæcumque jubeat bilis.

ANNOTATIONES.

13. *Hylæi percussus vulnere rami.*] *Hylei*, pro *Hylæi* ut Eleg. proximè sequenti, ut *Thesea carina*, pro *Thesea*, ut infrà Eleg 3. & ut *Orphea lyra*, pro *Orpheia*. Fuit autem *Hylæus* rivalis Milanionis, utpote qui etiam Atalantam adamavit, quique ob id voluit Milanionem interficere.

14. *Arcadiis rupibus.*] *Arcadia* regio in Peloponesi meditullio sita, undique à mari remota, ab Arcade filio Jovis ex Callisto Lycaonis Regis filia sic nuncupata; quam nonnulli volunt Pelasgiam, Lycaoniam & Parrhasiam olim etiam fuisse vocitatam.

15. *Velocem puellam.*] Videtur Poëta Atalantam velocitate pedum nobilem Schœnei filiam, cum Atalanta Nonacrina, seu Arcadica confundere, quamvis alii duas omninò distinctas Atalantas fuisse contendant.

19. *Deducta Lunæ.*] Implorat opem Magorum & Sagarum, ut sibi magicis artibus animum Cynthiæ conciliare velint, Antiquis autem persuasum fuit Sagarum & Magorum incantationibus *lunam è cælo deripi*, seu devocari, & despumari solem, & astra inhiberi, fluvios ad fontes reduci, elementa concuti, & mentes hominum turbari. Virgil. Eclog. 8.

Carmina vel cælo possunt deducere Lunam.

20. *In magicis sacra piare focis.*] In altaribus ad Deos magicos placandos constructis.

24. *Cytæinis carminibus.*] Susurris, seu cantibus Colchicis, hoc est, magicis. In Colchide enim, seu apud Colchos fuit urbs nomine *Cytæa*, unde fuit oriunda Medea veneficiis, & incantationibus magicis insignis, quæ

Ferte per extremas gentes, & ferte per undas,
Quâ non ulla meum fœmina norit iter.
Vos remanete, quibus facili Deus annuit aure,
Sitis & in tuto semper amore pares.
In me nostra Venus noctes exercet amaras,
Et nullo vacuus tempore defit Amor.
Hoc, moneo, vitate malum, sua quemque moretur
Cura, neque assueto mutet amore locum.
Quòd si quis monitis tardas adverterit aures,
Heu referet quanto verba dolore mea!

INTERPRETATIO.

Asportate me in ultimas nationes, & maria, quà nulla puella viam meam cognoverit. Vos feliciter agite, quibus Divus Cupido *aure propitià annuit, jugiterque sitis*, oro, *in amore vestro securo aequales.* Nostra *Venus contra me noctes exercet acerbas, ac nusquam otiosus Amor me deserit. Illud vos admoneo; fugite istam calamitatem. Suus quemlibet amor teneat, neque solitum studium loco moveat. Si verò aliquis meis admonitionibus segnes aures* sedulò *adhibuerit; eheu quali cum gemitu sermones meos commemorabit!*

ANNOTATIONES.

inde etiam dicitur *Cytais, idis.*

28. *Qua velis ira loqui.*] modò liceat queri *jubeat qua splendida bilis*, ut ait Horatius lib 2. Sermon. Satyr. 3. v. 141.

ELEGIA II.

AD CYNTHIAM

QUID juvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coâ veste movere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrhâ?
Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturæ decus mercato perdere cultu?
Nec sinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non ulla tuæ medicina figuræ est.
Nudus Amor formæ non amat artificem.
Aspice quos summitit humus formosa colores,
Ut veniant hederæ sponte suâ meliùs.
Surgat & in solis formosiùs arbutus antris,
Et sciat indociles currere lympha vias.

INTERPRETATIO.

O MEA *lux, quid prodest prodire in publicum crinibus exornatis, mollesque sinus amictu Coo undantes quassando movere? Vel quid prodest capillos perungere myrrhâ Orontaâ, & te vendere mercibus exoticis, & natura formam corrumpere empto ornatu, neque permittere corpus tuum fulgere in nativis dotibus? Mihi fidem habe; nullum est medicamentum tua formæ: sincerus amor odit pulcritudinis artificem. Circumspice quot flores tellus ridens producit, quomodo faciliùs crescant hederæ, nullo serente, & quomodo pulcriùs arbustum proveniat in desertis speluncis, & noverit aqua cur-*

ANNOTATIONES.

* CYnthiam admonet, ut nolit nativæ pulcritudini nocere pigmentis fucando faciem, & ornatu peregrino & emptitio formam excolendo; cum pudicitia morumque probitas sint vera & sincera formarum ornamenta.

1. *Vita.*] Vox amantium frequens apud Poetas. Juvenalis Satyr. 6. dixit ζωὴ κ. ψυχή. Ita etiam Callimachus amicam vocavit ζωήν.

2. *Coâ veste.* *Cos* Insula maris Ægæi, Cycladum una, in qua vestes bombycinæ dicuntur primùm inventæ, quas prima dicitur texuisse Pamphile Platis filia. Ex hac Insula nati sunt Hippocrates & Apelles alter Medicorum, alter Pictorum Princeps

3. *Orontaâ myrrhâ*] Hoc est, Syrio malobathro, ut ait Horatius: Orontes enim fluvius est Syriæ, qui è monte Libano nascens, & præter Antiochiam fluens in mare Mediterraneum Seleuciæ proximum delabitur.

4. *Peregrinis muneribus.*] *Munera peregrina* sunt merces externæ, & exoticæ, quales sunt comæ emptitiæ, vestes Coæ, unguenta, & alia quæ commemorat Propertius; quæ quidem Horat. lib. 3. Od. 16. vocat *munera navium*, quia nempè navibus advehuntur.

8. *Forma non amat artificem*] *Artifices formæ* sunt ornatrices, ciniflones, pigmentarii, phrygiones, aurifices, &c.

12. *Indociles currere lympha vias*] *Indocilis* potiùs dicitur is, qui doceri non potest, quam res ipsa, quæ non est doctrinæ capax, seu ἀδίδακτος.

Littora nativos per se dent picta lapillos,
Et volucres nullâ dulciùs arte canant.
Non sic Leucippis succendit Castora Phœbe,
Pollucem cultu non Elaira soror.
Non Idæ, & cupido quondam discordia Phœbo
Eveni patriis filia littoribus.
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Avecta externis Hippodamia rotis:
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis est color tabulis.

INTERPRETATIO.

rere vias, quas non didicit. Littora distincta conchis nativis sine arte expolitis relucent, atque aves omni artificioso concentu jucundiùs modulantur. haud ita Phœbo Leucippi filia Castorem inflammavit, neque suâ pulchritudine neque soror ejus *Elaira Pollucem; neque filia Eveni in paternis littoribus Ida, Phœboque perditè amanti contentionis olim & rixa causa* suos amatores ita accendit; *neque Hippodamia curru peregrino abducta conjugem Phrygium ementitâ pulchritudine in amorem sui pellexit. At inerat vultus nullo lapillo decoratus, cujusmodi color est in Apelleis tabulis. Non illis*

ANNOTATIONES.

15. *Leucippi Phœbe Castora.*] *Leucippus* Sicyoniorum Rex duas habuit filias, Phæben nimirùm, & Elairam, quas formositate præstantes Castor & Pollux fratres capuerunt.

16. *Non Elaira soror.*] *Elaira* fuit Phæbes germana. Veteres codices habent, *Thelaira*, sed mendosè & corruptè. *Elaira* autem, quæ & *Ilaira* dicitur, fuit Dianæ Sacerdos, Phæbe verò Minervæ, ut testantur Apollodorus & Hyginus.

17. *Non Ida & cupido Phœbo.*] *Idas* seu *Ideus* omnium sui sæculi virorum formosissimus uxorem habuit Eveni filiam nomine Marpessam, insigni pulcritudine præditam, quam cùm Apollo, qui eam deperibat, rapuisset, arcu & sagittis ausus est *Idas* Deum ob uxorem recuperandam invadere. Tunc Jupiter Mercurium misit, qui contentione compositâ potestatem faceret Marpessæ deligendi, quem mallet; quæ *Idam* Phœbo prætulit.

18. *Eveni filia.* Marpessa, cujus pater *Evenus* se in fluvium Lycormam præcipitans nomen illi imposuit. Vide Homer. lib. 9. Iliad.

19. *Phrygium traxit candore maritum.*] Pelopem intelligit, qui *Phrygius* dicitur, quòd filius esset Tantali Phrygiæ regis.

20. *Externis Hippodamia rotis.*] *Hippodame*, seu *Hippodamia* filia fuit Oenomaï regis Elidis, quam nulli viro pater despondere volebat veritus Oraculum, quod cecinerat, tunc ipsum moriturum, cùm filia nupsisset. Cùm autem multi quotidie proci connubium puellæ postularent, illis Oenomaus curule certamen proposuit, hac lege positâ, ut victus necaretur, victor filiam duceret uxorem. Hac ratione cùm plures equorum velocitate victi fuissent, & interempti: tandem Pelops puellæ amore exardescens venit ad certamen, cùm priùs Myrtilum Oenomai aurigam pecuniâ corrupisset, ut fragiles axes currui subjungeret. Quo facto victor existens Pelops *Hippodamiam* duxit uxorem, cum qua, loco Oenomai Elidis, & Pisarum regno potitus Peloponesum à nomine suo nuncupavit.

Non illis studium vulgò conquirere amantes.
 Illis ampla satis forma, pudicitia.
Non ego nunc vereor, ne sis mihi vilior istis,
 Uni si qua placet, culta puella sat est.
Cùm tibi præsertim Phœbus sua carmina donet,
 Aoniamque libens Calliopea lyram:
Unica nec desit jucundis gratia verbis,
 Omnia quæque Venus, quæque Minerva probat.
His tu semper eris nostræ gratissima vitæ,
 Tædia dum miseræ sint tibi luxuriæ.

INTERPRETATIO.

erat cura amatores undequaque passim comparandi: his pudicitia sat magna erat pulcritudo, & ornatus. Haud ego jam timeo, ne tu mihi videaris illis minùs formosa. Si fœmina aliqua placet uni viro suo, satis est ornata. Quandoquidem, ô Cynthia, *tibi maximè cantus suos Phœbus annuit, & ex animo Calliope Aoniam tibi cytharam concedit, neque eximia dictis tuis suavibus deest gratia*, neque desunt *cætera omnia quæcumque Venus, & Minerva commendant. His* equidem dotibus *eris mihi jucundissima, dum vivam; modo tibi sit odium infelicis luxûs.*

ANNOTATIONES.

Dicitur autem *Hippodamia* avecta *externis rotis*, hoc est, curru peregrino; quia Pelops erat Barbarus & Phryx, *Hippodamia* verò Græca.

22. *Apellais.*] *Apelles* Pictorum omnium Princeps, cujus pictura simplicitate commendatur, quæ tamen naturam ipsam provocavit formâ expressâ tanquam spirante. In primis ejus Veneris tabula, quam nudam pinxit, impensè laudatur: unde noster Propert. lib. 3. Eleg. 7.

In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles.

Significat autem Propertius istâ comparatione talem fuisse formam illarum priscarum fœminarum, quæ nullo fuco indigeret, utpote quæ nativo colore placeret, sicut pictura simplex, non fucata in tabulis ab *Apelle* depictis relucebat.

24. *Ampla satis forma pudicitia.*] Eleganter admodum Seneca cap. 16. de Consolatione ad Helvidiam. *Non faciem lenociniis, aut coloribus polluisti, nunquam tibi placuit vestis ad nihil aliud exigenda, quàm ut nudam componeres. Unicum tibi ornamentum pulcerrima, & nulli obnexia arti forma. Maximum decus visa est pudicitia.*

28. *Aoniam Calliopea lyram.*] *Aonia* dicta est Bœotia, quæ tota consecrata est Musis, quæ inde dictæ sunt *Aonides* & *Aoniæ*. *Calliopea* & *Calliope* dicitur, ut Cassiope, & Cassiopea, Penelope, & Penelopea. Est autem *Calliope* illa ex Musis, quæ Heroïco Carmini præesse fingitur.

30. *Venus quæque Minerva probat.*] A *Venere* probantur forma, gratia, cantus, amores, saltationes, lepores, &c. A *Minerva* verò laudantur artes, doctrina, versus, pudicitia, lanificium, &c. Vide Horat. lib. 3. Od. 12.

ELEGIA III.

AD CYNTHIAM.

QUALIS Theseâ jacuit cedente carinâ
Languida desertis Gnosia littoribus;
Qualis & accubuit primo Cephëia somno,
Libera jam duris cotibus Andromede:
Nec minus assiduis Edonis fessa choreis
Qualis in herboso concidit Apidano:
Talis visa mihi mollem spirare quietem
Cynthia, non certis nixa caput manibus.

INTERPRETATIO.

QUALIS Gnosia languens in littoribus desertis jacuit nave Thesea recedente, & qualis acquievit primoq; sopori Cepheia duris saxis jam soluta: & pariter qualis Edonis fatigata continuis tripudiis & saltationibus jacuit in Apidano herbido; talis mihi conspecta est Cynthia sustentans caput

ANNOTATIONES.

1. *QUalis Thesea.*] Quomodo Cynthiam noctu deprehenderit dormitantem, suumque ipsius adventum præstolantem Propertius describit. Deinde puellæ suæ somnum cum somno Ariadnes, Andromedes, & fœminæ bacchantis comparat. *Thesea* posuit Poëta metri causâ, pro *Thesea*. *Theseus* porrò Ægæi Atheniensium Regis filius ad Minotaurum devorandus in Cretam cum missus esset, Ariadne Minoïs Regis Cretæ filia ejus amore correpta eum docuit, quo pacto, interfecto Minotauro, è Labyrinthæis sese flexibus expediret, nimirùm *errabunda regens tenui vestigia filo.* Cùm verò Ariadnes ope, & arte à Minotauro *Theseus* victor rediisset, è Creta discedens ipsam abduxit, quam tamen dormientem in Insula Naxo, seu Dia reliquit. Fabulam hanc pluribus edisseruimus apud Catullum in Epithalamio seu Nuptiis Pelei & Thetidis Tibull Eleg ultimâ lib. 3.

Gnosia Thesea quondam perjuria linguâ
Flevisti ignoto sola relicta mari.

2. *Desertis Gnosia littoribus.*] *Gnosia* dicitur Ariadne à *Gnoso* urbe Cretæ, Minoïs Regis regia. *Deserta littora* sunt Insulæ Naxi, seu Diæ in mari Ægæo, quæ erat *deserta* & penitùs inculta.

Cephëia.] Andromede Cephei Regis Æthiopum filia, quæ fuit exposita monstro cuidam marino, propter maternæ linguæ superbiam, quæ se formâ Nereidas superare jactabat. Hanc Perseus superveniens liberavit, interfecto monstro, eamque duxit uxorem.

4. *Andromede,*] Quæ Cephëia superiori versu dicitur, a patre suo Cepheo Æthiopum Rege.

5. *Edonis fessa choreis*] Hoc est, Baccha, seu Mænas. *Edonides* dicuntur fœminæ bacchantes, ab *Edone* monte Thraciæ, in quo furore agitatæ discurrentes mysteria Bacchi celebrabant. *Edoni* sunt etiam populi Thraciæ ad Hebrum flumen siti. *Chorea*, tripudia sunt, quibus operam dabant Mænades seu Bacchæ

6. *Appidano.*] In ripis *Appidani.* Fluvius est Thessaliæ *Appidanus*, quem in Peneum dicunt influere. Alii volunt esse etiam hujusce nomine Troadis fluvium.

Ebria

Ebria cùm multo traherem vestigia Baccho,
Et quaterent serâ nocte facem pueri.
Hanc ego nondum etiam sensus deperditur omneis
Molliter impresso conor adire thoro.
Et quamvis duplici correptum ardore juberent
Hac Amor, hac Liber, durus uterque Deus,
Subjecto leviter positam tentare lacerto,
Osculaque admotâ sumere, & arma manu.
Non tamen ausus eram dominæ turbare quietem,
Expertæ metuens jurgia sævitiæ.
Sed sic intentis hærebam fixus ocellis,
Argus ut ignotis cornibus Inachidos.
Et modò solvebam nostrâ de fronte corollas,
Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus.
Et modò gaudebam lapsos formare capillos,
Nunc furtiva cavis poma dabam manibus.

INTERPRETATIO.

manibus incertis tenerum ducere somnum; cùm malè ferrem titubantes multo Baccho pedes, & ministri faces multâ nocte concuterent. Ad ipsam ego non adhuc omnibus privatus sensibus niteor accedere incumbens lecto, & quanquam gemino calore incensum me hinc Amor, inde Liber, uterque Deus imperiosus & sævus, jubebant attrectare suppositâ molliter brachio jacentem, & basia carpere, & arma sumere, manu leviter injectâ. Attamen minimè ausus sum heræ somnum interpellare, timens aspera verba ejus indignationis mihi explorata. At verò ita defixis oculis adhærescebam velut Argus cornibus sibi incognitis Inachidos. Nunc autem, ô Cynthia, serta sumebam è meo capite, tuoque imponebam; nunc verò latabar crines tuos nimium effusos componere; modò tradebam furtiva mala tuis manibus cavis, cuncta denique tribuebam

ANNOTATIONES.

9. *Bacche.*] Hoc est, vino.

14. *Durus uterque Deus.*] Nimiùm imperiosi sunt, & sævi ambo illi Dii Bacchus & Cupido. De Cupidine seu Amore Virgil. lib. 6. Æneid.

Hic quos durus Amor crudeli tabe peredit.

Durus etiam Bacchus seu Liber, qui ad cædes, ad arma, & ad libidinem cogit. .

Ovid. lib. 1. Amor. Eleg. 6.

Nox & Amor, vinumque nihil moderabile suadent,
Illa pudore vacat, Liber, Amorque metu.

20. *Argus cornibus Inachidos.*] *Inachides* seu potiùs *Ius* Inacchi filiæ fabula legitur apud Ovid. lib. 1. Metamorphos. apud Apollodorum lib. 2. & Hygin. fab. 145 Io porrò fuit Inachi filia, quæ à Jove adamata, & in vaccam transmutata, à Junone, cui eam Jupiter tradiderat, Argo centum oculis instructo custodienda commissa fuit, ne ad eam Jupiter accederet Argus igitur fuit custos Io à Junone appositus, quique jussu Jovis à Mercurio fuit interemptus Vide Ovid. lib. 1. Metamorphos.

21. *Fronte corollas.*] *Corollas* poti gestabant.

Ovid. lib. 1. Fastor.

Vina dabat Liber; tulerat sibi quisque coronam.

Omniaque ingrato largibar munera somno,
Munera de prono sæpè voluta sinu.
Et quoties raro duxti suspiria motu,
Obstrepui vano credulus auspicio:
Ne qua tibi insolitos portarent visa timores,
Neve quis invitam cogeret esse suam.
Donec divisas percurrens Luna fenestras,
Luna moraturis sedula luminibus,
Compositos levibus radiis patefecit ocellos,
Sic ait in molli fixa thoro cubitum:
Tandem te nostro referens injuria lecto
Alterius clausis repulit è foribus.
Namque ubi longa meæ consumpsti tempora noctis
Languidus exactis hei mihi sideribus!
O utinam tales perducas, improbe, noctes,
Me miseram quales semper habere jubes.
Nam modò purpureo fallebam stamine somnum,
Rursus & Orpheæ carmine fessa lyræ.

INTERPRETATIO.

*dona sopori ingrato, dena, in*quam, *frequenter è prono gremio dela*psa. *Ego etiam inani credens augurio vehementer timui, quotiescumque è pectore raro motu suspiria traxisti, ne aliqua tibi somnia insuetos metus inferrent, aut ne aliquis repugnantem te vi impelleret esse suam. Quoadusque Luna varias fenestras decurrens, Luna, in*quam, *officiosa radiis diutius mansuris clausos oculos* suo *fulgore tenui aperuit* Cynthiæ, *quæ nixa caput cubito in molli lecto ita locuta est. Te demùm ad nostrum thorum alterius injuriâ revocans occlusis ianuis expulit. Ubinam enim transegisti longa noctis mihi debita spatia fatigatus, & languens, heu me, fugatis jam* per auroram *astris.* O *perfide, utinam transigas tam amaras noctes, cujusmodi me jugiter infelicem cogis transigere. Modò enim soporem effugiebam nendo filum purpureum, atque etiam fatigata cantu cythara Orpheia. Sæpè etiam apud me derelicta vehe-*

ANNOTATIONES.

35. *Tandem te referens injuria.*] Verba sunt Cynthiæ conquerentis de longa Propertii sui cunctatione. Injuria nostro thalamo à te illata, & quam altera amica tibi fecit, cùm te exclusit. Infra Eleg. 8. lib. 4.

Cum nostro fieret toties injuria lecto.

38. *Exactis sideribus.*] Peractâ jam nocte, & illucescente Aurorâ.

41. *Orphea lyra*, Pro *Orpaeia.*] Nemo nescit Orpheum Thracem Musicâ & melodiâ omnes superasse, quem fingunt olim silvas, saxa, ferasque carminibus & cantu ad se traxisse. Ovid.

Saxa, ferasque lyrâ movit Rhodopeius Orpheus.

Orphei mater fuit Calliope, quæ lyram Aoniam tradidit Cynthiæ, ut vidimus Eleg. proximè superiori. v. 28.

Aoniamque dedit Calliopea lyram.

Interdum graviter mecum deserta querebar
 Externo longas sæpè in amore moras:
Dum me jucundis lapsam sopor impulit alis,
 Illa fuit lacrymis ultima cura meis.

INTERPRETATIO

menter conquerebar tuas longas moras apud alteram amicam, quousque me lassam somnus pennis gratis dormire coëgit. Ista fuit extrema meis fletibus sollicitudo.

ELEGIA IV.

AD BASSUM

QUID mihi tam multas laudando, Basse, puellas
 Mutatum dominâ cogis abire meâ?
Quid me non pateris, vitæ quodcumque sequetur,
 Hoc magis assueto vivere servitio?
Tu licet Antiopæ formam Nycteidos, & tu
 Spartanæ referas laudibus Hermionæ.
Et quascumque tulit formosi temporis ætas,
 Cynthia non illas nomen habere sinat:
Ne dum, si levibus fuerit collata figuris,
 Inferior duro judice turpis eat.

INTERPRETATIO.

O BASSE, cur mihi prædicando tam numerosas fœminas compellis me, translato amore, meam heram deserere? Quare me non finis quidquid vitæ reliquum erit potiùs transigere ista sub solita servitute? Quamvis mihi *præconiis ad cœlum extollas Antiopæ Nycteidos, ac Spartanæ Hermoinæ formositatem, omnesque alias, quas felicis ævi tempus habuit; Cynthia non patiatur istas ob famam* pulcritudinis *nominari. Tantum abest, ut si fuerit comparata cum vulgaribus formis victa, inique & agresti etiam judice, discedat. At ista ejus for-*

ANNOTATIONES.

1. *QUid mihi tam multas, &c.*] *Bassum* qui fortasse consuluerat, ut à Cynthia discederet, & alias amando puellas, clavo clavum truderet, & amorem amore pelleret, objurgat Propertius, seque nullius fœminæ pulcritudine, aut forma significat adduci posse, ut amorem Cynthiæ deponat. Quis autem fuerit ille *Bassus*, quem alloquitur noster Poëta non liquet. Ille fortasse fuit *Bassus* Iambicus Poëta, cujus meminit Ovid. Trist. lib. 4. Eleg. ultimâ.

 ——— Bassus quoque clarus Iambu.

5. *Antiopa formam Nycteidos.*] *Antiopa Nyctei* filia, Lyci Thebarum Regis uxor & mulier longè formosissima, quæ à Jove in Satyrum converso compressa est.

6. *Spartanæ Hermionæ.*] *Hermione* filia fuit Helenæ & Menelaï *Spartæ* Regis filia, unde dicitur *Spartana.* Puella fuit longè etiam formosissima, quam Orestes duxit uxorem, & posteà rapuit Pyrrhus Achillis filius, quâ de causâ est interfectus ab Oreste. Virgil.

 Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.

9. *Nedum si levibus.*] Cùm nimi-

Hæc sed forma mei pars est extrema furoris.
Sunt majora, quibus, Basse, perire juvat.
Ingenuus color, & multis decus artibus, & quæ
Gaudia sub tacitâ dicere veste liber.
Quo magis & nostros contendis solvere amores;
Hoc magis acceptâ fallit uterque fide.
Non impunè feres: sciet hæc insana puella,
Et tibi non tacitis vocibus hostis erit.
Nec tibi me post hæc committet Cynthia, nec te
Quæret: erit tanti criminis illa memor.
Et te circum omnes alias irata puellas
Differet: heu nullo limine carus eris.
Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Et quicumque sacer, qualis ubique lapis.
Non ullo graviùs tentatur Cynthia damno,
Quàm sibi cùm rapto cessit amore Deus.

INTERPRETATIO.

mositas est minima portio mei insani amoris. O mi Basse, sunt alia longè meliora, pro quibus mori juvat. Color est nativus, & pluribus artibus partum nomen, & voluptas, quam sub conscio vestimento prædicare lubet. Sed quò plus conaris nostros amores dirimere, eò magis ambo reciprocâ fide frustramur tuos conatus. Hoc *non sine pœna auferes. Audiet hæc furens amore puella, neque tibi secretis verbis inimica erit.* Non *tibi deinceps me credet Cynthia, neque de te quicquam inquiret. Ipsa reminiscetur tam magni sceleris, teque apud omnes alias fœminas* in circulis *indignata diffamabit. Eheu nullâ in domo amaberis. Ipsa lacrymis suis nulla altaria negliget,* quæ non veneretur, *& qualiscumque ubicumque est lapis sacratus* non relinquetur ipsi inhonoratus. *Nulla* enim *majore afficitur injuriâ Cynthia, quàm cùm Divus* Cupi-

ANNOTATIONES.

rûm Cynthia formâ suâ longè superet omnes fœminas quæ formosissimæ fuerunt, multò magis collata vilioribus, minusque formosis enitescer, cujus nempe pulcritudo tanta est ut etiam ab iniquo Judice præ cæteris palmam mereatur.

13 *Ingenuus color.*] Vultus nulli fuco obnoxius, & forma liberalis.

Multis decus artibus.] Laus & gloria multarum artium, canendi nimirum, loquendi, pingendi, scribendi carminis, saltandi, texendi, &c. commendatione comparata. Vide Eleg. 2. hujus libri.

20. *Quæret.*] Non rogabit ubinam Bassus, neque quid agat.

23. *Nullas contemnet fletibus aras.*] *Nullas aras* prætetibit quin ad eas lacrymetur, & supplicet, & te devoveat.

24. *Et quicumque sacer lapis*] Nullus etiam stipes, nullusque *lapis*, qui sacratus sit, ab ipsa relinquetur: venerabiturque omnia vilissima quæque, ut tu odiosus, & invisus omnibus fias. Solebant autem Veteres, si in itinere conspicerent truncum aliquem dolamine effigiatum, aut lapidem unguento delibutum pro Numinibus habere & colere.

Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in triviis florea serta lapis,

Præcipuè nostri : maneat sic semper, adoro:
Nec quicquam ex illa quod querar, inveniam.

INTERPRETATIO.

do ipsi otiosus est, *ereptis sibi deliciis, maximè nobis. Utinam perpetuò ista in mente perseveret, neque aliquid reperiam, unde de ipsa conqueri possim.*

ANNOTATIONES.

27. *Adoro.*] Idem quod oro, & precor.
Ovid. Epist. Ariadnæ ad Theseum.

Non te per meritum, quoniam malè cessit, adoro.

ELEGIA V.

AD ÆMULUM GALLUM.

INVIDE tu tandem voces compesce molestas,
Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares.
Quid tibi vis, insane? meos sentire furores?
Infelix, properas ultima nosse mala:
Et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
Et bibere è totâ toxica Thessaliâ.
Non est illa vagis similis collata puellis:
Molliter irasci, non sciet illa tibi.
Aut si fortè ausis non est contraria nostris,
At tibi curarum millia quanta dabit?

INTERPRETATIO.

O ÆMULE, *aliquando demùm comprime verba auribus meis gravia, nosque patere cursu, quo cœpimus, pergere concordes. Quid quæris, ô demens, meas experiri insanias? ô miser, extremas miserias experiri festinas, infelixque per incognitas flammas incedere, & haurire venena ex omni Thessalia.* Cynthia *ista comparata vulgaribus fœminis, par non est, ipsa leviter succensere non consuevit. Si verò forsan tuis desideriis non adversatur, quot tamen sollicitudinum millia tibi afferet? Tunc tibi neque quietem, ne-*

ANNOTATIONES.

1. *INvide, tu tandem.*] Gallum rivalem suum ab amore Cynthiæ, cujus pulcritudine inflammatus ardere cœperat, dehortatur Propertius, docetque quot, & quanta incommoda, ærumnasque passurus sit, si Cinthiam adamare perseveraverit.

6. *E tota toxica Thessalia.*] *Thessalia* regio fuit venenorum & herbarum magicarum feracissima:
Tibull. Eleg. 4. lib. 2.

Quodquid habet Circe, quidquid Medea veneni,
Quidquid & herbarum Thessala terra gerit.

Horat lib. 1. Od. 27.

Thessalis magus venenis.

Non ego tum potero solatia ferre roganti,
  Cùm mihi nulla mei sit medicina mali.
Sed pariter miseri socio cogemur amore
  Alter in alterius mutua flere sinu.
Quare, quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
  Quærere; non impunè illa rogata venit.

INTERPRETATIO.

fabula vulgi fies! Ego tunc nequeam auxilium tibi imploranti dare, quandoquidem mihi nullum est mei mali remedium. At unà simul infelices compellemur alter in alterius gremio communia nobis mala lamentari. Itaque, ô mi Galle, omitte scire velle, quid possit amica *mea Cynthia, non* enim *sine pœna rogatur.*

ANNOTATIONES.

26. *Rumor eris.*] Quò quis enim major est, aut nobilior, eò peccatum ejus conspectius est, citiusque famæ pennis undequaque differtur.

30. *Mutua flere sinu.*]. Symmachus lib. 8. Epist. 28. *Adversa quæ cum pluribus pertulisti, more humani ingenii habent aliquod de societate solatium.* Plin. lib. 8. Epist. 16. *Est enim etiam quædam dolendi voluptas, præsertim si in amici sinu defleas, apud quem lacrymis tuis vel laus sit parata, vel venia.*

32. *Non impunè rogata venit.*] Dolorem & cruciatum affert amanti, nec sine fellis amaritie est amor Cynthiæ, præsertim cùm rogatur. *Rogare* porrò verbum est rei amatoriæ proprium. Ovid. lib. 1. Amor. Eleg. 8.

—— *Casta quam nemo rogavit.*

Et

At si rusticitas non vetat, ipsa rogat.

ELEGIA VI.

AD TULLUM.

NON ego nunc Adriæ vereor mare noſcere tecum,
Tulle, neque Ægeo ducere vela ſalo:
Cum quo Riphæos poſſim conſcendere montes,
Ulteriuſque domos vadere Memnonias.
Sed me complexæ remorantur verba puellæ,
Mutatoque graves ſæpè colore preces.
Illa mihi totis argutat noctibus ignes,
Et queritur nullos eſſe relicta Deos.
Illa meam mihi jam ſe denegat, illa minatur,
Quæ ſolet irato triſtis amica viro.
His ego non horâ poſſum durare querelis.
Ah pereat, ſi quis lentus amare poteſt.

INTERPRETATIO.

O TULLE, *jam non timeo unà tecum Adria pelagus tentare, neque metuo per fretum Ægaum navigare; quo cum valeam montes Riphaos tranſcendre, & ultra Memnonias regiones penetrare. At me voces ampleƈtentis amica, & preces variato frequenter colore ardentes retinent ac remorantur. Ipſa mihi integris noctibus amorem in me ſuum objectat, deſertaque conqueritur nullos eſſe Divos. Ipſa jam mihi negat ſe eſſe meam, ipſa mihi minitatur, quidquid conſuevit irata puella amatori querulo. His ego querimoniis per unam* tantùm *horam nequeo reſiſtere. Ah ſi quis tepidus & indifferens poteſt eſſe in amore, malè ſit illi. Sitne mihi tam magni mo-*

ANNOTATIONES.

1. *NOn ego nunc Adria, &c.*] In Aſiam profecturus, cui Proconſul fuerat deſtinatus Tullus, Propertium invitaverat ad peregrinationem Aſiaticam, quam libenter ſe ſuſceptu-rum fuiſſe dicit Poëta, niſi Cynthiæ, quam ut deſerat adduci non poteſt, amor obſiſteret, qui longè plus poteſt, quam cuncta mortalium vota. *Adria* porrò oppidum in finibus Piceni, unde mare dictum eſt *Adriacum*, & *Adriaticum*, nune *Golfo di Venetia*, quod etiam Latinis dictum eſt mare *Superum*, & mare *Ionium*.

2. *Ægeo ſalo.*] *Ægeum* mare nonnulli volunt dictum à quodam ſcopulo, quem αἶγα vocant, quòd capræ exilientis referat ſimilitudinem. Alii ab *Ægeo* Rege Athenienſium, Theſei patre, qui ſe in illud præcipitem egit.

3. *Riphaos montes,*] *Riphai* ſunt Scythiæ montes perpetuo gelu & ventorum ſeptentrionalium flatu rigentes.

4. *Domos vadere Memnonias.*] Nonnulli Thebas Ægyptias ſignificari putant, ubi Memnonis ſtatua quondam dicebatur quotidie Solem exorientem ſonitu lyræ & ſtrepitu ſalutare. Alii volunt Æthiopiam intelligi, ubi *Memnon* dicitur ſepultus, quem etiam *Æthiopem* vocat Catullus,

Ah mihi

An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas,
Atque Asiæ veteres cernere divitias?
Ut mihi deductâ faciat convicia puppi
Cynthia, & insanis ora notet manibus?
Osculaque opposito dicat sibi debita vento;
Et nihil infido durius esse viro?
Tu patrui meritas conare anteire secures,
Et vetera oblitis jura refer sociis.
Nam tua non ætas unquam cessavit Amori,
Semper at armatæ cura fuit patriæ.
Et tibi non unquam nostros puer iste labores
Afferat, & lacrymis omnia nota meis.
Me sine, quem semper voluit Fortuna jacere,
Hanc animam extremæ reddere nequitiæ.

INTERPRETATIO.

menti eruditas adire Athenas, *& antiquas Asiæ opes videre? ut ob conscensum navigium Cynthia me maledictis incessat, & furiosis unguibus vultum suum laceret, & dicat basia sibi fuisse vento opposito tradita, nihilque esse crudelius infideli amatore? Tu verò, ô Tulle, enitere nobiles patrui tui fasces antevertere, rursusque reddere jura antiqua* Populi Romani *fœderatis qui ea obliti sunt. Nunquam toto vitæ tuæ spatio indulsisti amori; sed semper tibi studium fuit armata patria. Tibi verò puer ille* Deus *nunquam inferat pares nostris ærumnas, neque cuncta mala meis fletibus cognita. Patere me, quem semper fortuna voluit obscurum remanere, hunc spiritum ex-*

ANNOTATIONES.

13. *Doctas cognoscere Athenas.*] *Athenæ* civitas est Græciæ longè celeberrima, in qua bonarum litterarum mercatus amplissimus, unde doctrinæ, & eruditionis nomine celebratur.
Sic infrà lib. 3. Eleg. 19.

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas.

14. *Asiæ veteres divitias.*] De *divitiis Asiæ*, & luxu pluribus egit Cicero Orat. pro Lege Manilia, & pro Murena, & 1. ad Q. fratrem.
Horat. lib. Satyr. 7.

——— *Bruto Prætore tenente*
Ditem Asiam. ———

19. *Anteire patrui secures.*] Honorés, fasces, magistratus. De *securibus*, & cur vinctæ cum fascibus magistratibus præferrentur vide Plutarchum in Problemat. quæst. 82. Quis fuerit ille Tulli *patruus* incertum est, nisi fortè fuerit ille Lucius Volcatius Tullus, qui cum M. Lepido biennio ante Ciceronis Consulatum Consul fuit, de quo Horat. lib. 3. Od. 8.

Amphora fumum bibere instituta
Consule Tullo.

Fuit & L. Volcatius Tullus Collega Augusti in secundo Consulatu, ut refert Dio lib. 49.

20. *Vetera oblitis jura sociis.*] Refer, inquit, ô Tulle, jura antiqua sociis Provincialibus Asiaticis, qui jam ipsorum obliti sunt propter longa temporis intervalla.

23. *Puer iste.*] Cupido aliquando dicitur tantùm *puer*, ut hoc in loco, & Elegiâ proximè sequenti,

Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,

Aliquando etiam *Deus*, aliquando *ales* vocitatur. Infrà Eleg. 19.

Non adeo leviter nostris puer hæsit ocellis,

Multi longinquo periêre in amore libenter,
In quorum numero me quoque terra tegat.
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis;
Hanc me militiam fata subire volunt.
At tu seu mollis quâ tendit Ionia, seu quâ
Lydia Pactoli tingit arata liquor:
Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis
Ibis, & accepti pars eris Imperii.
Tum tibi si qua mei veniet non immemor hora,
Vivere me duro sidere certus eris.

INTERPRETATIO.

troma nequitia. Plures suâ sponte in amore diuturno mortui sunt, in quorum numero utinam me etiam humus contegat. Non ego sum natus ad gloriam, neque ad arma aptus; istud, quod gero, *bellum amoris me sequi decernunt fata; sed tu, ô Tulle, sive quâ sese mollis Ionia extendit, sive quâ Pactoli* fluvii *aqua vomeres Lydios inficit, sive pedibus per terram, sive navigio per mare iter facere voles, etiam accepti Imperii pars eris: tunc si aliquod tibi temporis momentum aderit, quo mei memineris, certò scies me gravi fato vitam ducere.*

ANNOTATIONES.

26. *Reddere nequitia.*] *Nequitia*, ut nonnulli volunt, est luxus vitæ prodigus & effusus; sæpiùs verò pro lascivia, petulantique libidine, vel inertia accipitur. *Nequitia* est libidinosa inertia, ut ait Donatus.

31. *Mollis Ionia.*] *Ionia* regio est minoris Asiæ ab *Ione* Xuthi filio sic dicta quo duce Athenienses plures in Asiam deduxerunt colonias, ut ait Vitruvius. *Mollis* autem Poëtæ dicitur, quia non solùm totus ille terrarum tractus *mollis*, & delicatus est ubi cœlum clementissimum, solum uberrimum, mitissima incolarum ingenia, sed etiam vita ibi ducitur mollior & nimiùm delicata.

32. *Lydia Pactoli tingit arata.*] *Lydia* ejusdem Asiæ minoris Provinciæ olim ditissimæ *Pactolus* est fluvius è Tmolo monte scaturiens, qui multa quondam auri ramenta deferre dicebatur, unde *aurifer* dictus est. Strabo lib. 13. ex aureis arenis *Pactoli* conflatas olim fuisse Crœsi divitias ait.

Arata arva, culta, sata; Alii legunt, *aratra*, & tunc dicendum est udas liquore *Pactoli* terras altiùs impressas vomeres aureo colore inficere.

36. *Vivere me duro sidere.*] Adversâ & iniquâ constellatione, seu fato, quia fati conscia sunt sidera.
Infrà lib. 4. Eleg. 1.
Et grave Saturni sidus in omne caput.

ELEGIA VII.

AD PONTICUM POETAM

DUM tibi Cadmææ ducuntur, Pontice, Thebæ,
  Armaque fraternæ tristia militiæ.
Atque, ita sim felix, primo contendis Homero,
  Sint modò fata tuis mollia carminibus.
Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores,
  Atque aliquid duram quærimus in dominam.
Nec tantum ingenio, quantum servire dolori
  Cogor, & ætatis tempora dura queri.
Hic mihi conteritur vitæ modus, hæc mea fama est,
  Hinc cupio nomen carminis ire mei.

INTERPRETATIO.

O PONTICE, *dum tibi canuntur Thebæ Cadmeæ, & prœlia luctuosa fraterni belli, & ita sim felix, cum Homero* Poëtarum *Principe de palma certas, dummodò fata sint propitia tuis versibus; nos, ut solemus, amores nostros tractamus,* sem*perque contra heram sævam aliquid excogitamus; neque tantùm cogor ingenio, quantum dolori indulgere, difficilesque hujus sæculi mores lamentari. Sic mihi vitæ tempus & ratio consumitur; ista est mea gloria, inde volo versuum meorum famam provenire.* O

ANNOTATIONES.

1. DUm tibi Cadmææ dicuntur, Pontice, Thebæ.] Ad *Ponticum* Poëtam amicum suum scribit Propertius, se in versibus amatoriis scribendis esse occupatum, quod idem facturum ipsum *Ponticum* deposito carmine heroïco, prædicit, si semel Cupidinis arcu confixus fuerit. Fuit autem *Ponticus* ille clarus heroïco carmine Poëta, utpote qui bellum Thebanum Polynicem inter & Eteoclem scripserit; cujus meminit Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 9. & ultimâ v. 47.

Ponticus heroo, Bassus quoque clarus iambis,
Dulcia convictus membra fuere mei.

Thebas autem vocat *Cadmeas* à *Cadme* conditore. *Thebæ* porrò civitas est Bœotiæ, quam *Cadmus* è Phœnicia in Græciam adveniens condidit. Vide Ovid. lib. 3 Metamorphos. & Statium lib. 1. Thebaid. Ex hac autem urbe originem duxerunt, Hercules, Bacchus & Pindarus Vates, sicut & Pelopidas & Epaminondas ambo suæ ætatis præstantissimi Duces. Ad illam urbem fuit fons celebris Dirce dictus, unde & passim à Poëtis ager Thebanus, Dircæus dicitur.

2. *Armaque fraternæ militiæ.*] Polynicis nimirùm & Eteoclis, quos inter se pugnare compulit ambitio tanto odio, ut sese mutuis vulneribus confoderint. Vide Diodorum Siculum Hist. lib 4. & Pausan in Bœotic.

3. *Ita sim felix.*] Asseverandi formula. Augustus apud Suetonium cap. 21. in Tiberio. *Jucundissime, & ita sim felix, vir fortissime,* &c

Primo contendis Homero.] Poëtarum Principi *Homero* Ponticum non veretur conferre Propertius, nondum enim ediderat Æneidem Virgilius, de qua infrà dicturus est lib. 2. Elegiâ ultimâ:

Nescio quid majus nascitur Iliade.

Me laudent doctæ solùm placuisse puellæ,
Pontice, & injustas sæpè tulisse minas.
Me legat assiduè post hæc neglectus amator,
Et prosint illi cognita nostra mala.
Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,
Quod nolim nostros eviolasse Deos:
Longè castra tibi, longè miser agmina septem
Flebis in æterno surda jacere situ.
Et frustrà cupies mollem componere versum,
Nec tibi subjiciet carmina serus Amor.
Tunc me non humilem mirabere sæpè Poëtam:
Tunc ego Romanis præferar ingeniis.

INTERPRETATIO.

Pontice, me prædicent ideò homines, *quòd tantùm fœmina erudita placuerim, ejusque iniquas frequenter passus sim iras. Deinde me jugiter legat amans contemptus; meaque mala nota ipsi prosint. Teque etiam, si puer iste* Deus *ineluctabili telo confixerit, quod non optarim tamen in te Divos meos attentasse. Procul erunt à te bella, procul infelix lugebis septem exercitus surdos in perpetuâ carie putrescere, atque in cassum voles tenerum carmen scribere Tardus enim Amor tibi versus non suggeret. Tum me frequenter admiraberis non ignobilem Poëtam;* ego enim *tum Romanis Poëtis antepenar, neque pete.*

ANNOTATIONES.

11. *Docta placuisse puellæ.*] Cynthiam doctam vocat, de qua jam suprà Eleg. 2. & infrà Eleg. 13. lib. 2.

Me juvet in gremio doctæ legisse puellæ,
Auribus & puris scripta probasse mea.

12. *Sæpè tulisse minas.*] Iram, sævitiam, & fastidia; puellæ enim iratæ proprium est *minari*, sævire, & fastidire.

14. *Cognita nostra mala prosint*] Malis alienis, & periculo alterius sapiat. Tibullus noster Eleg. 7 lib. 3.

Vos ego nunc moneo, felix quicumque dolore
Alterius discet posse carere suo.

15. *Puer hic.*] Cupido Deus Amoris, cui arcus tribuitur, & sagittæ, quibus animos hominum configens amoris ignibus inflammat.

17. *Longè castra tibi, longè agmina.* Carmina de bello Thebano à te cœpta, intermissa, & inculta jacebunt, & carie putrescent, neque versus heroici amplius à te scribentur; ubi semel sagittis Cupidinis percussus fueris. *Septem agmina*, seu exercitus dicit, propter septem duces qui ad expugnandas Thebas profecti sunt. Hi autem fuerunt, Adrastus, Polynices, Tydeus, Amphiaraüs, Hippomedon, Capaneus, Parthenopæus. Septem portò Thebarum portæ erant, quarum quisque ducum unam susceperat oppugnandam: unde septem erant ad septem portas urbis exercitus, juxta illud Ovidii Eleg. 1. lib. 2. Trist.

Cur tacui Thebas, & mutua vulnera fratrum,
Et septem portas sub duce quamque suo.

18. *Surda jacere.*] *Surda* sunt *castra* & *agmina*, quæ vocata respondere non possunt, nec ullo pacto juvare.

20. *Serus Amor.*] Qui serìus advenit. Facit autem *Amor* Poëtas, ut infrà Eleg. 1. lib. 2.

Ingenium nobis ipsa puella facit.

22. *Romanis ingeniis*] Pro, viris, seu Poëtis ingeniosis. Unde etiam Se-

Nec poterunt juvenes nostro reticere sepulchro,
Ardoris nostri magne Poëta, vale.
Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu;
Sæpè venit magno fœnore tardus Amor.

INTERPRETATIO.

tunt juvenes meo monumento illud silere: Hic situs es, ô magne doctor amoris nostri. Tu vide ne tuâ superbiâ meos versus amatorios *asperneris; frequenter* enim *serus amor advenit largo cum usura.*

ANNOTATIONES.

neca de Consolat. ad Palyb. cap. 8.

Intentatum Romanis ingeniis opus.

24. *Ardoris nostri*, &c. Amoris & magister & doctor, ut ignes & amores celebrasti; ut infrà lib. 5. Eleg. 15.

Virtutisque tua, Bacche, Poeta ferar.

Magne Poëta jaces.] Ut infrà lib. 2. Eleg. 14.

——— *Qui nunc jacet arida pulvis.*

Ovid. de morte Tibulli.

Carminibus confide bonis, jacet ecce Tibullus.

Nonnulli legunt, *magne Poëta, vale*, quod mortuis inclamari solebat, & inscribi tumulis.

Catullus in fratris Inferiis Carm. XCIX v. 10.

Atque in perpetuum ave, atque vale.

Virgil. lib. 11. Æneid.

——— *Salve æternum mihi maxime Palla,*
Æternumque vale. ———

Ad hæc Servius: *Vale dicimus mortuis, non quòd valere possint, sed quia id dicitur recedentibus à nobis.*

25. *Tuo fastu.*] Epicorum seu Heroïcorum Poëtarum superbiâ & tumore. Inflati enim dicuntur & grandiloqui, qui bella & Duces Carmine Heroïco celebrant Poëtæ.

26. *Venit magno fœnore tardus Amor.*] Dicitur à Doctis *Amor* acriùs urere, quò tardiùs & seriùs venit; & ita sui adventûs tarditatem acerbitate pœnæ compensat, ut ait Phædra apud Ovidium Epist. 4.

Venit Amor graviùs, quò seriùs, urimur intus, &c.

ELEGIA VIII.

AD CYNTHIAM.

TUNE igitur demens? nec te mea cura moratur?
  An tibi sum gelidâ vilior Illyriâ?
Et tibi jam tanti quicumque est iste, videtur,
  Ut sine me vento quolibet ire velis?
Tune audire potes vesani murmura ponti
  Fortis, & in dura nave jacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcire ruinas?
  Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?
O utinam hibernæ duplicentur tempora brumæ;
  Et sit iners tardis navita Vergiliis.
Ne tibi Tyrrhena solvatur funis arena,
  Neve inimica meas elevet aura preces:

INTERPRETATIO.

AN ergo tu insana es? neque te meus amor retinet? An tibi sum abjectior frigidâ Illyriâ. At nunc tibi tam carus, quisquis ille est, habetur, ut absque me quocumque vento ferri cupias? An tu sustinere vales fragores maris procellosi? Valesne etiam in dura rate requiescere secura? Tune potes, ô Cynthia, jacentes pedibus pruinas sustinere, & insuetas pati nives? ô utinam geminentur hyemalis brumæ tempestates, cessetque nauta Vergiliis serius exorientibus. Ut tibi rudens non rumpatur à littore Tyrrheno, atque infensus mihi ventus meа vota

ANNOTATIONES.

1. *TUne igitur.*] Cynthiam iter in Illyricum meditantem, divitiis & muneribus Prætoriis allectam revocat à proposito Propertius, precaturque ut sibi rivalem præferre nolit; quâ re impetratâ lætatur, seque beatum, quòd Cynthiæ sit carus, prædicat.

2. *Vilior Illyriâ.*] *Illyricum*, sive *Illyrium*, *Illyris*, & *Illyria*, regio Epiro contermina, ad oram maris Adriatici Italiæ opposita. De hac vide Plin. lib. 3. cap. 21. Strabonem lib. 7. & Appianum in *Illyrico*. *Illyrici* quædam plagæ, maximè verò quæ spectant ad Boream, montuosæ sunt, frigidæ, nivales; & prorsus asperæ, unde rectè noster Poeta *Illyriam* dicit *gelidam*. Illuc autem Cynthia profectura cum Prætore nescio quo dicebatur.

6. *Pedibus fulcare pruinas.*] Cynthiam à proposita peregrinatione dehortatur viarum pericula, locorumque asperitatem referendo.

9. *Tardis Vergiliis.*] Solitò tardiùs orientibus. *Vergiliæ* porrò sunt stellæ numero septem, in Tauro collocatæ, quæ & alio nomine *Pleiades* dicuntur, *ἀπὸ τοῦ πλέειν à navigando*; quia nempè his exorientibus, quod post vernum tempus accidit, liberrima est navigatio. De his vide Ovid. lib. 4. Fastorum Plin. lib. 2. cap. 41. & lib. 18. cap. 26. & 29. & Hygin. lib. 2. in *Taurus*.

10. *Tyrrhena arena.*] Hetrusco ex littore, id est, ab Ostiensi Portu, ex quo Romani navigantes oram solvebant.

Atque ego non videam tales subsidere ventos,
Cùm tibi provectas auferet unda rates.
Et me defixum vacuâ patiatur in ora,
Crudelem infestâ sæpè vocare manu.
Sed quocumque modo de me, perjura, mereris;
Sit Galatea tuæ non aliena viæ.
Ut te felici prævecta Ceraunia remo,
Accipiat placidis Oricos æquoribus.
Nam me non ul'æ poterunt corrumpere, de te
Quin ego, vita, tuo limine acerba querar.
Nec me deficiet nautas rogitare citatos:
Dicite, quo portu clausa puella mea est.
Et dicam, licèt Atraciis consideat in oris,
Et licèt Eleis, illa futura mea est.
Hic erit hîc, jurata mea est, rumpantur iniqui.
Vicimus: assiduas non tulit illa preces.

INTERPRETATIO.

irritet. Et utinam *non aspiciam hujusmodi ventos* cujusmodi tibi imprecor, *flaccescere, quando tibi jam in altum progressam navem fluctus abripient. meque attonitum deserto in littore feres* invisâ tibi *manu te crudelem frequenter revocare. At, ô perfida, qualicumque ratione de me mereris, Galatea adsit propitia tuæ navigationi, ut te faustâ navigatione prætervectam trans Ceraunia Oricus in tranquillo littore recipiat. Nulla enim me aliæ* puellæ *poterunt immutare; quamvis de te ad fores tuas conquerar; neque cessabo festinantes nautas percontari, nunciate.* quæso, *quo in portu amica* mea *recepta est? Atque dicam, quamvis Atraciis in regionibus, sive in Elaïs consistat, ipsa futura est mea. Hinc non aberit, hoc in loco juravit se mansuram. Disrumpantur malevoli. Victoriam obtinuimus; continuas preces nostras non*

ANNOTATIONES.

17. *Galatea.*] Maris est Nympha Polyphemo adamata, à cujus filio Illyrio dicta est Illyris regio. in quam proficisci meditabatur Cynthia, unde ipsi naviganti non absurdè *Galateam* in primis Propertius optat esse propitiam.

18. *Ceraunia.*] Montes sunt Epiri à crebris fulminum ictibus, quibus feriuntur, ita dicti. Vocantur alio nomine *Acroceraunia.*
Horat. lib 1. Ode 3.
Infames scopulos Acroceraunia.

19. *Oricos.*] In finibus Epiri civitas à Colchis condita, ut refert Plin. lib. 3. cap 23. quæ etiam *Oricum* alio nomine vocitatur, unde *Oriaca* terebinthus. Pompon. Mela lib. 2. cap. 3. *Urbium prima est Oricum, secunda Dyrrachium.*

24. *Atraciis in oris.*] *Atracii* populi sunt Ætoliæ, quos *Atracas* Plinius vocavit ab *Atrace* fluvio, qui mari Ionio infunditur, & à quo initium est Achaiæ. Vide Strabon. lib. 9. & Plin. lib. 4. cap. 11.

25 *Elaïs.*] *Elaus* civitas est Epiri apud Ptolomæum, atque etiam in Hellesponto ejusdem nominis est civitas apud Stephanum. *Elei* verò populi sunt Achaiæ seu Peloponesi, clarissimi propter Jovis Olympii templum, ludosque Olympicos omnium veterum Scriptorum monumentis celebratos ad urbem Olympiam non procul ab Elide & Pisa civitatibus Provinciæ Elidis.

Falsa licèt cupidus deponat gaudia livor:
Destitit ire novas Cynthia nostra vias,
Illi carus ego, per me carissima Roma
Dicitur: & sine me dulcia regna negat.
Illa vel angusto mecum requiescere lecto,
Et quocumque modo maluit esse mea:
Quam sibi dotatæ regnum vetus Hippodamiæ,
Et quas Elis opes antè parârat equis.
Quamvis magna dares, quamvis majora daturus,
Non tamen illa meos fugit avara sinus.
Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
Sed potui blandi carminis obsequio.
Sunt igitur Musæ, neque amanti tardus Apollo:
Queis ego fretus amo, Cynthia rara mea est.
Nunc mihi summa licet contingere sidere plantis;
Sive dies, seu nox venerit, illa mea est.
Nec mihi rivalis certos subducet amores,
Ista meam norit gloria canitiem.

INTERPRETATIO.

valuit sustinere. Abjiciat nunc, *si vult, ardens invidia ementitam lætitiam: Cynthia desiit adire ignotas peregrinationes. Ego sum illi dilectus, ipsique propter me dilectissima Roma habetur. & absque me nulla imperia sibi jucunda esse dicit. Ipsa potiùs optavit in exiguo etiam mecum jacere lectulo, & quomodocumque esse mea, quàm possidere antiquum divitis Hippodamiæ Imperium, ac quascumque divitias Elis equorum cursu sibi quondam congesserat. Licèt ingentia ipsi munera largireris, adhuc longè majora largiturus: Attamen ipsa meos amplexus, tanquam avara non refugit. Ipsam nequivi præmiis, aut muneribus, neque Indis gemmis demulcere, at mollis versus blanditiis. Adsunt ergo Musæ, nec amatori juvando segnis est Apollo: quorum ope nixus amo: Cynthia unica & singularis mea est. Jam mihi fas est sublimia astra pedibus calcare: sive dies, sive nox advenerit, Cynthia mea est. Jam æmulus immutabiles delicias mihi non eripiet. Hæc mea canities gloriam istam sentiat.*

ANNOTATIONES.

34. *Hippodamia.*] *Hippodamia* filia fuit Oenomai regis Elidis & Pisarum potentissimi, quæ regni hæres regnoque dotata Pelopi nupsit, unde dicitur regnum dotale accepisse, à quo Peloponesus nomen accepit. Vide Strab. lib. 8

35. *Elis.*] Achaiæ, seu potiùs Peloponesi regio, & urbs ejusdem nominis celeberrima Jovis Olympici Templo, & ludis Olympicis, ubi curule certamen agitabatur, ad quod equi undique nobilissimi mittebantur. Tibullus.

Qui prior Elæo est carcere missus equus.

38. *Indis conchis.*] *Indi* populi sunt Asiæ ad Solem Orientem remotissimi, & ad Oceanum Orientalem, qui dicitur *Indicus*, & in quo uniones, & lapilli, gemmasque conchæ parturientes colliguntur. De his vide Plin. lib. 9. capite 35.

Propert. lib. 2. Eleg. 23.

Indica quos medio vertice gemma tenet.

45. *Ista meam novit gloria canitiem.*] Hypallage: pro *mea canities istam gloriam sentiat, videat.*

ELEGIA IX.

ELEGIA IX.

AD PONTICUM.

DICEBAM tibi venturos, irrisor, amores,
Nec tibi perpetuò libera verba fore.
Ecce jaces, supplexque venis ad jura puellæ,
Et tibi nunc quovis imperat empta modo.
Non me Chaoniæ vincant in amore columbæ
Dicere, quos juvenes quæque puella domet.
Me dolor & lacrymæ merito fecêre peritum;
Atque utinam posito dicar amore rudis.
Quid tibi nunc misero prodest grave dicere carmen,
Aut Amphioniæ mœnia flere lyræ?

INTERPRETATIO.

O DERISOR, te monueram fore tibi feros amores, neque tibi semper fore liberas voces. En tu victus es & prostratus, atque jam supplex puellæ leges subis. jamque tibi quacumque vult ratione imperat nuper empta serva. Chaonia columba in amore non me superent divinando, quales viros quævis fœmina vincat. Dolor, & fletus me doctum reddiderunt, & faxint Dii, ut, abjecto amore, habear imperitus. Quid te jam juvat infelicem doctos canere versus, vel lamentari muros cythara Amphioniâ? Majorem vim habet

ANNOTATIONES.

1. *DIcebam tibi.*] Ponticus, de quo jam suprà, amore tandem cujusiam puellæ exarsit, quemadmodum ipsi Propertius significaverat; nunc verò ipsum hortatur, ut grandiloquo stylo deposito Elegos scribat; quandoquidem mollis Elegiarum Scriptor plus valet in amoribus, quàm quivis Vates heroici Carminis cothurno sublimis.

4. *Imperat empta.*] Quæ non ita pridem *empta* tibi est à præcone, tibi *imperat*. Sic illud Q. Ciceronis. *Amicam, quam palam domi haberet, de machinis emit.* Contrario prorsus sensu illius Proverbii: *Emendus cui imperes.*

5. *Chaonia columba.*] Epiroticæ; *Chaonia* enim pars est Epiri à *Chaone* Trojano sic dicta, ut canit Virgilius, lib. 3. Æneid.

——— *Qui Chaonios cognomine campos*
Chaoniamque omnem Trojano à Chaone dixit.

In *Chaonia* porrò fuit Dodona civitas, ad quam Nemus querneum fuit Jovi sacrum, quod Jovis Dodonæi Templum habuit, & in eo oraculum omnium, quæ apud Græcos fuerunt, vetustissimum. In hoc Oraculo columbas responsa dedisse consulentibus fabulati sunt Veteres, nemorisque etiam Dodonæi quercus vocales fuisse, quæ etiam Oracula edere solerent. Virgil. lib. 2. Georgic.

——— *Atque habita Graiis Oracula quercus.*

Unde per *Chaonias columbas*, seu aves, aut quercus Dodonæas intelligendum est Oraculum Jovis Dodonæi.

9. *Amphionia lyra.*] Ponticus Epico Carmine & grandi stilo bellum Thebanum scribebat, unde Propertius. Quid tibi nunc prodest Thebas, bellumque Thebanum describere, cùm

Nullus Amor cuiquam faciles ita præbuit alas,
Ut non alternâ presserit ille manu.
Nec te decipiat, quòd sit satis illa parata;
Acriùs illa subit, Pontice, si qua tua est.
Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine cedat Amor,
Qui non antè paret, donec cutis attigit ossa;
Quisquis es, assiduas aufuge blanditias.
Illis & silices, & possunt cedere quercus:
Nedum tu possis spiritus iste levis.
Quare, si pudor est, quamprimùm errata fatere;
Dicere quo pereas sæpè in amore levat.

INTERPRETATIO.

pennas cuiquam faciles exhibuit, quin ipse alternanti manu compresserit. Non te fallat, quòd puella affatim præsto adsit. O mi Pontice, si aliqua tibi est morigera, fortiùs se in animum tuum insinuat. Cùm enim jam non est fas oculos vacuos seorsim abducere, neque aliâ causâ vigilare permittat Amor, qui non priùs manifestus apparet, quam cutis ossibus conjuncta est; quicumque tu sis, continuas illecebras devita. His saxa etiam, & quercus possunt molliri; tantum abest, ut tu mollis homo possis non cedere. Itaque si tantillum pudet, confitere culpas tuas; prodest frequenter in amore declarare id, quo moriaris.

ANNOTATIONES.

27. *Alio nomine.*] Alterius puellæ causâ, vel pro altera puella.

29. *Donec cutis attigit ossa.*] Alii legunt, *manus attigit ossa*. Sed quomodocumque legatur, sensus est iste: Amor non antè manifestatur palam & apertè, quam emaciato corpore ossa cutem ipsam ita pertundant, ut manu ipsa undequaque tangi possint.

34. *Dicere quo pereas.*] Admonet magno sæpè levamento, solatioque esse, posse in amici sinum effundere dolorem suum, curas, & amores.

ELEGIA X.

AD GALLUM.

O Jucunda quies, primo cùm tèstis Amori
  Affueram vestris conscius in lacrymis!
O noctem meminisse mihi jucunda voluptas!
  O quoties votis illa vocanda meis!
Cùm te complexâ morientem, Galle, puellâ
  Vidimus in longam ducere verba moram.
Quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos,
  Et mediis cœlo Lunaruberet equis;
Non tamen à vestro potui secedere lusu:
  Tantus in alternis vocibus ardor erat.
Sed quoniam non es veritus concredere nobis,
  Accipe commissæ munera lætitiæ;
Non solùm vestros didici reticere dolores.
  Est quiddam in nobis majus, amice, fide.

INTERPRETATIO.

O Dulcis *& grata nox, quando novo* vestro *amori testis eram, socius in vestris fletibus! O suaves mihi deliciæ noctis illius recordari! O quoties meis precibus illa est veneranda. Quando te, ô Galle, ad mortem languentem amicâ tuâ amplectente, vixque longinquo temporis intervallo voces è pectore trahentem conspeximus. Quanquam inclinatos mihi jam oculos sopor invaderet, atque Luna luceret equis jam medium* Cœlum emensis. *Nihilominus nequivi vestris è jocis abire: Tantus in mutuis utrinsque vestris verbis amor erat. At quandoquidem* delicias tuas *non dubitasti mihi committere, habe gaudii* mihi *concrediti præmia. Non modò ego novi vestra silere mala; sed est etiam in me, ô amice, aliquid majus fidelitate. Ego enim pos-*

ANNOTATIONES.

1. O *Jucunda quies.*] Propertius ab amico Gallo ad amicam aliquando deductus, amorisque ejus conscius, cùm eorum delicias præsens inspexisset, non minus se gavisum esse testatur, quàm si ipse proprias voluptates percepisset; unde noctem illam laudat, quam Gallus inter amplexus, & oscula puellæ transegit: Deinde docet quomodo, quaque ratione amor sit diutissimè conservandus.

4. *Votis vocanda meis.*] *Vocantur votis* Dii, cùm vovendo aliquid ab iis petitur, ut adsint, & faveant. Virgil. lib. 1. Æneid.

—— *Vocabitur hic quoque votis.*

Idem lib. 1. Georgic. v. 42.

Et votis jam nunc assuesce vocari.

14. *Majus, amice, fide.*] Non solùm, inquit, didici servare fidem & silentium arcanis mihi commissis, sed etiam, quod majus est, possum in concordiam reducere amantes inter se diffidentes, medelasque salutares adhibere amatori languenti; artemque novi januæ, quæ segniùs & tardiùs aperitur, recludendæ, novisque amoribus mederi probè doctus sum, &c.

Possum ego divisos iterùm conjungere amantes,
Et dominæ tardas possum aperire fores:
Et possum alterius curas sanare recentes,
Nec levis in verbis est medicina meis.
Cynthia me docuit semper quæcumque petenda,
Quæque ferenda forent: non nihil egit Amor.
Tu cave ne tristi cupias pugnare puellæ,
Neve superba loqui, neve tacere diu:
Neu si quid petiit, ingratâ fronte negaris,
Neu tibi pro vano verba benigna cadant.
Irritata venit, quando contemnitur illa:
Nec meminit justas ponere læsa minas.
At quò sis humilis magis, & subjectus Amori,
Hoc magis affectu sæpè fruare bono.

INTERPRETATIO.

sum in gratiam & concordiam revocare discordes amantes, possum etiam heræ morantem reserare januam, neusque etiam possum alterutrius amoribus mederi, neque inane est in vocibus meis medicamentum. E Cynthia jugiter didici omnia quæ essent expetenda, & quæ fugienda. Aliquid Amor adimit. Tu vide, ne irata cum amica velis contendere, aut proferre voces imperiosas, aut diu silere. Neque tristi vultu recusaveris, si aliquid te rogavit; neque tibi frustra promissa magnifica excidant. Ipsa irritatur, cùm spernitur; neque soles offensa justas iras deponere. Sed quantò plus fueris facilis & subditus puellæ, tantò plus frequentem fructum capies obsequii. Ille poterit uni-

ANNOTATIONES.

19. *Cynthia me docuit,*] Expertus loquitur, ut suprà dixit Eleg. 9. hujus libri;

Me dolor & lacrymæ fecere peritum.

21. *Tu cave ne tristi,*] Præcipit obsequendum puellæ, neque cum ipsa irata altercationibus & rixis esse velitandum docet; quod etiam monet Ovidius lib. 2. de Arte amandi.

Cede repugnanti; cedendo victor abibis,

22. *Neve superba loqui, neve tacere diu.*] Mediocritatem in omnibus servandam præcipit; ut enim verba superba, animique impotentiam, aut ferocitatem significantia, odiosa sunt & invisa; sic pariter silentium immodicum, & diuturnum, quod vocat Alexander apud Q. Curtium obfirmatum, ingratum est, reprehensibile, & amicitiæ exitiosum.

24. *Non tibi pro vano.*] Docet nihil esse amicæ promittendum, quod nolis dare; meliùs est enim non promittere, quàm promissa non dare. Monet igitur Gallum, ut caveat ne verba benigna & liberalitatem sonantia sint irrita, sed ut si quid benignè promiserit, benignè etiam largiatur.

26. *At quo sis humilis.*] Obsequio sunt demulcendæ fœminæ, non superbiâ & fastu exasperandæ: ille enim qui summissè agit cum amicâ, amoris potiùs fruitur gaudio quàm qui insolenter se gerit: odit namque Venus superbiam, *supplicibusque favet*, ut ait Tibullus, ipseque Propertius Eleg. 1. hujus libri v. 10.

Tantum in amore preces, & benefacta valent.

Is poterit felix unâ remanere puellâ,
Qui nunquam vacuo pectore liber erit.

INTERPRETATIO.

câ contentus beatus] vivere amicâ, qui nusquam animo amotis *vacuo li-ber erit.*

ELEGIA XI.

AD CYNTHIAM.

ECQUID te mediis cessantem, Cynthia, Baiis;
Quâ jacet Herculeis semita littoribus,
Et modò Thesproti mirantem subdita regno,
Et modò Misenis æquora nobilibus,

INTERPRETATIO.

ANNS, *ô Cynthia, tibi in mediis Baiis etianti, quâ parte via ducitur Her-culeis littoribus, nuncque Thesproti imperio subjecta maria claris Misenis*

ANNOTATIONES.

1. *ECquid te mediis*, &c.] Cynthiam Poëta secessu Baiano fruentem, deliciisque, & amoribus alienis indulgentem percunctatur, utrum pristini sui amoris recordetur; monetque ut in urbem revertatur, Baiasque relinquat, ubi complures puellæ pudicitiæ decus, existimationisque gloriam amiserunt. Insuper Cynthiam sibi & parentes, & familiam, & omnia solam esse testatur.

2. *Baiis.*] *Baia* locus est in Campania amœnissimus ab omnibus Scriptoribus ferè commendatus. Unde Horatius.

Nullus in orbe locus Bails prælucet amœnis.

Illic erant aquæ, seu balneæ tùm sanandis morbis, tùm deliciis & voluptatibus accommodatissimæ. Seneca lib. 7. Epist. ad Lucilium dicit *Baias* vitiorum esse diversorium. *Baiæ* dictæ sunt à *Baio* Ulyssis socio. Vide Strabonem lib. 5.

2. *Herculeis semita littoribus.*] Non procul à Baiis fertur Hercules viam munivisse, quâ Gerionis boves traduceret, quæ inde dicta est *Herculea semita*. Vide Strabon. lib. 5.

3. *Thesproti subdita regno.*] *Thesprotus* filius fuit Pelasgi, à quo *Thesprotia* Epiri regio, Chaoniæ vicina dicta est. Unde *Thesprotia* propriè pars est Epiri, cujus incolæ *Thesprotii* olim regionem eam, in qua Cumæ sunt & Puteoli, occupaverunt, & quia Baiæ vicinæ sunt his locis, totum tractum illum vocat Poëta *Thesproti regnum*, ut Francia vocatur à Francis occupata, Gallia, Normannia à Normannis, &c.

4. *Misenis.*] Numero plurali significat *Misenum* Portum, & Promontorium Campaniæ non procul à Cumis, nomen habens à *Miseno* tibicine Troiano, Ænææ socio illic sepulto: ut refert Virgil. lib. Æneid. 6.

Nostri cura subit memores abducere noctes ?
Ecquis in extremo restat amore locus ?
An te nescio quis simulatis ignibus hostis
Sustulit è nostris , Cynthia , carminibus ?
Atque utinam mage te remis confisa minutis
Parvula Lucrinâ cymba moretur aquâ :
Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda
Alternæ facilis cedere lympha manu :
Quàm vacet alterius blandos audire susurros
Molliter in tacito littore compositam ,
Ut solet amoto labi custode puella
Perfida , communes nec meminisse Deos.
Non quia perspectâ non es mihi cognita famâ ,
Sed quòd in hac omnis parte timetur amor.
Ignosce igitur , si quid tibi triste libelli
Attulerint nostri ; culpa timoris eris.
An mihi non major caræ custodia matris?
Aut sine te vitæ cura sit ulla meæ ?
Tu mihi sola domus , tu , Cynthia , sola parentes ,
Omnia tu nostræ tempora lætitiæ.

INTERPRETATIO.

vicina admiranti cura est noctes nostri memores transigere ? Quanam verò su-perest pars nobis *in amore externe ? Num te , ô Cynthia , nescio qualis ini-micus fictis suis amoribus te delevit è meis versibus ? & utinam potiùs te exi-gua navicula freta parvulis remigiis retineat in undis Lucrinis : vel te ser-vet benè tectam in alveo Teuthrantis aqua docilis pelli manu alternanti : quam tibi sit etiam jacenti molliter in secreto littore audire dulces alterius* amatoris *susurros , quemodo consuevit infidelis fœmina amoto custode peccare , neque Dives communes recordari. Non quòd non sit mihi nota existimatione exploratâ , verùm quia in hoc casu omnis amor reformidatur. Ergo condo-nabis mihi , si quid tibi molestum at-tulerint libri mei. Nostri metûs eris culpa. An mihi sit diligentior conserva-tio dilectæ matris* meæ *, vel absque te vita mea sit ulla* mihi *cura ? O Cyn-thia , tu una mihi es parentes ; tu de-*

ANNOTATIONES.

10. *Lucrinâ cymba moretur aquâ.*] *Lucrinus* lacus est Campaniæ , atque etiam sinus juxta Baias, ut refert Stra-bo lib. 5. & Plin. lib. 3. cap. 5. Flo-rus lib. 1. *Tepentes fontibus aqua Baiæ, Lucrinus & Avernus , quadam maris ostia.*

11. *Teuthrantis in unda.*] Fluvii cu-jusdam non procul à Baiis nomen. Apud Strabonem lib. 6. urbs est Ita-lia in regione vicina Tarento.

16. *Communes Deos.*] Hi sunt quos pari consensu colunt & venerantur ama-tor & amica , per quorum Numina mutuâ inter se fide per jusjurandum amantes adstringuntur ; vel qui ubique ab omnibus coluntur ; vel qui modò his , modò illis favent : ut Fortuna , Mars , &c. Amatorum Dii peculiares sunt Venus , Cupidines , &c.

Seu triſtis veniam , ſeu contrà lætus amicis:
  Quicquid ero , dicam , Cynthia cauſa fuit.
Tu modò quamprimùm corruptas deſere Baias;
  Multis iſta dabunt littora diſſidium :
Littora quæ fuerunt caſtis inimica puellis:
  Ah pereant Baiæ crimen amoris aquæ.

INTERPRETATIO.

nique es omne mihi tempus gaudii, Sive ab amicis redeam mœſtus , ſive è contrario gaudens , & hilaris. Quodcumque ero , dicam , Cynthia fuit cauſa. Tu nunc infectas Baias quàm citiſſimè relinque. Pluribus enim *ora illa maritima diſcordiam afferet : ora , inquam , illa maritima , quæ fuit pudicis fœminis inimica. Heu pereant aquæ Baianæ , amoris dedecus & infamia.*

ANNOTATIONES.

50. *Baiæ aquæ.*] De *Baianis aquis* jam ſuprà pluribus. Vide Plinium lib. 31. cap. 2.

ELEGIA XII

ELEGIA XII.

AD CYNTHIAM

QUID mihi desidiæ non cessas fingere crimen ;
Quòd faciat nobis conscia Roma moram ?
Tam multa illa meo divisa est millia lecto ,
Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.
Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores
Cynthia , nec nostrâ dulcis in aure sonat.
Olim gratus eram, non illo tempore cuiquam
Contigit , ut simili posset amare fide.
Invidiæ fuimus : num me Deus obruit ? An quæ
Lecta Prometheis dividit herba jugis ?

INTERPRETATIO.

CUR non desinis inertiæ crimine me falsò insimulare ? quia me Roma meorum amorum testis detinet. Cynthia tot milliaribus à meo thoro disjuncta est , quot Hypanis à Veneto Eridano dissitus est ; neque mihi solitos Cynthia complexibus alit amores , neque blanditias auribus meis insusurrat. Ipsi quondam acceptus , & carus eram ; tunc nulli hominum concessum est ut pari fidelitate amare posset ; at invidiæ fuimus. An me Deus oppressit ? An herba quæ

ANNOTATIONES.

1. QUid mihi desidiæ , &c.] *Desidiæ* fuerat Propertius à quodam amicorum accusatus , cujus desidiæ causam in amorem Cynthiæ rejiciebat ; à qua tantillum discedere , nec ejus causa valeret urbem relinquere : sed respondet rem ita sese habere non posse , cùm , quamvis sit Romæ , à Cynthiæ consortio & amplexu non modò sit disjunctissimus , utpote quæ secessu Baiano fruatur , sed etiam ab ipsius amore ita alienatus , ut ipsum prorsus oblivioni tradiderit. Deinde conqueritur se non posse Cynthiam alloqui , neque in ullam aliam puellam amorem suum transferre , adeo ut Cynthia sicut ipsius fuit primus amor, futura sit etiam ultimus.

4. *Hypanis.*] Nomen est duorum fluminum , quorum alterum est in India. De quo Plin. lib. 4. cap. 12. qui ibidem scribit apud hoc flumen nasci quasdam bestiolas , quæ diem unum solummodò vivant *Hypanis* alter fluvius est Scythiæ Borísthеni vicinus, quem Solinus cap. 20. principem ait esse amnium Scythicorum , purum , & haustu saluberrimum , usque dum Callipidum terminis inferatur , ubi fons Exampeus infamis est , amarâ scaturigine : qui Exampeus admixtus fluori amnem *Hypanim* vitio suo vertit , adeo ut sibi dissimilis , potuique inutilis ob amaritiem , in maria condatur ; unde qui in principiis *Hypanim* norunt , eum prædicant , qui in fine experti sunt , non injuriâ execrantur.

Veneto Eridano.] *Eridanus* fluvius est Italiæ celeberrimus alio nomine *Padus* nuncupatus , à Virgilio fluviorum rex appellatus. Dicitur autem Propertio *Venetus* quia in mare Adriaticum intra Venetorum fines effunditur, & per illud flumen *Venetiam* navigatur.

9. *Invidiæ fuimus.*] Magna semper

Non ſum ego, qui fueram; mutat via longa puellas.
  Quantus in exiguo tempore fugit Amor!
Nunc primùm longas ſolus cognoſcere noctes
  Cogor, & ipſe meis auribus eſſe gravis.
Felix qui potuit præſenti flere puellæ:
  Non nihil aſperſis gaudet Amor lacrymis.
Aut ſi deſpectus potuit mutare calores;
  Sunt quoque tranſlato gaudia ſervitio.
Mi neque amare aliam, neque ab hac diſcedere fas eſt,
  Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

INTERPRETATIO.

collecta eſt in montibus Prometheis nos diſtrahet? Non ſum is jam, qualis olim *eram. Diuturnum iter immutat animum fœminarum. At quàm magnus Amor brevi tempore periit. Nunc primùm ſolus compellor longas noctes experiri, meiſque auribus ipſe eſſe moleſtus. Beatus ille qui præſentem amicam lacrymis potuit movere. Interdum delectatur Amor fletibus effuſis. Vel ſi contemptus valuit ignes ſuos aliò transferre, eſt etiam nonnulla voluptas in mutandis amoribus. Mihi verò neque licet alteram amare*, quàm Cynthiam, *neque ipſam deſerere. Cynthia mihi fuit* amoris *initium, Cynthia etiam mihi ardor ultimus erit.*

ANNOTATIONES.

bona, veraque gaudia invidiæ fuerunt obnoxia. Unde Petron. *Fruerque votis uſque ad invidiam felicibus.*

Num me Deus obruit. *Deus* ille eſt vel Fortuna, vel Nemeſis, vel Venus, vel Cupido ipſe, vel etiam Jupiter Deorum ſupremus.

10. *Prometheis jugis.*] Caucaſus mons intelligitur, in cujus vertice religatus fuiſſe dicitur *Prometheus*, quòd ignem eſſet Jovi furatus, mortalibuſque tradidiſſet; ob idque *Prometheum* ibidem eâ affici pœnâ, ut vultur ejus jecur continuò renaſcens dilaniaret, fabulati ſunt. Dicunt igitur in Caucaſo monte ex ſanguine *Promethei* herbas noxias & venenoſas naſci, quæ legebantur à Veneficis ad incantationes & magicos uſus. Seneca in Medea.

Congerit in unum frugis infauſta mala
  Quæ fert opertis hyeme perpetuâ jugis
Sparſus cruore Caucaſus Promethei.

20. *Cynthia prima fuit &c.*] Ita ferè noſter Poëta Eleg. 21. lib. 2.

Ultima talis erit, quæ mea prima fides.

Ovid. 14. Metamorphoſ.

Tu primus & ultimus illi
Ardor eris.

ELEGIA XIII.

AD GALLUM.

TU, quod ſæpè ſoles, noſtro lætabere caſu;
Galle, quòd abrepto ſolus amore vacem.
At non ipſe tuas imitabor, perfide, voces.
Fallere te nunquam, Galle, puella velit.
Dum tibi deceptis augetur fama puellis,
Certus & in nullo quæris amore moram:
Perditus in quadam tardis palleſcere curis
Incipis, & primo lapſus adire gradu.
Hæc erit illarum contempti pœna doloris:
Multarum miſeras exigit una vices.
Hæc tibi vulgares iſtos compeſcet amores,
Nec nova quærendo ſemper amicus eris.
Hæc ego non rumore malo, non augure doctus,
Vidi ego, me, quæſo, teſte negare potes?
Vidi ego te toto vinctum langueſcere collo,
Et flere injectis, Galle, diu manibus;

INTERPRETATIO.

O GALLE, *tu, quod frequenter conſuevisti, meo infortunio gaudebis, quòd, abductâ amicâ, vacuus & otioſus jaceam: ſed ego tuos ſermones, ô perjure, non imitabor, nulla fœmina te decipere cupiat. Dum tibi delusis puellis creſcit nomen, nulloque in amore fidus cupis conſtantiam; correptus cujuſdam* puellæ *amore incipis pallere ſeris curis, ipſamque adire deficiens in primo limine. Iſta tibi ſupplicium erit ſpreti aliarum amoris;* Illa *ſola repoſcet à te infelicem multarum talionem. Iſta tibi communes illos amores coërcebit, neque jam perpetuò amator eris novæ ſemper amicas venando. Ego iſta non novi ex mala fama, neque ab Auſpice eruditus*, ſed ipſe *conſpexi. An, oro, me conſcio, inficiari ſuſtines? Ego ſanè te conſpexi, ô Galle, totis cervicibus* puellæ *implexum languere, brachiiſque* ejus collo *diu implicasse la-*

ANNOTATIONES.

1. *TU quod ſæpè ſoles.*] Jocatur Poëta cum ſuo Gallo, dicitque ipſum tandem, qui puellas omnes fallere conſueverat, nullique prorſus fidem ſervare noverat, cœpiſſe unam efflictim & conſtanter deperire, ut illa una aliarum omnium, quibus illuſerat, injurias ulciſceretur. Probat denique amores Galli, cujus puellam ipſo Jove dignam eſſe & pulcherrimis, quæ fuerint uſquam, fœminis formoſitate præſtare dicit.

2. *Galle.*] *Gallum* fuiſſe rivalem & æmulum Propertii jam ſuprà vidimus Eleg. 5. præſentis libri.

6. *In nullo quæris amore moram.*] Multarum puellarum delectaris amores nullamque verè amas; quod etiam à Leſbia factitari ſcribit Catullus.

10. *Exigit una vices.*] Unica illa

Et cupere optatis animam deponere verbis,
  Et quæ deinde meus celat, amice, pudor.
Non ego complexus potui diducere vestros:
  Tantus erat demens inter utrosque furor.
Non sic Æmonio Salmonida mixtus Enipeo
  Tænarius facili pressit amore Deus.
Nec sic cœlestem flagrans amor Herculis Heben
  Sensit in Oetæis gaudia prima jugis.
Una dies omnes potuit præcurrere amantes:
  Nam tibi non tepidas subdidit illa faces.
Nec tibi præteritos passa est succedere fastus,
  Nec finet abduci, te tuus ardor aget.
Nec mirum, cum sit Jove digna, & proxima Ledæ,
  Et Ledæ partu, gratior una tribus.

INTERPRETATIO.

erymari, ac desiderato jucundis vocibus animam effundere, aliaque, ô amice, qua pudor meus silet. Non ego valui vestros amplexus divellere; adeo magnus erat insanus inter vos invicem amor. Tænarius Deus blando Cupidine commixtus Enipeo Æmonio non tam arctè complexus est Salmonidem, neque Hercules ardens amore cœlestis Hebes in Oëtæis verticibus ita percepit primam conjugii lætitiam. Unica lux potuit anteire omnes amantes; non enim puella tibi subjecit lentos ignes; neque tulit antiquam tuam superbiam tibi feliciter habere successus, neque sibi te permittet eripi. Te tuus affatim *amor agitabit. Neque hoc* erit *mirabile; quandoquidem est* ipso *Jove digna, & Ledæ formâ simillima, atque Ledæ partui* collata illa *una* est *trium jucundissima.*

ANNOTATIONES.

puella, quam modò deperis, à te sumes pœnas illas, quas tu plures alias ferre coegisti.

21. *Æmonio Enipeo.*] *Enipeus* fluvius est Thessaliæ, quæ & *Æmonia*, unde *Æmonius Enipeus* Propertio nostro dicitur. Porrò *Enipeus* irrigatis Campis Pharsalicis in Apidanum influit, ubi nomen amittit. Est & alius ejusdem nominis fluvius *Enipeus* in Elide, cui alii Scriptores tribuunt, quod hic Propertius Thessalico *Enipeo*.

Salmonida.] Tyro Salmonei filia, quæ fluvium Enipeum adamavit; quam quidem Neptunus Enipei fluvii assumptâ formâ & specie compressit, ex eaque liberos suscepit Peliam & Neleum. Idem Propert. infra lib. 3. Eleg 19.

Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo
Quæ voluit liquido tota subire Deo.

22. *Tænarius Deus mixtus.*] Neptunus dictus est *Deus Tænarius* à *Tænaro* monte seu Promontorio Laconiæ in Peloponeso, ubi Templum habuit celebre. Dicitur etiam *mixtus Enipeo*, quia, ut jam diximus, transformatus in formam *Enipei* Salmonidis potitus est amoribus, quæ fluvium *Enipeum* ardenter amabat.

23. *Amor Herculis Heben.*] Postquam *Hercules* in Oœta monte mortalitatem exuisset, jamque Deus factus esset, *Heben* Junonis filiam, juventutis Deam duxit uxorem, utpote quam efflictim deperibat.

24. *Oetæis jugis.*] Oeta mons est Thessaliæ Doridi incumbens, morte & sepulcro Herculis nobilitatus; unde

Illa sit Inachiis, & blandior Heroinis,
  Illa suis verbis cogat amare Jovem.
Tu verò quoniam semel es petiturus amore,
  Urere: non alio nomine dignus eras.
Quæ tibi sit felix, quoniam novus incidit error,
  Et quodcumque voles, una sit ista tibi.

INTERPRETATIO.

Ipsa etiam est Inachiis heroïnis formosior; ipsa suis vocibus ipsum Jovem in sui amorem pertrahere potest; sed quandoquidem tibi constitutum est amore petiro; arde; non aliam flammam merebaris. Ista tibi sit fausta & fortunata puella; quandoquidem novus evenit error; istaque tua amica sit tibi sola quidquid poteris desiderare.

ANNOTATIONES.

nomen factum est Tragœdiæ Senecæ, quæ *Hercules Oetaus* inscribitur.

29. *Leda.*] *Leda* fuit Thestii filia, Tyndari Laconiæ Regis uxor, quam cum Jupiter adamaret, in cygnum mutatus cum ipsa concubuit, ex eaque nati sunt Castor, & Clytemnestra, Pollux, & Helena.

30. *Gratior una tribus.*] Dicit Poëta amicam Galli formosiorem esse tribus, nempe Clytemnestrâ, & Helenâ. quæ sunt partus, seu filiæ *Ledæ*, atque etiam ipsâ *Ledâ*, unde bis assumendum est vocabulum illud *Proxima*, *Leda* nimirùm, & partui *Ledæ*, nempè Helenæ & Clytemnestræ. Dixit verò Poëta, *partu*, pro *partui*, ut Veterum doctissimi sæpiùs locuti sunt.

31. *Inachiis Heroinis.*] *Inachias Heroinas* appellat, Argivas, & Græcas omnes puellas, quæ fuerunt vel Deorum filiæ, vel Heroum uxores. Porrò *Inachus* Rex fuit Argivorum, qui neptem habuit Nioben, & filiam Io, unde aliæ quoque formosæ puellæ prognatæ, quæ etiam *Heroinæ* dicuntur.

34. *Urere.*] Sine te consumi, & perire istâ flammâ.
Ut Virgil.

Uritur infelix Dido. ———

Non alio lumine dignus.] Sic Horat. lib. 1. Od. 27.

Digno puer meliore flammâ.

35. *Novus incidit error*] *Errorem* posuit pro *Amore*; ostenditque fortunam in amore dominari, quoniam casu accidit, & præter Galli opinionem, ut unam ex animo puellam adamaret.

Quodcumque voles, una sit.] Quia Gallus, omnivolus est, ut de Jove dixit Catullus, optat Poëta, ut ipsi amica illa, quam unam deperit, multarum, vel omnium sit loco, ut suprà dixit de Cynthia.

Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,
Omnia tu nobis tempora lætitiæ.

ELEGIA XIV.

AD TULLUM.

TU licèt abjectus Tiberinâ molliter undâ
Lesbia Mentoreo vina bibas opere:
Et modò tam celeres mireris currere lintres,
Et modò tam tardas funibus ire rates:
Ut nemus omne suas intendat vertice silvas,
Urgetur quantis Caucasus arboribus.
Non tamen ista meo valeant contendere amori;
Nescit Amor magnis cedere divitiis.
Nam sive optatam mecum trahit illa quietem,
Seu facili totum ducit amore diem;
Tunc mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
Et legitur rubris gemma sub æquoribus.

INTERPRETATIO.

O TULLE, *tu quamvis amœniter jacens in ripa Tiberina merum potes Lesbium in labore Mentoreo, ac contempleris nunc naviculas fluviales celeriter natare, & nunc cymbas adeò pigras funibus ferri per fluvium; & quomodo tota tua silva arbores consitas* longè latéque *cacumine expandat, qualibus premitur arboribus Caucasus; Attamen hæc meo cum ardore non possunt conferri. Non novit Amor cedere magnis* etiam *opibus. Sive enim Cynthia mecum ducit jucundam noctem, sive blando amore lucem consumit; tum mihi in ædes meas aurea Pactoli aquæ illabuntur; tum mihi colliguntur unio-*

ANNOTATIONES.

1. *TU licèt abjectus.*] Ad Tullum deliciis indulgentem scribit Poëta se Cynthiæ suæ amorem voluptatibus aliis omnibus, & quibuscumque divitiis, & opibus anteponere.

2. *Lesbia Mentoreo vina opere.*] *Vinum Lesbium* inter generosa vina commendatur ob suavitatem, & innocentiam, utpote adeò sit gratum & innoxium, ut qui eo largiùs utatur, nihil intemperanter, nihil iracundè, nihil furiosè agat.
Unde Horat. lib. 1. Od. 17.

Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbra.

Notum est Aristotelis judicium de *vino Lesbio* apud Gellium lib. 13. cap. 5. *Vinum* porrò *Lesbium*, Methymnæum alio nomine vocatur, à Methymna civitate Lesbi. Vide infrà Propert. lib. 4. Eleg. 8. & Plin. lib. 14. cap. 7.

Mentoreum autem *opus* dixit Poëta vasa aliqua pretiosa, seu pocula, arte & industriâ *Mentoris* Sculptoris, seu vascularii celeberrimi elaborata. Plin, lib. 33. cap. 11. *Crassus Orator duos Mentoris scyphos emit H S. centum.* Martial.

Solus Mentoreos habes labores.

5. *Ut nemus.*] Villam Tulli intelligit, in qua fuit jucundum & amœnum *nemus*, qualia etiam in ædibus suis Romani habere solebant.
Unde Tibull. lib. 3. Eleg. 3.

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos.

6. *Caucasus.*] Mons est Asiæ altissimus & latissimè patens ad tractus Se-

Tum mihi cessuros spondent mea gaudia Reges,
Quæ maneant, dum me fata perire volent.
Nam quis divitiis adverso gaudet amore?
Nulla mihi tristi præmia sint Venere.
Illa potest magnas heroum infringere vires:
Illa etiam duris mentibus esse dolor.
Illa neque Arabium metuit conscendere limen,
Nec timet ostrino, Tulle, subire thoro,
Et miserum toto juvenem versare cubili.
Quid relevant variis serica textilibus?
Quæ mihi dum placata aderit, non ulla verebor
Regna, nec Alcinoï munera despicere.

INTERPRETATIO

nes & margarite in litteribus Erythreu. Tum mihi delicta mea pollicentur Reges etiam non esse mecum de felicitate certaturos. Utinam ista gaudia perseverent, donec me Faterum lex mortem obire decreverit. Quis enimverò opibus delectatur, adverso Cupidine, & infauste amore? Nulla mihi sint opes, si Venus mihi sit irata. Hac enim Dea potest ingens Heroum robur contundere: Hac potest quoque ferreos etiam animos cruciare. Neque ista timet, ô Tulle, Arabium limen trajicere, neque veretur in lectum purpureum irrepere, atque adolescentem amore perditum omni thoro huc illuc volutare. Quid prosunt serica vestis cum versicoloribus textilibus? Dummodò autem *puella mea facilis mihi adsit, nulla imperia, neque etiam Alcinoi opes contemnere, & pro nihilo habere pertimescam.*

ANNOTATIONES.

ptentrionales. Indiam à Scythia dirimens, cacumina habens prærupta perpetuisque nivibus contecta.

11. *Pactoli liquores.*] *Pactolus* fluvius est Lydiæ, quem fabulantur aureas quondam traxisse aquas. Significat Poëta cùm sua fruitur Cynthia, sibi videri habere divitias, & aurum *Pactoli*, omnesque gemmas, lapillos, & uniones, qui in mari Indico colliguntur.

19. *Arabium limen.*] *Arabius lapis*, quem alii Alabastritem, alii Onychem, vel Onychitem, commendatur à Plinio lib. 36. cap. 21. Species est marmoris eximii, & candidi, ex quo olim columnæ & limina ædium fiebant.

22. *Serica textilibus.*] Stragula sunt texendo facta, quæ & *Babylonica peristremata*.

24. *Alcinoi munera.*] Phæacum Rex fuit *Alcinous*, cujus opulentiam lib. 7. Odysseæ celebravit Homerus, in primisque ejus ædes magnificentissimè structas laudat, & hortos, & viridaria, ubi arbores erant semper pomiferæ. Idem etiam Homerus ibidem narrat quibus donis & muneribus Ulyssem donaverit *Alcinous*, qui eidem Ulyssi abeunti, superbas vestes, ingentem tripodem, magnum lebetem, multumque auri & argenti dedit: ad quæ munera videtur alludere Propertius.

ELEGIA XV.

AD CYNTHIAM.

SÆPE ego multa tuæ levitatis dura timebam;
 Hac tamen exceptâ, Cynthia, perfidiâ.
Aſpice me quanto rapiat Fortuna periclo:
 Tu tamen in noſtro lenta timore venis:
Et potes externos manibus componere crines;
 Et longâ faciem quærere deſidiâ:
Nec minus Eois pectus variare lapillis,
 Ut formoſa novo quæ parat ire viro.
At non ſic Ithaci digreſſu mota Calypſo
 Deſertis olim fleverat æquoribus.
Multos illa dies incomptis mœſta capillis
 Sederat, injuſto multa locuta ſalo:
Et quamvis nunquam poſthac viſura, dolebat
 Illa tamen longæ conſcia lætitiæ,

INTERPRETATIO.

O CYNTHIA, *frequenter ego pertimeſcebam omnes inconſtantia tua acerbitates, iſtâ tamen infidelitate demptâ. Vide, quàm magno diſcrimine agitet me Fortuna; attamen tu nihil metu meo commoveris, neque te pudet propriis manibus peregrinas & emptas comas fingere, prolixoque otio formam tibi conciliare.* Neque erubeſcis *Orientalibus gemmis variè pectus exornare quaſi pulcra puella, qua ad novum maritum deduci apparatur. Sed non ita Calypſo dolens diſceſſum Ithaci quondam in deſerto littore lamentata eſt. Ipſa enim per plurimos dies inornatis crinibus lugens ſedit multis verbis de mari iniquo conquerens: & licèt nunquam deinceps viſura eſſet* Ulyſſem, *ipſa ni-*

ANNOTATIONES.

1. *SÆpè ego multa tua levitatis.*] Perfidiam exprobrat Cynthiæ, quæ, quamvis ipſe in magnum vitæ periculum fuiſſet adductus, nihil omninò de eo laboraret, neque aliquid de priſtino formæ colendæ, cultuſque parandi ſtudio omitteret; cùm tamen in tam adverſa Poëtæ fortuna omnes corporis ornatus deponere debuiſſet. Nihilominus tamen negat ſe ullo prorſus modò aut injuriâ poſſe adduci, ut ab amore ſuæ Cynthiæ recedat. Quodnam verò periculum ſubierit Propertius nefas eſt nobis divinare.

6. *Faciem longâ quærere deſidiâ.*] Simile eſt illud Terentii in Heautont.

Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt.

Ita etiam Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 13. de Hortenſio, quòd *faciem ſpeculo quæreret.*

9. *Ithaci digreſſu mota Calypſo.*] *Ithacus* dictus eſt Ulyſſes ab *Ithaca* Inſula, cujus rex erat.

Unde etiam illud Virgil. lib. 2. Æneid.

Hoc Ithacus velit, &c.

Atque etiam illud ibidem.

Hic Ithacus Vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios.

Alphesibœa suos ulta est pro conjuge fratres,
Sanguinis & cari vincula rupit Amor.
Nec sic Æsonidem rapientibus anxia ventis
Hypsipyle vacuo constitit in thalamo.
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Ut semel Æmonio tabuit hospitio.
Conjugis Evadne miseros elata per ignes
Occidit Argivæ fama pudicitiæ.
Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
Tu quoque uti fieres nobilis historia.
Desine jam revocare tuis perjuria verbis,
Cynthia, & oblitos parce movere Deos.

INTERPRETATIO.

biliominus diuturni conscia gaudii gemebat. Alphesibœa suos punivit germanos propter suum *maritum occisum*, *amorque* conjugis *nec ffitudinem generis dilecti dissolvit. Neque sic Hypsipyle conquesta ventis rapientibus Æsonidem de* [illegible] *remansit in lectulo viduo. Hypsipyle nullos deinceps alios amores experta est, postquam semel Æmonium hospitem amissum dolens ingemuit. Evadne decus & gloria Argivæ castitatis exusta per infelicem mariti rogum periit. Harum* autem Heroidum *nulla potuit* suo *exemplo tuum ingenium mutare, ut etiam in sermonibus hominum, & fama celebris fieres. O Cynthia, abstine falsa juramenta renovare, Divosque illa* forsan *oblitos ad iram incita.*

ANNOTATIONES.

Calypso.] Atlantis fuit filia, quæ in Insula Ogygia regnavit, ubi Ulyssem aliquandiu detinuit amore ejus capta, quem etiam, Diis jubentibus, discedentem invita dimisit, & cujus discessum tantopere doluit, ut Diis ipsis irata sese interfecerit. Vide Homer. lib. 5. & 7 Odyss.

15. *Alphesibœa suos fratres.*] *Alphesibœa* filia fuit Phegei, quam Alcmæon donato monili, quod matri Eriphylæ detraxerat, uxorem duxit: sed posteà ipsam Alcmæon relinquens Callirhoen Acheloi filiam accepit in uxorem; cui ut morem gereret rediit ad *Alphesibœam*, ut ab ipsa monile, quo ab ipso donata fuerat reciperet, quamobrem à fratribus *Alphesibœa* occisus est. Quod quidem factum molestissimè ferens *Alphesibœa* Alcmæonis mortem ulta dicitur à Propertio, fratresque ipsos obtruncasse. Sed alii rem aliter gestam narrant, factumque hoc Callirhoes filiis adscribunt.

17. *Æsonidem.*] Jason dictus est *Æsonides* ab *Æsone* patre.

18. *Hypsipyle.*] Thoantis filia sola fœminarum Lemniarum patrem incolumem servavit, cùm reliquæ omnes ex communi sententia viros, atque etiam cognatos, & parentes etiam occidissent; cumque esset Regina Insulæ Lemni Jasonem cum Argonautis ad Vellus aureum asportandum properantem hospitio thalamoque excepit, ex quo duos liberos suscepit. Vide Ovid. Epist. *Hypsipyles* ad Jasonem.

20. *Æmonio.*] *Æmonius* dicitur Jason ab *Æmonia*, quæ & Thessalia dicitur.

21. *Evadne.*] Capanei in bello Thebano Ducis & bellatoris egregii uxor, quæ tanto amore conjugem Capaneum prosequebatur, ut cùm in bello occubuisset, in ejus rogum ardentem seipsa conjecerit.

22. *Argiva pudicitia.*] *Argivi* dicti sunt Græci, ab *Argis*. Ubi Juno præcipuè colebatur, unde *Argiva* Juno apud Virgil. lib. 3. Æneid.

Audax ah nimiùm, nostro dolitura periclo,
Si quid fortè tibi durius inciderit.
Multa priùs vasto labentur flumina ponto,
Annus & inversas duxerit ante vices:
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura,
Sis quodcumque voles, non aliena tamen:
Quamve mihi viles isti videantur ocelli,
Per quos sæpè mihi credita perfidia est.
Hos tu jurabas, si quid mentita fuisses,
Ut tibi suppositis exciderent manibus.
Et contra magnum potes hos attollere Solem?
Nec tremis admissæ conscia nequitiæ?
Quis te cogebat multos pallere colores?
Et fletum invitis ducere luminibus?
Queis ego nunc pereo, similes moniturus amantes:
O nullis tutum credere blanditiis.

INTERPRETATIO.

re. Heu Cynthia nimis audax, meo discrimine & malo dolitura, si forsan aliquid pejus acciderit! Ingentes fluvii potiùs è mari immense recurrent ad fontes, *& priùs præposteram annus temporum vicissitudinem adducet, quàm tui amor è meo pectore deleatur: Tu esto, quidquid cupies, non tamen alterius eris: aut quam mihi oculi isti habeantur viles, per quos mihi sæpiùs infidelitas persuasa est. Per hos* enim *pejerabas, ut tibi in subjectas manus deciderent, si aliquid fuisses mentita. Istos verò nunc audes erigere contra Solem istum potentem* tuæ perfidiæ testem? *Neque malè* tibi *conscia perpetrati sceleris contremiscis? Quis* verò *te cogebat varios colores mutare, lacrymasque invitis oculis exprimere? Quibus* illecebris captus *jam pereo. similes* mei *amatores admoniturus.* O *quàm securum est nullis* puellarum *blandimentis fidem habere!*

ELEGIA XVI.

JANUÆ QUERELA.

QUÆ fueram magnis olim patefacta triumphis
Janua Tarpeiæ nota pudicitiæ,
Cujus inaurati celebrarunt limina currus
Captorum lacrymis humida supplicibus:
Nunc ego nocturnis potorum saucia rixis
Pulsata indignis sæpè queror manibus.
Et mihi non desunt turpes pendere corollæ
Semper, & exclusi signa jacere faces.
Nec possum infamis dominæ defendere noctes
Nobilis obscœnis tradita carminibus.

INTERPRETATIO.

EGo quæ quondam aperta fui magnis triumphis janua Tarpeia castitati cognita, cujus limina fletibus rigata supplicibus captivorum deaurati currus frequentarunt: jam vulnerata nocturnis ebriorum jurgiis, violataque insanis manibus frequenter conqueror. Neque mihi jugiter desinunt dependere fœda corona, facesque jacere ante me *indicia* amatoris *exclusi. Neque ego insignis, & famosa versibus impudicis sustineo turpis heræ meæ noctes purgare.*

ANNOTATIONES.

1. QVæ fueram.] Puellæ in arce Tarpeia habitantis januam inducit conquerentem, quod sæpiùs ab ebriis amatoribus pulsetur, quòd domina sua turpis sit, & libidinibus infamis, quodque Poëta suis ipsam carminibus jugiter interpellet, adeo ut eam quiescere non permittat.

2. *Tarpeia.*] Capitolinæ, à Tarpeio monte, in quo ædes erant puellæ januæ conquerentis dominæ.

8. *Turpes pendere corollæ.*] Solebant Veteres sertis & floribus ornare fores amicarum, ipsisque coronas floreas appendere: ut suprà vidimus apud Tibullum.

Lucret. etiam lib. 4.

At lacrymans exclusus amator
Floribus, & sertis operit, postesque superbos
Vngit Amaracino.

Ovid. Eleg 6. lib. 1. Amor.

At tu non lætis detracta corona capillis
Dura super tota limina nocte jace.

9. *Exclusi signa jacere faces.*] Solebant apud veteres Romanos, cùm totam noctem frustrà, neque recepti dominæ foribus pervigilassent amatores, faces extinctas ad januam abjicere, quas dum prætereuntes, & vicini manè conspicerent, facilè intelligebant amatores eam noctem insomnem traduxisse, illiusque domus heram non nimis esse honestam & pudicam. Faces autem illæ abjectæ, sicut & corollæ, & cantilenæ appensæ, signa fuerunt ebriorum, amantiumque exclusorum. Dolet autem Janua se non posse pudorem & famam heræ suæ defendere, quamvis id summopere optaret, cùm alius noctu carmina, cantilenasque obscœnas postibus affigat, alius fores corollis exornet, alius extinctas faces ad limen abjiciat, quæ quidem omnia, se tacente, satis dominæ suæ mores impudicos produnt & testantur.

Nec tamen illa suæ revocatur parcere famæ
Turpior, & sæcli vivere luxuria.
Has inter graviùs cogor deflere querelas
Supplicis à longis tristior excubiis.
Ille meos nunquam patitur requiescere postes,
Argutâ referens carmina blanditiâ:
Janua vel dominâ penitùs crudelior ipsâ,
Quid mihi tam duris clausa jaces foribus?
Cur nunquam reserata meos admittis amores,
Nescia furtivas reddere mota preces?
Nullane finis erit nostro concessa dolori?
Tristis & in tepido limine somnus erit?
Me mediæ noctes, me sidera prona jacentem,
Frigidaque Eoo me dolet aura gelu.
Tu sola humanos nunquam miserata labores
Respondes tacitis mutua cardinibus.
O utinam trajecta cavâ mea vocula rimâ,
Percussas dominæ vertat in auriculas.
Sit licet & saxo patientior illa Sicano,
Sit licèt & ferro durior & chalybe:

INTERPRETATIO.

Neque tamen ipsâ turpior adduci potest, ut existimationi suæ consulat, & hujus ætatis corruptos mores non sectetur. Inter has quærimonias cogor graviter conqueri mœstior factus ob prolixas vigilias amantis *mihi supplicantis. Ipse enim nunquam patitur cardines meos somnum capere, garrulâ assentatione jugiter recinens* hos *versus.* O *Janua, tuâ etiam herâ ipsa durior, cur mihi tam crudelibus valvis occlusa sedes? quare nusquam aperta meos amores ingredi sinis? Tu qua nescis miserata ad dominam perferre vota mea clandestina. An nullus curis meis dabitur modus? An semper in tepenti limine amarus mihi sopor erit? Me noctes mediæ, me occidentia astra* sub dio *jacentem, & ventus Eoo frigore adurens miserantur. Tu una nusquam malis hominum permota reddis verba reciprosa postibus tuis silentibus.* O *utinam mea vox transmissa per foramen hiulcum ad aures heræ pulsatas penetret. Quamvis ipsa durior sit rupe Siculâ, atque etiam ferro & chalybe; attamen suos non sustinebit*

ANNOTATIONES.

11. *Secli vivere luxuria.*] *Secli* pro *Seculi* per syncopen. Non potest revocari puella turpior à turpi vita, corruptis moribus & *luxuria* ætatis istius. Cujus rei culpam rejicit in tempora, ut supra Eleg. 7. præsentis libri.

Ætatis tempora dura queri.

14. *Tristior excubiis.*] *Excubiæ* hic pervigiliæ ante puellarum fores intelliguntur.

15. *Nunquam requiescere postes.*] Non sinunt amatores exclusi dormire *postes*, quibus suffixi sunt. Nam faces accensas ostio illidebant exustionemque domus minitabantur.

29. *Saxo patientior Sicano.*] *Rupe Sicula durior. Sicilia* dicta est etiam *Sicania* a *Sicanis* Hispaniæ populis, qui *Siciliam* olim occupavêre. Vide Thucydidem lib. 6.

Non tamen illa suos poterit compescere ocellos,
Surget & invitis spiritus in lacrymis.
Nunc jacet alterius felici nixa lacerto,
At mea nocturno verba cadunt Zephyro.
Sed tu sola mei tu maxima causa doloris
Victa meis nunquam janua muneribus.
Te non ulla meæ læsit petulantia linguæ
Quæ solet iratus dicere tuta loco:
Ut me tam longâ raucum patiare querelâ
Sollicitas trivio pervigilare moras.
At tibi sæpè novo deduxi carmina versu,
Osculaque impressis nixa dedi gradibus.
Ante tuos quoties verti me, perfida, postes,
Debitaque occultis vota tuli manibus?
Hæc ille, & si quæ miseri novistis amantes,
Et matutinis obstrepit alitibus.
Sic ego nunc dominæ vitiis, & semper amantis
Fletibus æternâ differor invidiâ.

INTERPRETATIO.

cohibere oculos, exorieturque suspirium cum fletibus coactis. Jam Cynthia decumbit fortunato alterius amatoris *brachio fulta; sed sermones mei irriti nocturno Zephyro excidunt. At tu, ô Janua, unica malorum meorum causa maxima nullo modo meis donis victa. Nunquam te lingua mea procacitas violavit* convitiis, *qua consuevit vulgus immerenti loco proferre: ut me feras longis raucum questibus anxias noctes in compito ducere. Sed tibi frequenter versus novo modulamine peregi, & basia fixi contactis liminibus. O infida, quoties me ad tuos cardines converti, ac preces debitas abditis manibus fudi? Hæc iste* queritur, *& alia, qua vos infelices amatores scitis, avesque manè canentes strepitu suo interpellat. Ita ego hera* meæ *libidinibus, & importuni amatoris querelis perenni traducor infamiâ.*

ANNOTATIONES.

46. *Obstrepit alitibus.*] Ad Auroram usque pervigilat canendo, suoque cantu obstrepero concinentes aves infestat.

ELEGIA XVII.

AD CYNTHIAM

DE MARIS TEMPESTATE.

ET meritò, quoniam potui fugisse puellam;
Nunc ego desertas alloquor Alcyonas.
Nec mihi Cassiope solito visura carinam,
Omniaque ingrato littore vota cadunt.
Quinetiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti:
Aspice quàm sævas increpat aura minas.
Nullane placatæ veniet fortuna procellæ?
Hæccine parva meum funus arena teget?
Tu tamen in melius sævas converte querelas,
Sat tibi sit pœnæ nox, & iniqua vada.
An poteris siccis mea fata reponere ocellis?
Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?

INTERPRETATIO.

IVRE equidem accidit, ut *ad solitarias Alcyonas ego jam verba faciam, quandoquidem tam durus fui, ut amicam meam desererem. Neque Cassiope aspectura est, ut solebat, meam navem, cunctaque vota mea irrita pereunt in littore ingrato. Imò verò, ô Cynthia, tibi etiam absenti favent auræ: vide quanto cum fragore venti minas intentant. An nunquam ulla aderit fors sedatæ tempestatis? An ista exigua arena cadaver meum operiet? Tu verò in melius tuas imprecationes diras muta. Hoc esto contenta supplicio, quòd nigra tempestas, & mare navibus infestum me agitant. Sustinebisne illacrymabilibus oculis in tumulo corpus meum componere, & nullas meas reliquias in tuo*

ANNOTATIONES.

1. *ET meritò, &c.*] Exordium est abruptum, quo Poëta noster utitur, ut totâ hac Elegiâ tempestate jactatus, dum navigaret, sese ipse increpet, meritoque sese pati significet mortem sibi minitantes fluctus, quandoquidem Cynthiam suam deserere potuit; quam tamen dicit funus suum diligenter curaturam fuisse, si forsan Romæ, ubi ipsa erat, mortem obiisset.

2. *Desertas alloquor Alcyonas.*] *Alcyones* sunt aves solitariæ & marinæ, quæ diebus septem brumæ tempore ova parere, totidemque iisdem incubare dicuntur, quo tempore, mare mitius esse fertur, & navigabilius.

3. *Nec mihi Cassiope.*] Nullam, inquit, mihi stella *Cassiope* tranquillitatem denuntiat. *Cassiope* porrò seu *Cassiopeia* sidus est, quod stellis tredecim constare dicitur, exoriens cum Sagittario. Fuit autem *Cassiope* Andromedes mater, quæ, quòd olim se Nereidibus prætulisset, in cœlum translata dicitur, ubi capite resupino volvi videtur.

5. *Prosunt tibi, Cynthia, venti.*] *Venti*, qui me agitant adversi tibi famulantur, tibique favent, ô Cynthia, quæ meum cupias exitium & ruinam.

Ah pereat quicumque rates, & vela paravit
Primus, & invito gurgite fecit iter.
Nonne fuit melius dominæ pervincere mores?
Quamvis dura tamen rara puella fuit:
Quam sic ignotis circumdata littora silvis
Cernere, & optatos quærere Tyndaridas?
Illic si qua meum sepelirent fata dolorem,
Ultimus & posito staret amore lapis:
Illa meo caros donasset funere crines,
Molliter & tenerâ poneret ossa rosâ.

INTERPRETATIO.

*gremio retinere. Eheu pereat, quisquis ille fuit qui naves, & vela primus instruxit, & invito mari navigavit. Nunquid non fuit facilius ferox puellæ ingenium domare, (*quæ quanquam *sæva est & difficilis, nihilominus est insignis eximiâ formâ) quàm ità perlustrare littora cincta nemoribus incognitis, ac Tyndaridas* nautarum votis *expetitos invocare? Si casus aliquis ubi ipsa est miserum meum amorem tumulo inferret, extremusque lapis abjecto amore mihi poneretur; ista meis exequiis dicasset dilectos sibi capillos, & benevolè ossa mea collocasset in urna mollibus rosis plena. Illa meum nomen supremus*

ANNOTATIONES.

13. *Quicumque naves & vela paravit.*] Qui primus naves invenit, & navigavit dicitur aliis fuisse Jason, aliis Semiramis, aliis Danaus; aliis Erythras Rex. Tibullus existimat Tyrios primos navigasse Eleg. 7. lib. 1. v. 20

Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Icarus autem primus vela invenisse traditur: Dædalus verò malum & antennam. Simile est apud Horat. lib. 1. Od. 3.

18. *Quærere Tyndaridas.*] *Tyndaridæ*, id est, filii *Tyndarei*, quia nempe ex Leda uxore *Tyndarei*, quam Jupiter compressit, nati dicuntur Castor & Pollux, quos Horat. eadem Od. 3. lib. 1. vocat *Fratres Helenæ lucida sidera*. quia nempè navigantibus tempestate jactatis prosperi & salutares apud Antiquos crediti sunt. Alio nomine vocantur *Oebalii fratres* ab *Oebalia* Laconiæ in Peloponeso regiuncula.

19. *Illic.*] Nimirùm Romæ ubi erat Cynthia Propertii amica.

20. *Ultima lapis staret.* Sepulcrum significat, juxta illud lib. 4. Elegiâ ultimâ.

In lapide hoc uni nupta fuisse legar.

Ita etiam Tibullus lib. 1. Eleg. 3.

Quod si fatales jam nunc explevimus annos,
Fac lapis inscriptis stet super ossa notis.

21. *Donasset funere crines.*] Mos erat apud Veteres, ut cùm mortuos sepulcro composuissent, comas etiam tonderent, tumuloque imponerent.
Ita etiam Ovid. Epist. Canaces.

Non mihi te licuit lacrymis perfundere justis,
In tua nec tonsas ferre sepulcra comas.

Quem quidem ritum Romani mutuati sunt à Græcis, qui hoc primi leguntur fecisse apud Homerum lib. Iliados 23.

22. *Tenerâ poneret ossa rosâ.*] Florum sertorumque sed maximè *rosarum* adeo studiosi quondam fuerunt Romani, ut non solùm in deliciis haberent

Illa meum extremo clamasset pulvere nomen,
Ut mihi non ullo pondere terra foret.
At vos æquoreæ formosâ Doride natæ,
Candida felici solvite vela choro.
Si quando vestras labens Amor attigit undas,
Mansuetis socio parcite littoribus.

INTERPRETATIO.

cineribus inclamasset, quò mihi tellus non esset oneri. Sed vos, Nymphæ *marina, pulcra Doridos filia pandite vela alba fortunato choro* vestro. *Si verò aliquando Cupido vos invisens vestras contigit aquas, pacato mari, mihi vestro in amore conserti benigna ignoscite.*

ANNOTATIONES.

vivi in *rosis* jacere, & corollis; sed iisdem etiam mortuorum corpora spargerent, monumentaque exornarent. Quod non modò significat hoc in loco Propertius, sed etiam lib. 3. Eleg. 15.

——— Sertisque sepulcrum
Ornabit. ———

Tibullus lib. 2. Eleg. ultimâ.

Illa mihi sancta est, illius dona sepulcro,
Et madefacta meis serta feram lacrymis.

Apud Virgil. lib. 5. Æneid. ubi Æneas Anchisæ parentat.

Purpureosque jam flores, ac talia fatur,

23. *Clamasset pulvere nomen.*] Satis & abundè apud Tibullum diximus de solemni apud Antiquos ritu, quo mortuorum nomina per aliquot dies conclamabantur, & post ultimam conclamationem cadavera efferebantur, ut comburerentur, ut tradit Servius ad illud Virgilii:

——— Animamque sepulcro
Condimus, & magnâ supremum voce ciemus.

25. *Doride nata.*] *Doris* Oceani & Tethyos fuit filia, quæ *Nereo* nupsit, ex quo *Nereidas* Nymphas marinas genuit.

ELEGIA XVIII.

ELEGIA XVIII.

AD CYNTHIAM.

HÆC certè deserta loca, & taciturna querenti,
 Et vacuum Zephyri possidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre impunè dolores,
 Si modò sola queant saxa tenere fidem.
Unde tuos primùm repetam, mea Cynthia, fastus?
 Quod mihi das flendi, Cynthia, principium?
Qui modò felices inter numerabar amantes,
 Nunc in amore tuo cogor habere notam.
Quid tantùm merui? quæ te mihi carmina mutant?
 In nova tristitiæ causa puella tuæ?
Sic mihi te referas levis: ut non altera nostro
 Limine formosos intulit ulla pedes.
Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
 Non ita sæva tamen venerit ira mea:
Ut tibi sim meritò semper furor, & tua flendo
 Lumina dejectis turpia sint lacrymis.

INTERPRETATIO.

ISTA quidem loca solitaria, nibilque respondentia conquerenti, liberamque ab arbitris silvam tenet Zephyri flatus. Ibidem fas est arcanos tutò dolores verbis exprimere; si tamen rupes deserta silentium fidemque servare possint. Undenam, ó mea Cynthia, superbiam tuam, & sævitiam commemorare incipiam? quodnam mihi, ó Cynthia, querendi initium prabes? Ille ego *qui nuper in numero fortunatorum amatorum recensebar, jam compellor in amore tuo sustinere infamiam. Quodnam tam magnum scelus admisi? quanam te incantationes abalienant à me? Estne altera amica ira tua causa? O nimis credula! ita ad me redeas quemadmodum nulla alia puella domum meam ingressa est. Quanquam* verò *iste meus mæror tibi plurima mala debet; attamen ira mea non adeo vehemens erit; ut tibi jure fiam jugiter doloris causa, & ut oculi tui fœdentur effusis fletibus. An quia exi-*

ANNOTATIONES.

1. *HÆc deserta loca.*] In agris silvosis, ac desertis locis commoratus Poëta liberius de Cynthiæ fastu & levitate conqueritur, seque tandem fatetur optare ut Cynthiæ suæ, qualiscumque demùm sit, nomen & laudes jugiter resonare non desistant. Tum forsan, cùm hæc cecinit Propertius in prædiolo suo versabatur ad Clitumni fontes. Vide Plin. lib. 8. Epistolâ 8.

2. *Aura Zephyri.*] *Zephyrus* ventus ab occasu flans contra Eurum, qui Latinè dicitur *Favonius*, de quo suprà pluribus ad Catullum & Tibullum.

8. *Cogor habere notam.*] Dedecus, ignominiam, quòd nempè impudicæ puellæ serviam.

9. *Quæ te carmina mutant.*] Intelligit vel cantus magicos, seu incanta-

An quia parva damus mutato signa calore?
Et non ulla meo clamat in ore fides?
Vos eritis testes, si quos habet ardor amores,
Fagus, & Arcadio pinus amata Deo.
Ah quoties teneras resonant mea verba sub umbras,
Scribitur & vestris, Cynthia, corticibus.
An tua quod peperit nobis injuria curas,
Quæ solùm tacitis cognita sunt foribus?
Omnia consuevi timidus perferre superbæ
Jussa, neque arguto facta dolore queri.
Pro quo, Divini fontes, & frigida rupes,
Et datur inculto tramite dura quies.

INTERPRETATIO.

gua tibi præbemus indicia amore mutato, nullaque in meo vultu fides clamat! Vos eritis testes, fagi & pinus Deo Arcadio dilecta, si qua forsan arbor aliquem amorem sensit. Heu quàm sæpè voces meæ subter umbras vestras molles insonant, ac in vestris codicibus Cynthia nomen imprimitur. Heu quot mihi tua sævitia mala attulit, quæ sunt tantùm nota janua tua muta! Ego pavidus semper solitus sum pati fastidiosæ puellæ imperia, neque consuevi injurias importuno clamore conqueri. Pro quibus, ô fontes Diis sacri, gelidaque saxa, nunc mihi in senticosa semita tristis & amara quies datur, ac cogor

ANNOTATIONES.

menta, quibus amantium mentes permoventur, vel alterius Poëtæ *carmina*, quibus animum puellæ delinivit.

19. *Vos eritis testes.*] Solemnis & antiqua formula passim apud Scriptores usurpata;

Apud Ovid. lib. 3. Fast.

Testes estote Philippi.

Ita etiam Virgil. lib 12. Æneid.

Esto nunc Sol testis.

Propert. lib. 2. Eleg. 10

Sidera sunt testes, &c.

20. *Arcadio.*] *Arcadius Deus* est Pan.

Virgil. Eclog. 10.

Pan Deus Arcadiæ venit.

Pinus verò *Panis* sacra est; ex qua sibi nectit coronam.

Ovid. lib. 1. Fast.

Pan videt hanc, pinuque caput præcinctus acutâ.

Lucret. lib. 4.

Cùm Pan
Pinea semiferi capitis velamina quassans

22. *Scribitur in vestris corticibus.*] Pastorum mos est in arborum *corticibus* scribere amicarum suarum nomina: atque etiam aliquando carmina amatoria Veteres in codicibus arborum exarare consueverant.

Virgil. Eclog. 10.

Imò hæc in viridi nuper quæ cortice fagi
Carmina descripsi.

Idem Eclog. 10.

Teneris que meos incidere amores
Arboribus.

Vetus Poëta incertus.

Quando ponebam novellas arboris mali, & pyri,
Cortici summa notavi nomen ardoris mei,
Nulla fit exinde finis vel quies Cupidinis,
Crescit arbor, gliscit ardor, ramus implet litteras.

27. *Divini fontes & frigida rupes.*] Et *fontes* & *rupem* alloquitur, ut suprà Eleg. 17. Alcyonas hoc in loco aves, & ut Turnus 10. lib. Æneid. ventos,

Et quodcumque meæ possunt narrare querelæ,
Cogor ad argutas dicere solus aves.
Sed qualiscumque es, resonant mihi, Cynthia, silvæ,
Nec deserta tuo nomine saxa vacent.

INTERPRETATIO.

ad volucres solitarias referre quidquid mei dolores possunt commemorare. At quæcumque tu sis, ô Cynthia, te unam mihi personent nemora, neque unquam rupes inculta nomen tuum referre cessent.

ANNOTATIONES.

Divinos autem Poëta vocat *fontes*, quemadmodum dixit infrà Eleg. 27. lib. 2.

Aurea divinas urna refudit aquas. Nonnulli putant, & quidem meritò, per *Divinos fontes*, & *frigidam rupem* Propertium hic intelligere Clitumnum patrium flumen, ad cujus fontes adjacebat collis & Templum priscum & religiosum, ubi stabat Clitumnus ipse amictus, ornatusque prætextâ, præsens Numen, & fatidicum, ut pluribus auctor est Plinius Junior lib. 8. Epist 8. Quisquis autem, ut arbitror, Elegiam hanc Propertii cum iis, quæ Plinius eâdem Epistolâ narrat, contulerit, facilè intelliget deserta loca, & solitaria, & nemus ab arbitris liberum, & fontes & frigida saxa, & aves, & silvas optimè convenire iis quæ à Plinio referuntur.

31. *Resonent, Cynthia, silvæ.*] Ut Virgil. Eclog. 1.

Ipsa te, Tytire, pinus,
Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.

Et lib. 4. Georgic.

Euridicen toto referebant flumine ripæ.

32. *Nomine saxa vacent.*] Semper Cynthiæ nomen referant. Ut Cicero pro Archia. *Saxa & solitudines voci respondent.*

Virgil. Eclog. 5.

Ipsa jam carmina rupes;
Ipsa sonant arbusta.

ELEGIA XIX.

AD CYNTHIAM.

NON ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, Manes:
  Nec moror extremo debita fata rogo.
Sed ne fortè tuo careat mihi funus amore,
  Hic timor est ipsis durior exequiis.
Non adeò leviter nostris puer hæsit ocellis,
  Ut meus oblito pulvis amore vacet.
Illic Phylacides jucundæ conjugis Heros
  Non potuit cœcis immemor esse locis:
Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis
  Thessalis antiquam venerat umbra domum.

INTERPRETATIO.

O CARA Cynthia, nihil ego timeo pallidos Manes, neque de funeribus supremo busto debitis laboro; sed potiùs ne forsan exequiæ meæ amore tuo priventur: iste equidem metus est mihi ipsâ morte acerbior. Non ita tenuiter puer Deus *oculis meis adhæsit, ut mei cineres amore tuo careant obliviosi. In Inferis regionibus ubi est Phylacides heros uxorem* suam *dilectam non valuit oblivisci. Verùm umbra Thessala rediit domum pristinam cupiens delicias suas fictu manibus contrectare. Iis in locis quodcumque ero,*

ANNOTATIONES.

1. *NOn ego nunc.*] Significat Propertius se non tam mortis metu commoveri, quàm se vereri, ne Cynthiæ suæ amore funus suum careat; testaturque istum sibi timorem ipsâ sibi morte esse acerbiorem. Tandem dicit, dum vita superest, amori esse indulgendum.

Tristes Manes.] *Manes* dixerunt Antiqui, animas hominum è corporibus egressas, vel Deos Inferos, ut docet Servius.

2. *Debita fata rogo.*] *Fata* dixit pro *cadavere. Fata* porrò debentur extremo *rogo*, nimirùm qui supremo accenditur, quia ut ait Horat. in Arte Poëtica.

Debemur morti nos nostraque.

5. *Puer hæsit ocellis.*] Cupido Deus Amoris, qui ex aspectu nascitur, & instabilis est, de quo Horatius lib. 4. Od. 13.

Pulcris excubat in genis.

7. *Phylacides.*] Sic dictus est *Protesilaus*, qui primus è Græcis navi in Trojanum littus egressus occisus est à quodam viro Dardano; quem cùm mortem obiisse cognovisset ejus uxor Laodamia, optavit ut ipsius umbram videre posset. quæ cùm obtinuisset à Plutone, ut sibi per tres horas cum marito colloqui liceret, in ejus amplexibus expiravit. Rem aliter narrat Hyginus Fab. 103 & 104. qui dicit Laodamiam in pyram ardentem se conjecisse, in quam pater Acastus Protesilai effigiem conjecerat. Protesilaus autem dicitur *Phylacides* ab avo *Phylaco*, qui Phylacam urbem Thessaliæ condidit.

8. *Non potuit immemor esse.* Non potuit non recordari Laodamiæ dile-

Illic quidquid ero, semper tua dicar imago,
Trajicit & fati littora magnus amor.
Illic formosæ veniat chorus Heroïnæ,
Quas dedit Argivis Dardana præda viris,
Quarum nulla tuâ fuerit mihi, Cynthia, formâ
Gratior, & tellus hoc ita justa sinat.
Quamvis te longæ remorentur fata senectæ,
Cara tamen lacrymis ossa futura tuis,
Quæ tu viva meâ possis sentire favillâ.
Tum mihi non ullo mors sit amara loco.
Quam vereor, ne te contempto, Cynthia, busto,
Abstrahat à nostro pulvere iniquus amor:
Cogat & invitam lacrymas siccare cadentes.
Flectitur assiduis certa puella minis.
Quare, dum licet, inter nos lætemur amantes;
Non satis est ullo tempore longus amor.

INTERPRETATIO.

jugiter dicar imago tua. Transcendit etiam Inferorum fluvios magnus amor. Iis in locis floret Heroidum pulcrarum cœtus, quæ viris Argivis ex Dardana præda contigerunt. Quarum nulla mihi fuerit te pulcritudine præstantior, ô Cynthia, sic etiam istud tellus justa patiatur. Quanquam diuturna te senectutis fata retineant, tui tamen cineres dilectis meis fletibus erunt. Quæ tu modò vivens possis sentire, me cremato, mihi mors nusquam sit molesta. Sed eheu! quàm timeo, ne, meo *rogo neglecto, alterius amor injustus te, ô Cynthia, à meis cineribus arceat, ac fletus obortos exsiccare te invitam cogat. Continuis* enim *minis constans* etiam *puella tandem vincitur. Itaque donec fas est invicem simul unà amantes gaudeamus; nullo temporis spatio diuturnus satis est amor.*

ANNOTATIONES.

ctæ conjugis, sed rediit in domum pristinam, ut eam videret

10. *Thessalis umbra.*] Umbra nempè Protesilai, qui fuerat *Thessalus*. Sic dicitur Ovidio in Epistola Laodamiæ *ara Thessalis*.

Nulla caret fumo Thessalis ara meo.

13. *Formosæ chorus Heroinæ.* *Heroidas* sive *Heroinas* forsan significat de quibus lib. 2 Eleg. 28. loquitur, quæ Græcis obtigerunt in divisione Trojanæ prædæ, scilicet Iliona, Cassandra, Briseis, Andromache, Tecmessa. &c.

14. *Dardana præda.*] Trojana, de qua Virgilius.

——— *Pueri & pavidæ longo ordine matres*
Stant circum.

25. *Inter nos lætemur amantes.*] Ut Catullus ad Lesbiam.

Vivamus, mea Lesbia, nosque amemus.

26 *Non satis est ullo tempore longus amor.*] Æternus & sine fine debet esse amor. Unde infrà lib. 2. Eleg. 15.

Errat qui finem vesani quærit amoris,
Verus amor nullum quærit habere modum.

ELEGIA XX.

AD GALLUM.

HOC pro continuo te, Galle, monemus amore,
Id tibi ne vacuo defluat ex animo.
Sæpè imprudenti fortuna occurrit amanti,
Crudelis Minyis dixerit Ascanius.
Est tibi non infrà speciem, non nomine dispar
Thiodamanteo proximus ardor Hylæ.
Nunc tu sive leges umbrosæ flumina silvæ,
Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes:

INTERPRETATIO.

O GALLE, istud te admonemus pro nostra necessitudine nunquam intermissa, ut illud tibi ex otiosa memoria non excidat. Frequenter incautè amatori adversa fortuna occurrit; infestus Minyis testis fuerit Ascanius. Est tibi amor pulcritudine inferior, nec nomine impar, proximè accedens ad Hylam Thiodamanteum. Jam verò seu iter facias secus fluvium nemoris umbriferi,

ANNOTATIONES.

1. HOc *pro continuo.*] Exemplo Herculis, cui Nymphæ Bithynicæ puerum Hylam rapuerunt, monet Poëta Gallum, ut formosum puerum, quem in deliciis habebat, diligentissimè defendat à rapina Nympharum Ausoniarum, nec incomitatum vagari sinat, ne idem patiatur, quod in Hyla passus est Hercules.

4. *Crudelis Minyis Ascanius.*] *Minyæ* dicti sunt Argonautæ, qui in Colchos ad Vellus aureum cum Jasone navigaverunt, quòd eorum plurimi ex *Minya* Regis Orchomeni filiis orti fuerint. Dicti etiam sunt *Minyæ* populi omnes Orchomeniis & Locricis in Thessalia finitimi.
Ascanius lacus & flumen est Bithyniæ juxta montem Olympum. Dicitur autem *Ascanius crudelis Minyis*, quia ex eo fuerunt Nymphæ, quæ Hylam rapuerunt Herculi, quem raptum adeò molestè tulit Hercules, ut *Minyas* seu Argonautas deseruerit, & a navigatione in Colchos destiterit. Ad *Ascanium* raptum fuisse Hylam referunt Hyginus Fabulâ 14. & Strabo lib. 12.

6. *Thiodamanteo Hylæ.*] *Hylas* fuit filius *Thiodamantis*, quem Hercules rapuit, in deliciisque habuit, adeo ut etiam ipsum cum reliquis Argonautis Colchos navigans secum duxerit. Verùm cum inter navigandum Hercules remum suum confregisset, è navi simul cum *Hyla* egressus est, ut alium in vicinis Mysiæ silvis quæreret. Cùm autem æstu sitique graviter laboraret, *Hylam* cum urna misit ad Ascanium fluvium, ut inde sibi aquam afferret; sed cum ripa altior esset, quàm ut stans aquam haurire posset, procumbens in pectus *Hylas* urnam è manibus amisit, quam cum recipere conaretur prolapsus in flumen demersus est, Quod præbuit Poëtis occasionem fabulandi *Hylam* raptum fuisse à Nymphis Bithynicis. Amissum porrò *Hylam* Hercules ita doluit, ut dimissis Argonautis à navigatione in Colchos destiterit.

8. *Sive Aniena unda.*] *Anio* fluvius est in agro Tiburtino, qui è sublimi fluens in vallem subjectam præceps fertur;

Sive Gigantæâ ſpatiabere littoris orâ,
Sive ubicumque vago fluminis hoſpitio:
Nympharum ſemper cupidas defende rapinas.
Non minor Auſonias urit amor Dryadas.
Ne tibi ſit duro montes & frigida ſaxa,
Galle, neque expertos ſemper adire lacus:
Quæ miſer ignotis error perpeſſus in oris
Herculis indomito fleverat Aſcanio.
Namque ferunt olim Pagaſæ navalibus Argo
Egreſſam longè Phaſidos iſſe viam,
Et jam præteritis labentem Athamantidos undis
Myſorum ſcopulis applicuiſſe ratem.

INTERPRETATIO.

ſeu aqua Aniena pedes tuos alluerit, ſeu deambulabis juxta littus in regione Gigantæa, ſeu quocumque errabundo fluminis hoſpitio exceperis, prohibe prædas Nympharum ſemper amantium: non minor cruciat amor Dryadas Auſonias, quàm Myſias. *Ne tibi ſit, ô Galle, confragoſos montes, & rupes gelidas, & ignotos lacus inviſere. Quæ omnia laborioſus Hercules errans in regionibus incognitis paſſus apud Aſcanium crudelem conqueſtus eſt. Narrant enim quondam è portu Pagaſæ navem Argo egreſſam ad Phaſin uſque navigaſſe, eamque jam tranſmiſſis aquis Athamantidos currentem appuliſſe ad*

ANNOTATIONES.

Infrà Propert. lib. 3. Eleg. 14.

Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.

Idem etiam lib. 3. Eleg. 20.

Hic Anio Tiburte fluit, Clitumnus ab Umbro
Tramite. ———

Horat. lib. 1. Od. 7.

Et præceps Anio, & Tiburti lacus.

9. *Gigantæâ ſpatiabere littoris orâ.*] Maritima eſt regio juxta Cumas, ubi etiam Phlegræus campus, ubi & Gigantes habitaſſe quondam dicuntur, & cum Diis pugnaſſe. Strabo lib. 5. Diodor. Siculus, & Apollodorus lib. 1.

12. *Auſonias urit amor Dryadas.*] Non minùs, ait, amant formoſos Nymphæ *Auſoniæ*, ſeu *Italicæ*, quàm Bithynicæ, quæ Hylam rapuerunt. *Auſonia* porrò dicta eſt Italia ab *Auſonibus* populis, qui Campaniam, Latiumque incoluerunt, ab *Auſone* Ulyſſis filio ſic nuncupati. Vide Strabonem lib. 5. & Plin. *Dryades* ſunt Nymphæ ſilveſtres de quibus jam ſuprà.

15. *Error perpeſſus Herculis.*] Quæ *Hercules* errans pertulit, qui amiſſo Hylâ, vagabatur de fluvio Aſcanio conquerens, cujus Nymphæ puerum Hylam delicias ipſius rapuerant.

17. *Pagaſæ navalibus Argo.*] *Pagaſa* fuit oppidum Theſſaliæ Pelio monti vicinum; juxta quod *Argo* navis, quæ in Colchos vexit Argonautas, ædificata eſt: unde dicitur ab Ovidio *Argo-Pagaſæa*, lib. 7. Metamorphoſ. & à Valerio Flacco lib. 8. v. 378.

Hæc dudum Minyæ, Pagaſæaque puppis.

Vide etiam Strabonem lib 9. *Navalia* porrò ſunt loca, ubi ſtant naves, ut teſtatur Servius ad libros 4. & 11. Æneid.

Phaſidos iſſe viam.] *Phaſis* fluvius eſt Colchorum à Catullo, Apollonio, Ovidio, & Valerio celebratus, de quo pluribus apud Catullum noſtrum in Epithalamio Pelei & Thetidos.

19. *Athamantidos undis.*] *Athamantis, idos*, patronymicum, eſt Helle fi-

Hîc manus Heroüm placidis ut conſtitit oris,
Mollia compoſitâ littora fronde tegit.
At comes invicti juvenis proceſſerat ultrà
Raram ſepoſiti quærere fontis aquam.
Hunc duo ſectati fratres Aquilonia proles.
Hunc ſuper & Zetes, hunc ſuper & Calais
Oſcula ſuſpenſis inſtabant carpere palmis,
Oſcula & alternâ ferre ſupina fugâ.
Ille ſub extremâ pendens ſecluditur alâ,
Et volucres ramo ſubmovet inſidias.
Jam Pandioniæ ceſſet genus Orithyiæ:
Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryaſin.
Hic erat Arganthi Pegæ ſub vertice montis
Grata domus Nymphis humida Thyniaſin.

INTERPRETATIO.

Myſorum ſcopulos. His in littoribus tranquillis, ubi heroum turba conſedit, amœna littera diſpoſitis arborum ramis cinxit. Sed comes indomiti juvenis longiùs erat progreſſus, ut inveſtigaret aquam raram fontis in receſſu abditi. Iſtum duo fratres ſecuti, Aquilonis filii Zetes & Calais, ipſique hinc inde imminentes ſuſpenſis manibus oſcula prona eripere, alternâque fugâ dare conabantur. Iſte ſubter extremâ pennâ ſuſpenſus ſecernitur, ramoque inſidias alatas arcet. Nunc deſinat proles Orithya Pandionia inſectari Hylam. *Ah ibat Hylas doloris cauſa futurus Hamadriadibus. Ibidem in ipſis radicibus montis Arganthi erat Pege domus humida, jucunda Nymphis Thyniacis; ſupra quam*

ANNOTATIONES.

lia *Athamantis* Thebarum Regis, quæ dum tra ieceret fretum inter Thraciam & Aſiam, ibidem demerſa eſt. Inde liquet per *Athamantidos undas* Propertium intelligere Helleſpontum, cui nomen dedit Helle.

20. *Myſorum ſcopulis.*] *Myſi* ſeu *Myſii* populi ſunt Aſiæ, regionem *Myſiam* dictam inhabitantes, Bithyniæ & Phrygiæ ita contermini, ut eorum fines determinare non ſit facile. Vide Strabonem lib. 12.

21. *Manus Heroüm.*] Argonautarum, in quibus ſummi Heroës, Jaſon, Hercules, pluresque alii.

22. *Comes invicti juvenis.*] Hylas puer Herculis.

26. *Zetes & Calais.*] Aquilonis filii, quos ex Orithya ſuſcepit, quique cum cæteris Argonautis ad Vellus aureum profecti ſunt. De his Ovidius lib. 6. Metamorphoſ.

Implumes Calaiſque puer Zeteſque fuerunt.

28. *Oſcula ſupina.*] Supernè inverſa, quia prono erant ore è cœlo volitantes Zetes & Calais ſupra Hylam, qui reſpiciens cœlum ſupino erat vultu.

31. *Pandioniæ ceſſet genus Orithyæ.*] *Orithya* dicitur *Pandionia* ab avo ſuo *Pandione* patre Erectei Athenarum Regis, cujus fuit fi.ia.

32. *Hamadryaſin.*] Quas Nymphas ſuprà vocavit Dryadas, vocat nunc *Hamadryadas*, utpote omninò eaſdem.

33. *Arganthi Pege.*] *Arganthus* ſeu *Arganthonius* mons eſt Bithyniæ ad urbem Pruſiam, ad cujus montis radices fuit fons dictus, *Pege*, ubi raptus fuiſſe dicitur Hylas, ut noſter hîc refert Poëta, cui concinit Strabo lib. 12. qui ad montem *Arganthonium* raptum fuiſ-

Quam

Quam ſupra nullæ pendebant debita curæ
 Roſcida deſertis poma ſub arboribus.
Et circumriguo ſurgebant lilia prato
 Candida purpureis miſta papaveribus.
Quæ modo decerpens tenero pueriliter ungui
 Propoſito florem prætulit officio.
Et modò formoſis incumbens neſcius undis
 Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demiſſis flumina palmis
 Innixus dextro plena trahens humero.
Cujus & accenſæ Dryades candore puellæ
 Miratæ ſolitos deſtituêre choros.
Prolapſum leviter facili traxere liquore.
 Tum ſonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat reſponſa: ſed illi
 Nomen ab extremis fontibus aura refert.

INTERPRETATIO.

rore educata poma pendebant ex incultis arboribus nulli hominum cura debita, & undequaque vernabant irrigato prato lilia alba rubris inſerta papaveribus; quæ nunc colligens more puerorum teneris manibus ſuſcepto muneri hauriendæ aquæ *flores antepoſuit: nunc verò ignarus in aquas jucundas inclinans errorem ſuum longiorem facit arridentibus ſibi ſimulacris. Demùm aggreditur manibus depreſſis* in fontem *dextro humero innitens aquam trahere. Cujus pulcritudinem admiratæ, ejuſque amore incenſæ Nymphæ Dryades choreas reliquerunt conſuetas*, ipſumque *procumbentem aquâ molli facilè attraxerunt. Tunc Hylas edidit clamorem à Nymphis raptus. Cui Alcides procul reſponſa ingeminat. At illi ab imis fontibus nomen aër reddit.* O Galle, *his*

ANNOTATIONES.

ſe tradit Hylam Herculis puerum, dum iret aquatum.

34. *Thyniaſin.*] *Bithynicis*: Bithynia enim dicta etiam fuit *Thynia* à *Thyno* Arganthones Nymphæ filio, ſeu à *Thynis* populis qui eam regionem incoluerunt. Vide Notas in Catullum noſtrum, & Plinium.

47. *Prolapſum leviter traxere.*] Apollonius fabulatur Nympham Ephydatiam Hylæ cervicem manibus fuiſſe amplexam, ut ipſum exoſcularetur, dum aquam hauriret, ſicque ipſum in fontem dejeciſſe præcipitem. Valerius autem Flaccus Dryopen vocat Nympham, à qua raptus dicitur Hylas. Theocritus tres ſimul Nymphas Hylam in fontem præcipitaſſe fabulatur.

49. *Alcides iterat reſponſa.*] Cum Hercules Hylæ clamorem, dum raperetur à Nymphis, exaudiviſſet, ſtatim iterum iterumque reſpondit; cumque ipſum quærens non inveniret, quantum potuit per ſilvas & luſtra avia Hylam ſuum inclamavit, ita ut etiam, juxta illud Virgilii Ecloga 6. *Litus Hyla, Hyla omne ſonaret.* Quod quidem mirum in modum Valerius Flaccus lib. 3. Argonautic. expreſſit. Factum eſt autem, ut in memoriam clamoris Herculis ita dolentis Hylæ ſui vicem, inſtituta ſit Feſtivitas quædam apud Pruſienſes, in qua Hylas per montes, & ſilvas vocabatur à Thiaſo-

His, ô Galle, tuos monitis servabis amores,
Formosum Nymphis credere tutus Hylam.

Interpretatio.

exemplis delicias tuas defendes ausus Nymphis pulcrum Hylam committere.

Annotationes.

rum choro, ut refert Strabo lib. 12. unde etiam Solinus cap. 47. *Prusiadem urbem alluit Hylas flumen, & perspergit Hylas lacus, in quo periisse credunt delicias Herculis Hylam puerum, Nymphis rapinam: in cujus memoriam usque adhuc solemni cursitatione lacum populus circumit, & Hylam voce clamant.* Quam quidem annuam cursitationem Strabo libro suprà laudato cum Hylæ inclamatione non circa lacum, sed in montibus & silvis fieri solitam fuisse tradit.

50. *Nomen aura refert.*] *Aura* hîc ponitur pro *Echo*, quæ dicitur ab Ausonio aëris filia Echo namque Hylam ab Hercule inclamatum referebat, quomodo voces reciprocas efficere solet per concavos vallium sinus, & densos vertices, aere resultante. Quod etiam apprimè & graphicè expressit Valerius Flaccus lib. 3. v. 596.

Rursus Hylan & rursus Hylan per longa reclamat
Avia, responsant silvæ, & vaga certat imago.

ELEGIA XXI.

GALLUS LOQUITUR.

TU, qui consortem properas evadere casum,
Miles ab Hetruscis saucius aggeribus,
Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
Pars ego sum vestræ proxima militiæ.
Sic te servato possint gaudere parentes,
Hæc soror acta tuis sentiat è lacrymis,
Gallum per medios ereptum Cæsaris enses
Effugere ignotas non potuisse manus.
Et quicumque super dispersa invenerit ossa
Montibus Hetruscis, hæc sciat esse mea.

INTERPRETATIO.

TU miles, qui vulneratus ab aggeribus Tuscis festinas communem mihi tecum effugere cladem, cur oculos lacrymis tumentes mei desiderio huc illuc torques? Ego nuper fui pars vestra militiæ. Ita parentes tui, te salvo & incolumi lætari possint. Soror mea cognoscat è tuis fletibus rem ita fuisse gestam. Gallum, nempè è mediis Cæsaris armis servatum nequivisse manus incognitas evadere. Quisquis autem in montibus Hetruscis dissipata & sparsa ossa reppereris, ista mea esse intelligat.

ANNOTATIONES.

1. *TU qui consortem.*] Gallus, qui in bello Perusino fuerat interfectus loquens inducitur, admonensque socios ex acie fugientes, ut sorori suæ mortem ipsius denuntient, ossaque sua fuisse per Hetruriam dispersa.

2. *Hetruscis aggeribus.*] Thuscis, Tyrrhenis. *Hetruria* enim dicta etiam est Tuscia; quam etiam Tyrrheni tenuerunt, unde dictum est Tyrrhenum mare. Per *Hetruscos* autem *aggeres* significat Poëta bellum Perusinum, quo Augustus L. Antonium Perusiæ obsedit, & fame ad deditionem coëgit. Perusia porrò numeratur inter principes *Hetruriæ* seu Tusciæ civitates, quæ tota hujus belli incendio conflagravit.

7. *Gallum.*] Videtur hic fuisse *Cornelius Gallus* Propertii propinquus, quem periisse significat bello Perusino Elegiâ proximè sequenti & Elegiâ ultimâ libri 2. Hunc *Gallum* Virgilius dilexit, Eclogamque unam in ejus laudem scripsit.

10. *Montibus Hetruscis.*] Appenninum, quo ad Boream clauditur Hetruria, videtur intelligere.

ELEGIA XXII.

AD TULLUM

DE PATRIA SUA.

QUALIS, & unde genus, qui sint mihi, Tulle, Penates,
  Quæris pro nostra semper amicitia.
Si Perusina tibi patriæ sunt nota sepulcræ
  Italiæ duris funera temporibus,
Cùm Romana suos egit discordia cives:
  (Sis mihi præcipuè pulvis Hetrusca dolor.
Tu projecta mei perpessa es membra propinqui,
  Tu nullo miseri contegis ossa solo:)
Proxima supposito contingens Umbria campo
  Me genuit, terris fertilis uberibus.

INTERPRETATIO.

O Tulle, scire cupis pro nostra perpetua necessitudine quis sim, ac unde ortus sim, & quanam sit mea familia, quanam mea patria. Si tibi cognita est Perusina clades patriæ exitium duris Italiæ temporibus, quando discordia Romana suos in mutuam impulit perniciem cives: sis mihi præsertim, ô terra Hetrusca causa doloris. Tu namque passa es corpus mei cognati jacere discerptum, & dispersum, neque ullo in loco tegis humo istius infelicis ossa. Umbria vicina Perusiæ ruinis *contigua subjecto campo, pingui solo dives me tulit.*

ANNOTATIONES.

1. *QUalis & unde genus.*] Tullum, cui librum hunc primum dedicavit, quem seorsim edidit, utpote quem unicum scribere constituerat, docet, quis & qualis ipse sit, quo genere & familia, & qua ex patria natus.

3. *Si Perusina tibi patria.*] De bello *Perusino* ab Augusto contra L. Antonium Triumviri fratrem gesto, quo urbs *Perusia* incensa & excisa est, Vide Appian. lib. 5. de Bello Civili, & Suetonium in Augusto cap. 14. & 15.

6. *Pulvis Hetrusca.*] De *Hetruria* jam sæpiùs suprà & pluribus. Ad hanc sermonem convertit, ut de ipsa ob miseram & crudelem sui propinqui Galli necem conqueratur, qui in bello Perusino occubuit, ut vidimus Eleg. proximè superiori.

9. *Proxima contingens Umbria.*] *Umbria* proximè contigua Perusinæ regioni patria fuit Propertii. Sed an ipse Mevaniâ exortus sit, an Hispello, ut vir eruditissimus Thaddæus Donnola contendit, an Ameria, an alia civitate, non declarat. Plures tamen illi patriam Mevaniam tribuunt.

Umbria porrò regio fertilis est, abundans, & opima, unde *Umbri*, quorum gens dicitur Italiæ antiquissima, dicuntur pingues & obesi.
Catullus noster

Aut porcus Umber, aut obesus Hetruscus.

FINIS.

SEXTI AURELII PROPERTII ELEGIARUM LIBER SECUNDUS

ELEGIA I.

AD MECÆNATEM.

QUÆRITIS unde mihi toties ſcribantur amores?
Unde meus veniat mollis in ore liber?
Non hoc Calliope, non hoc mihi cantat Apollo.
Ingenium nobis ipſa puella facit.

INTERPRETATIO.

ROGATIS, *curnam toties à me componantur verſus amatorii? Curnam libellus meus tener in omnium ora veniat? Nec Calliope, nec Apollo mihi dictat carmina*, ſed *una* mea *Cynthia mihi dat ingenium. Seu namque ipſam*

ANNOTATIONES.

1. *QVæritis unde mihi.*] Alterum hunc librum ſuo nuncupat Mecænati Propertius, ſignificatque ſe libentiſſimè ſcripturum fuiſſe Carmen Heroicum, ſi facultas & ingenium non defuiſſent, ſed hoc ipſi ſibi munus à Diis non fuiſſe conceſſum. Fatetur tamen ſe non parum in Elegis & amoribus ſcribendis ingenio & arte valere, vireſque & argumenta ſibi à Cynthia ex minimis rebus affatim & abundè ſuppeditari.

3. *Calliope.*] Una ex Muſis, quæ mater Orphei dicitur fuiſſe, & Heroico Carmini præeſſe exiſtimatur, juxta illud

Carmina Calliope libris Heroica mandat.

4. *Ingenium puella facit.*] Hoc idem ferè omnes, qui verſus amatorios ſcripſerunt, teſtantur, ſe nempe puellâ duce, & argumenta ſuggerente carmina compoſuiſſe. Neque illud ſanè mirum eſt, cum nihil potiùs Poëtas fingat, quam amor, aut faciat amantes,

Sive togis illam fulgentem incedere Cois;
Hoc totum è Coa veſte volumen erit;
Seu vidi ad frontem ſparſos errare capillos,
Gaudet laudatis ire ſuperba comis.
Sive lyræ carmen digitis percuſſit eburnis,
Miramur faciles ut premat arte manus.
Seu cùm poſcentes ſomnum declinat ocellos,
Invenio cauſas mille Poëta novas.
Seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
Tunc verò longas condimus Iliadas.
Seu quicquid fecit, ſive eſt quodcumque locuta,
Maxima de nihilo naſcitur hiſtoria.
Quod mihi ſi tantum, Mecænas, fata dediſſent,
Ut poſſem heroas ducere in arma manus:
Non ego Titanas canerem, non Oſſan Olympo
Impoſitum, ut cœli Pelion eſſet iter:

INTERPRETATIO.

Cois veſtibus micantem procedere conſpexi, liber unus integer de Coa veſte mihi ſcribitur. Seu crines ejus effuſos aſpexi per frontem vagari; geſtit incedere glorians de capillis ſuis à me *celebratis: ſeu lyra chordas digitis eburneis tetigit; ſtupemus quomodo manus habiles induſtriè inflectat: ſive quando cupientes ſoporem oculos inclinat, ego Vates tunc reperio mille nova argumenta* ſcribendi; *ſive ablatâ veſte mecum certat; tum maximè longas Iliadas componimus: ſive denique aliquid aut quodvis egit, aut dixit; ex re minima amplisſima datur dicendi materia. Quod ſi mihi fata tantum ingenii conceſſiſſent, ut valerem carminibus heroicas copias in aciem deducere; non ego cantarem Titanas, neque Oſſam Olympo ſuperpoſitam, quò Pelion eſſet ad cœlum via*

ANNOTATIONES.

quàm Poëſis. Unde illud Platonis: *Amor ita Poeta ſapiens eſt, ut & alium Poetam efficere poſſit. Quilibet enim licèt antè rudis & Muſarum expers, Poeta fit, ubi primùm Amor eum afflaverit.*

5. *Togis Cois.*] *Cos* ſive *Coos* Inſula eſt in mari Ægeo, in qua veſtes fiebant quondam tenuiſſimæ ex bombyce ad fœminarum ornamentum, quæ *Coa* dicebantur. De his jam ſuprà pluribus. Fuit etiam & in ea Inſula Æſculapii Templum celeberrimum, necnon etiam Junonis Ædes, de cujus inſignibus librum ſcripſit Theodotus, ut refert Vitruvius lib. 7. Quænam autem fœminæ togas geſtarent apud Romanos jam ſuprà vidimus: unde facile eſt divinare, qualem hic Poëta puellam intelligat.

8. *Superba comis.*] Ad naturam pavonis alludit, qui laudatus ſuperbit, & alas & caudam gemmantes referentem colores expandit.

14. *Condimus Iliadas.*] Prolixa ſcribimus carminum opera. Alludit ad Opus illud Homericum de Trojæ expugnatione compoſitum.

18 *Heroas manus.*] Copias *Heroum* ad prœlium deducere verſibus meis. Ita dicitur Antimachus Thebaidos quondam Scriptor viginti & quatuor libros Carminum edidiſſe, antequam Thebas Duces perduxiſſet

19. *Non ego Titanas canerem.*] Non ego bellum *Titanum* ſcriberem, *Tita-*

Non veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri,
Xerxis & imperio bina coisse vada:
Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altæ,
Cimbrorumque minas, & benefacta Mari.

INTERPRETATIO.

neque etiam canerem antiquas Thebas, neque Pergama, Homeri fama, neque duo littora ponto juncta Xerxis jussu, neque prima Rhemi Imperia, vel altos superba Carthaginis spiritus, aut Cimbrorum minas, aut res à Mario præclarè

ANNOTATIONES.

nas Tellus mater incitavit in Saturnum, quos tamen Jovis ope devictos detrusit in Tartarum.

Non Ossam Olympo.] Non etiam celebratem bellum Gigantum, qui cum Jove pugnantes ter conati sunt imponere *Ossæ* Pelion, & *Ossam Olympo*. *Ossa* porrò mons est Thessaliæ, quondam *Olympo* conjunctus, sed ab Hercule abscissus qua parte per Tempe amœnissima illa loca fluit Peneus *Olympus* etiam mons est Thessaliæ *Ossa* vicinus, cujus vertex usque adeo dicitur esse sublimis & excelsus, ut nubes transcendere & cœlum ipsum attingere creditus sit. Unde factum est ut Poëtæ sæpiùs *Olympum* accipiant pro ipso cœlo. Sunt autem quatuor hujus nominis montes, primus est in Thessalia, alter in Mysia, ad cujus radices urbem Prusam Annibal condidit; alius in Cypro: quartus denique ad mare Rubrum in Æthiopia non procul ab urbe Helenepoli, qui eaoriente sole ad quintam usque diei horam flammas amittit.

20. *Pelion.*] Thessaliæ etiam mons ad sinum Pelasgicum vergens, partim pineo, partim querneo nemore contectus.

21. *Veteres Thebas.*] Non canerem bellum Thebanum, quod Ponticus & Statius apud Romanos descripserunt.

Nec Pergama nomen Homeri.] Nec bellum scriberem Troianum, quod Homerus viginti quatuor Iliados libris complexus est, & unde tantam famam & gloriam consecutus est. *Pergama* propriè fuerunt urbis Troiæ arces, ut Servius testatur.

22. *Xerxis & imperio.*] *Xerxes* Rex fuit Persarum, qui duo littora Hellesponti ponte junxit; cujus historiam scripserunt Herodotus in Polymnia & Urania. Plutarchus in Themistocle, Justinus lib. 2. & Æmilius Probus. Ipse etiam Lucan. lib. 2.

Tales fama canit tumidum super æquora Xerxem
Constrinxisse vias, multum cum pontibus ausus
Europamque Asiæ, Sestonque admovit Abydo.

23. *Regnave prima Remi.*] Nec etiam originem celebrarem urbis Romæ, à *Rhemo* fratre Romuli, quem Romulus interfecit. Initio enim *Rhemus* & Romulus regnabant, juxta illud Virgilii:

Rhemo cum fratre Quirinus
Jura dabant.

Animos Carthaginis altæ.] Nec etiam bella Punica canerem, ut Silius Italicus *Alta Carthago* dicitur etiam Virgilio:

Tu nunc Carthaginis altæ
Fundamenta locas.

24. *Cimbrorumque minas.*] *Cimbrorum* bellum significat, qui Germaniæ fuerunt populi Oceano vicini ad Boream; qui latrocinando in Asiam usque penetrarunt, quique è patrio solo egressi novas sedes quærentes Imperium Romanum evertissent, nisi Marius Arpinas in illa tempora incidisset, qui *Cimbros* in Galliam & Italiam properantes ad Aquas Sextias & ad flumen Athesin variis certaminibus oppressit: Unde dicit Poeta.

Et benefacta Mari.] Res à *Mario* præclarè gestas, qui nimirùm Cimbros

Bellaque, resque tui memorarem Cæsaris: & tu
 Cæsare sub magno cura secunda fores.
Nam quoties Mutinam, aut civilia busta Philippos;
 Aut canerem Siculæ classica bella fugæ:
Eversosque focos antiquæ gentis Hetruscæ,
 Et Ptolemæa littora capta Phari:

INTERPRETATIO.

gestas. Sed celebrarem tui Cæsaris & res, & prælia, tuque post magnum Cæsarem proxima cura mihi esses. Quoties enim dicerem Mutinam, vel Philippos civilia monumenta, vel navalia prælia fugæ Siculæ, atque solo æquatas prisca nationis Hetruscæ domos, ac littora expugnata Phari Ptolemæa: vel cantarem

ANNOTATIONES.

& Teutones & Ambrones delevit, summo Reipublicæ Romanæ bono natus; unde dicitur à Cicerone Orat. pro Sextio, *ad salutem Imperii Romani natus.*

27. *Nunc quoties Mutinam.*] O Mecænas, mea Musa te semper jungeret armis Augusti quoties canerem aut *Mutinam* aut *Philippos*, &c. Istis porrò omnibus significat bella ab Cæsare Augusto gesta, quibus interfuit Mecænas, Mutinense, Philippense, Siculum, Perusinum, Ægyptiacum & Actiacum. Per *Mutinam* autem, quæ est urbs Italiæ in Flaminia, intellige bellum *Mutinense*, quo D. Brutum obsessum *Mutinæ* ab Antonio Hirtius & Pansa Consules Romani liberarunt.

Philippos.] *Philippi* urbs est Thessaliæ in cujus Campis ab Augusto Brutus & Cassius devicti sunt, ubi etiam anteà Julius Cæsar Pompeium deleverat: unde bis ad *Philippos* acies Romanæ decertarunt, juxta illud Lucani

Romanas acies iterum Philippi.

Dicuntur autem *Philippi* busta civilia, quòd ibi cives innumeri bello civili occubuerint.

28. *Siculæ fugæ.*] Bellum *Siculum* designat adversus Sextum Pompeium Pompeii magni filium ab Augusto gestum, ex quo Sextus Pompeius devictus aufugit cum sex tantum navibus, reliquis omnibus amissis, & bello captis ad numerum 350 & amplius. De his vide Sueton. in August. cap. 16. & Dion. lib. 49.

29. *Focos gentis Hetruscæ.*] Perusinum bellum intelligit ad Perusiam in *Hetruria* gestum, quo fuit eversa Perusia soloque æquata; ut suprà lib. 1. Eleg. ultimâ vidimus ad illud

Si Perusina tibi patriæ sunt nota sepulcra

Dicitur porrò *gens Hetrusca antiqua*, quòd in antiquissimis Italiæ numeretur, utpote quæ ex Sardibus Lydiæ originem duxerit.

30 *Ptolemæo Phari.*] *Pharos* Insula Ægypti fuit colonia Julii Cæsaris Alexandriæ ponte juncta, in qua fuit turris immensæ altitudinis operibus mirificis extructa, quæ nomen ab Insula accepit. Bellum porrò Alexandrinum Significat Propertius, de quo vide Suetonium in August. cap. 17. Dion. lib. 51. & Plutarchum in Antonio. *Pharos* dicitur *Ptolemæa* ab Ægypti Regibus, qui dicti sunt *Ptolemæi* à *Ptolemæo* Lagi filio, qui primus hujus nominis ibi regnavit unde etiam Lagidæ vocati sunt. Anteà vocabantur Pharaones, ut habetur in Sacris codicibus. Solinus ab hac *Pharo* dicit vocari *Pharos* machinas in portubus ad prælucendi ministerium fabricatas, quod ex hac *Pharo* Alexandrina facibus accensis nocturnæ navigationes dirigerentur. Sostratus autem Gnidius ob salutem navigantium turrim *Pharon* fabricasse, permittente Ptolomæo Rege Ægypti, primus dicitur.

Aut

Aut canerem Ægyptum, & Nilum, cum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis:
Aut Regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in sacra currere rostra via:
Te mea musa illis semper contexeret armis,
Et sumpta, & posita pace fidele caput.
Theseus infernis, superis testatur Achilles
Hic Ixioniden, ille Menœtiaden.

INTERPRETATIO

Ægyptum devictam, ac Nilum, quando adductus in Urbem septem ostiis ipsius captivis languidus fluebat; vel Regum cervices constrictas vinculis deauratis, & Actia rostra navium vehebantur per sacram viam. Te jugiter mea Musa istis armis adjuvaret, fidum caput, sive accepta, sive repulsa pace. Theseus apud inferos testem laudat Ixioniden, Achilles verò apud superos Menœtiadem.

ANNOTATIONES.

31. *Ægyptum & Nilum.*] Cum canerem. *Ægyptum* devictam & in formam Provinciæ redactam, & Nilum, qui coactus in triumphum una cum captivis Romam venire fractus fluebat. Solebant enim Romani sicut oppidorum & regionum ita & fluminum simulacra in triumphum portare; fingebanturque fluvii fracti & victi lentiùs fluere. Ut apud Virgil. Lib. 8. Æneid.

—— Euphrates ibat jam mollior undis.
Et
Contra autem magno mærentem corpore Nilum.

32. *Septem aquis.*] Quia nimirum septem ostiis mare Nilus ingreditur; Unde Virgilius,

Et septem gemini turbant trepida ostia Nili

Horum nomina sunt, Canopicum, Bolbiticum, Sebeniticum, Phaniticum, Mendesicum, Tanicum, & Pelusiacum.

34. *Actiaque rostra in sacra via.*] *Rostra* nempe navium captarum bello *Actiaco*, seu ad *Actium* promontorium Epiri gesto, quo M. Antonium Augustus vicit fugavitque, cujus ut memoria celebrior fieret in posterum, urbem Nicopolin ad *Actium* promontorium condidit, ludosque ibidem instituit, quos *Actio* Apollini dedicavit, & Actia nuncupavit; Unde Virgil. Lib. 3. Æneid.

Actiaque Iliacis celebramus littora ludis.

De bello Actiaco vide Sueton. In Augusto, Plutarchum in Antonio. Strabon. Lib. 7. & Virgil. Lib. 8. Æneid. *Sacra via* Romæ dicebatur vicus ille, per quem triumphales vehebantur in Capitolium. Festus ait sic eam viam fuisse dictam, quod in ea sit olim fœdus ictum inter Romulum & Tatium.

36. *Et sumpta & posita pace.*] Mœcenatis laus, qui tempore pacis & belli fidelissimus fuit Augusto: quamvis olim in Mæcenate suo taciturnitatem desideraverit Augustus, quia nempe arcanum de comperta conjuratione uxori Terentiæ prodiderat.

37. *Theseus infernis.*] Amicitiam Mæcenatis in Augustum comparat amicitiæ *Thesei* in Pirithoum, & Achillis in Patroclum. Ad inferos non dubitavit descendere *Theseus* cum suo Pirithoo ad rapiendam Proserpinam, ut fabulantur Poetæ,

Horat. Lib. 4. Od. 7. V. 27.

Nec Lethæa valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo. ——

Superis testatur Achilles.] Quantum Achilles Patroclum dilexerit testatur Homerus, qui illius de Patrocli morte querelas & mœrores describit.

38. *Hic Ixioniden.*] *Ixionides* dict-

His ſaltem ut teneat jam finibus : aut, mihi ſi quis
Venerit alter amor, acrius ut moriar.
Si memini, ſolet illa leves culpare puellas :
Et totam ex Helena non probat Iliada.
Seu mihi ſint tangenda novercæ pocula Phœdræ ;
Pocula privigno non nocitura ſuo :
Seu mihi Circæo pereundum eſt gramine, ſive
Colchis Colchiacis urat aēna focis :

INTERPRETATIO.

Ut ſaltem iſtis nunc contineat terminis : vel ſi alterius amore ardeam, ut trucem mortem ſubeam. Si bene recorder, Cynthia conſuevit improbare & vituperare inconſtantes fœminas, atque propter unam *Helenam, omnem culpat Iliadem. Sive mihi ſint guſtandi calices novercæ Phœdræ non nocituri privigno ejus* Hippolyto, *ſive mihi moriendum ſit herbis Circæis, ſive mihi Colchis accendat ænea vaſa ignibus* Colchiacis :

ANNOTATIONES.

unam *Helenam* totum non probat Homeri nobiliſſimum opus Iliadem, quia illo carmine nimirùm celebratur Helena, cujus perfidiam deteſtatur, utpote quæ, relicto Menelao conjuge, ſecuta ſit Paridem.

53. *Noverca pocula Phædra.*] Senſus eſt ; ſi qua puella me veneficiis aut philtris amatoriis perditura eſt, ſola ſine dubio Cynthia me perdet. Porrò pocula ſeu philtra amatoria ſignificat poëta quibus *Phædra* privignum ſuum Hippolytum in amorem pellicere nitebatur, ut refert Seneca Tragicus in Hippolyto.

Phædra autem fuit filia Minois Cretenſium Regis, Theſei uxor, quæ Hippolyti ejuſdem Theſei ex Hippolyta Amazone filii amore correpta, cum ipſum adducere non potuiſſet, ut thalamum patris abſentis nefando concubitu conſpurcaret, eum apud patrem accuſavit, quaſi ſibi ſtuprum inferre voluiſſet. Theſeus verò temerè verbis Phædræ fidem adhibens graviter filio iratus Neptunum, ut de ipſo ſupplicium ſumeret, invocavit. Hyppolytus vero patris iram fugiens currum conſcendit, cumq; in littore maris ejus equi phocarum ſtrepitu vehementer eſſent perterriti currum per ſcopulos & ſaxa, Hippolyto fruſtra obluctante, traxerunt, miſerumque juuenem loris implicitum varias in partes diſcerpſerunt. qui deinde Æſculapii ope reviviſcens, relicta Attica, in Italiam ſe contulit, ubi Ariciam urbem condidit non procul a loco, in quo Roma condita eſt, tandemque ſepultus eſt in nemore Aricino Dianæ ſacro. Unde Ovid. Lib. 3. Faſtor.

Hic jacet Hippolytus loris diſcerptus equorum,
Unde nemus nullis illud aditur equis.

55. *Circæo gramine.*] *Circe* fuit venefica, quæ poculis & ſuccis herbarum quarum apprimè vires noverat, homines dementabat ; Filia ſolis dicitur fuiſſe, & Regis Colchorum uxor, quæ, conjuge ſuo Sarmatarum Rege veneficiis ſublato, in Italiam profugit, & in illa Latii parte ſedem ſibi delegit, in qua mons Circæus eſt ab ejus nomine dictus, ubi & Ulyſſem hoſpitio excepit, ſocioſque ejus mutavit in feras, ſeu porcos.

56. *Colchis Colchiacis focis.*] Medea dicitur *Colchis*, utpote quæ à *Colchide* regione oriunda ; fuit & illa artis magicæ & veneficiorum peritiſſima, quæ etiam dicitur Æſonem Jaſo-

Una meos quoniam prædata est fœmina sensus,
Ex hac ducentur funera nostra domo.
Omnes humanos sanat medicina dolores,
Solus amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetæ sanavit crura Machaon,
Phœnicis Chiron lumina Phillyrides.
Et Deus extinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis.
Mysus & Hæmoniâ juvenis quâ cuspide vulnus
Senserat, hâc ipsâ cuspide sensit opem.

INTERPRETATIO.

quandoquidem unica puella meos mihi sensus rapuit, ex his ædibus meum funus efferetur. Omnibus morbis humanis remedium affert medicina; At verò solus amor medicum & morbi medicinam odit. Machaon curavit languida Philoctetæ crura, Chiron Phillyrides oculos sanavit Phœnicis, divus etiam Epidaurius Cretensibus graminibus Androgeonem mortuum paternis laribus reddidit incolumem. Mysus etiam adolescens ex ea ipsa hasta Æmonia, qua vulnus acceperat, accepit remedium.

ANNOTATIONES.

nis patrem ætate decrepitum coquendo in juventutem restituisse. Plura jam de Medea diximus supra in notis ad Catullum & Tibullum.

61 *Philocteta sanavit Crura Machaon.*] *Philoctetes* Pœantis Filius fuit & Herculis comes, qui cum acceptas ab ipso Hercule sagittas aliquando tractaret, una delapsa eum ipsius pedem graviter vulneravit, quo tumulum Herculis indicaverat. *Philoctetem* autem vulnus istud tanto dolore affecit, ut relicto bello Trojano, suadente Ulysse, in Insulam Lemnon *ut tentaret feros requie lenire dolores*, discesserit. *Philocteten* sanavit *Machaon* Medicus Æsculapii Filius, qui cum Podalyrio fratre ad bellum Trojanum Agamemnonem secutus fuerat. His porro exemplis demonstrat Propertius omnes morbos etiam maximos posse sanari præter amorem, quæ est amabilis insania.

62. *Phœnicis Chiron Phillyrides.*] *Chiron* Centaurus Saturni & Phillyræ filius, Medicinæ cæterarumque artium peritia præstantissimus, Pædagogus fuit Achillis, quem optimum inter alia Citharædum rerumque actorem fortissimum effecit; Æsculapium insuper Medicinam, & Herculem Astrologiam docuit. Cum autem aliquando Phœnix Amyntoris filius Achillis etiam institutor oculis captus cæcusque factus fuisset, à Chirone sanatus est, ipsumque Achillem ad bellum Trojanum est comitatus.

63. *Deus Epidaurius.*] Periphrasticè Æsculapius significatur, Epidaurius ab urbe Achaiæ *Epidauro* dicitur, in qua religiosè colebatur, quod ibi natus & educatus fuisset.

64. *Androgeona focis.*] *Androgeos* Minois filius fuit; qui & Glaucus alio nomine dictus est. Hic athletico certamine clarus per insidias & invidiam ab Athletis Regis Atheniensium Ægei interfectus est, posteaque ab Æsculapio vitæ Patriæque restitutus.

65. *Mysus & Æmoniu.*] Telephus intelligitur Mysorum Rex qui graviter aliquando ab Achille vulneratus, ab eodem sanatus est, eâdem quâ violatus fuerat, hastâ repercussus.

Hoc si quis vitium potuit mihi demere, solus
Tantaleæ poterit tradere poma manu.
Dolia virgineis idem ille repleverit urnis,
Ne tenera assiduâ colla graventur aquâ,
Idem Caucasea solvet de rupe Promethei
Brachia, & à medio pectore pellet avem.
Quandocunque igitur vitam mea fata reposcent,
Et breve in exiguo marmore nomen ero:
Mæcenas nostræ spes invidiosa juventæ,
Et vitæ & mortis gloria justa meæ:
Si te forte meo ducet via proxima busto,
Esseda cælatis siste Britanna jugis.

INTERPRETATIO.

Si quis me morbo, seu vitio, quo laboro, valet liberare, ille unus poterit mala porrigere Tantali manibus. Idem ipse poterit implere dolium urnis puellaribus, ne molles Danaidum cervices aqua continua opprimantur. Idem ipse liberare poterit Promethei membra à saxo Caucaseo, & ab ejus præcordiis & visceribus aquilam fugabit. Quocunque ergo tempore fata meam à me vitam repetent, ac in parvo tumulo exiguus ero titulus: ô Mæcenas, mea juventutis spes eximia, & decus ingens mihi vivo & mortuo, si forsan iter te meo sepulcro vicinum feret, jube paululùm consistere tuum currum, Britannicum jugis exornatis.

ANNOTATIONES.

68. *Tantalea manu.*] Pro *manui*, sextus pro tertio casu,
Apud Virgil.

——— *Teque aspectu ne subtrahe nostro.*

Quod frequentius veteres in nominibus quarti ordinis usurpabant. *Tantali* notior est fabula, quam ut referri debeat. Ovidius Lib. 2. Amor. Eleg. 2.

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus; hoc illi garrula lingua dedit.

69. *Dolia virgineis urnis.*] Danaidas seu Belidas intelligit, quæ apud inferos aquas jugiter hauriunt ac in dolium perforatum infundunt, quod nunquam possunt explere. Tibull. Lib. 1. Eleg. 3.

Et Danai proles Veneris quæ numina læsit,
In cava Lethæas dolia portat aquas.

71. *Caucasea de rupe Promethei.*] Si quis me vacuum amore efficere & isto morbo me liberare valebit, ille non modo poma Tantalo porrigere degustanda, sed & Belidum, seu Danaidum dolium poterit explere, & *Promethei* corpus è *Caucasea rupe* solvere, ab ejusque visceribus aquilam voracem amovere. Fabulam *Promethei* in *Caucaso* monte religati, ubi jecur ipsius continuo renascens aquila depascebatur, supra jam pluribus attigimus.

74. *In exiguo marmore nomen ero.*] Cum nihil mei supererit præter nomen exile paucis literis exaratum.
Ovid. de morte Tibulli.

Si tamen è nobis aliquid nisi nomen & umbra
Restat.

Propertius ipse Lib. 3. Eleg. 16.

Non juvat in media nomen habere via.

78. *Esseda Britanna.*] Vehicula *Britannica*, sed & quælibet alia cælaturis & picturis ornari solita fuisse refert. Plin. Lib. 33. cap. 21.
Propert. Lib. 4. Eleg 3.

——— *Pictoque Britannia curru*

Taliaque illacrimans mutæ jace verba favillæ:
Huic miſero fatum dura puella fuit.

INTERPRETATIO.

haſque voces cineribus meis non reſponſuris vicem meam dolens effunde: iſti infelici Propertio *ſæva amica mortis cauſa fuit.*

ANNOTATIONES.

79 *Mutua jacet verba favilla.*] Meos Manes, cinereſque non reſponſuros ſic affare;

Ut Eleg. ultima Lib. 4.

Ut reſponſura ſingula verba jace.

Sic etiam Tibullus Lib. 2. Eleg. 7.

Et mea cum muto fata querar cinere.

Et Catullus Carm. 99.

Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.

80. *Fatum dura puella fuit.*] Sic etiam,

Tibullus Lib. 3. Eleg. 2.

Lygdamus hic ſitus eſt: dolor huic & cura Neera

Conjugis erepta cauſa perire fuit.

Ovidius Epiſtol. Didûs ad Æneam.

Præbuit Æneas & cauſam mortis & enſem.

ELEGIA II.

CYNTHIÆ PUELLÆ LAUDES.

LIBER eram, & vacuo meditabar vivere lecto,
At me compoſita pace fefellit amor.
Cur hæc in terris facies humana moratur?
Jupiter ignoſco priſtina furta tua.
Fulva coma eſt, longeque manus, & maxima toto
Corpore, & incedit vel Jove digna ſoror,
Aut cum Dulichias Pallas ſpatiatur ad aras
Gorgonis anguiferæ pectus operta comis,

INTERPRETATIO

AMORE ſolutus mihi videbar, & ſalibe lectulo vitam ducere cogitabam; ſed iniro fœdere me decepit amor. Quare autem hac inter mortales digna cœlo *muliebris forma verſatur? O Iupiter, non credo tua antiqua furta fuiſſe vera. Cæſaries illi aurea eſt, & prolixa manus, ipſaque omni corpore procero jucundiſſima. & procedit ut ſoror Iove* etiam *ipſo digna, vel qualis Pallas incedit ad aras Dulichias pectus habens obtectum capite Gorgonis anguifera.*

ANNOTATIONES.

1. *Liber eram.*] Cynthiæ formoſitatem Propertius laudibus extollit, quam dicit fuiſſe cauſam, cur amori ſit mancipatus; eamdem Heroinis & Deabus exæquat, atque etiam præponit, eam denique nulla ſenili ætate mutari, aut corrumpi deſiderat.

4. *Iupiter. ignoſco furta.*] Alii legunt, *ingnoro*; ſed retinendum ignoſco, ut ſenſus ſit: neſcio cur tam multas olim rapueris, & compreſſeris puellas; vel non puto, ea quæ de tuis antiquis adulteriis dicuntur eſſe vera, teque tam multas puellas rapuiſſe, quandoquidem Cynthiam antiquis omnibus tum fœminis tum Deabus longe formoſiorem inter mortales relinquas.

5. *Maxima toto corpore.*] Juſta corporis magnitudo in fœminis etiam laudatur, Ariſtoteles Lib. 4. Ethicor. *Pulchritudo conſiſtit in magno corpore, & parvi pulcri eſſe non poſſunt.*

6. *Incedit vel Iove digna ſoror.*] *Incedere* nobilium eſt perſonarum, unde & laudatur Junonius inceſſus.
Virgil. Lib. 1. Æneid.

Aſt ego quæ Divûm incedo regina, Iovisque
Et ſoror & conjux ———

7. *Dulichias Pallas ſpatiatur ad aras.*] *Dulichium*, Inſula in mari Jonio non longe ab Itacha Ulyſſis patria, unaque ex Echinadibus quibus Ulyſſes olim imperavit. Dicitur autem *Pallas* incedere gravi paſſu ad aras *Dulichias*, vel propter Ulyſſem, cui ſemper adhæreſcebat, vel quia in ea inſula religioſe colebatur. Nonnulli legunt *Munychias*, id eſt, Athenienſes, à Munychio portu Athenis vicino, vel à Munychia tumulo, à quo murus quadraginta ſtadiorum, Athenas Urbem cum Pyræo, duobuſque aliis portubus jungebat.
Ovid. Lib. 2. Metamorphoſ.

Munychioſque volans agros, gratamque. Minerva
——— *Deſpiciebat humum.* ———

Munychia, orum, feſta fuerunt Palladis apud Athenienſes, unde etiam *Munychius* portus dictus eſt. Senſus autem Poetæ hic eſt. Cynthia tam formoſa eſt, quam ipſa Pallas, quando ad aras *Dulichias*, vel *Munychias*, quibus religioſiſſime colitur, velato capite Medusæo, quod geſtat in Ægide procedit.

8. *Gorgonis Anguiferæ.*] *Gorgones*

Qualis & Ischomache Lapithæ genus Heroinæ
Centauris medio grata rapina mero,
Mercurioque sacris fertur Bœbeidos undis
Virgineum primo composuisse latus.
Cedite etiam divæ, quas pastor viderat olim;
Idæis tunicam ponere verticibus.

INTERPRETATIO.

& qualis Iscomache proles Heroina Lapitha, jucunda præda Centauris inter pocula primo dicitur puellare suum corpus Mercurio in sacris Bœbeidos aquis accommodasse. Desinite nunc ô Deæ, quas quondam Pastor in jugis montis Ida conspexit, desinite nunc exuere vestem interiorem.

ANNOTATIONES.

Phorci filiæ tres dicuntur fuisse, Euryale, Stheno, Medusa, quæ sola mortalis erat, & cujus caput recisum à Perseo datum fuisse Minervæ scribit Apollodorus Lib. 2. Erant autem *Gorgones*, ut ait Ovidius, *Crinita draconibus ora*, seu puellæ pro crinibus angues & colubros habentes, quæ Dorcadas Insulas in Oceano Æthiopico sitas incoluisse dicuntur contra Hesperidum hortos. Contra *Gorgonas* bellum gessisse dicitur Perseus Danaës & Jovis filius, Mercuriique talaribus & ense, Palladisque item scuto fretus Medusam interemisse, cujus caput abscissum Palladi donavit.

9. *Ischomache Lapithe genus Heroina.*] *Ischomache* quæ & alio nomine dicta est *Hippodamia* & *Hippodame*, & *Deidamia*, filia fuit Attacii, seu Attacis è gente Lapitharum nuptaque Pirithoo, in cujus nuptiis Centauri mero calescentes, ac libidine exæstuantes, puellas in primis que novam nuptam rapere aggressi sunt, Ut ait Ovid. Lib. 12. Metamorph.

Raptaturque comis per vim nova nupta prehensis:
Eurytus Hippodamen; alii quam quisque probabat.

Pirithous autem Ischomaches conjux, aliique præstantissimi Heroës una cum Lapithis contra Centauros fortiter decertarunt, multisque trucidatis reliquos fugaverunt.

10 *Centauris.*] Thessaliæ populi fuerunt secus Pelion montem habitantes, qui primi domare equos, & ex iis pugnare didicerunt; unde factum est, ut a populis vicinis primùm conspecti corpora partim humana, partim equina habere crederentur.

11. *Sanctis Boebeidos undis.*] *Boebeïs* palus est, seu lacus, de quo jam supra diximus in notis ad Tibullum. Porro Strabo stagnum *Bœbeidem* collocat in Thessalia non procul ab urbe Pheris. Ejus autem aquæ dicuntur sanctæ, quod iis quondam dicatur Minerva suos pedes abluisse, ut è Strabonis Libro 9. colligitur.

12. *Primo composuisse latus.*] Alii legunt, *Brimo*, Græcis enim dicitur hoc nomine Proserpina à terrendo, quod ipsa terrores immittere crederetur; sed hoc ipsi convenire nequit, quod dicitur corpus suum Mercurio composuisse, cum nullibi legatur cum ipso consuetudinem habuisse. Videtur autem Propertius, si hoc scripsit, Grammaticos Græcos secutus, qui dicunt vehementer à Proserpina perterritum fuisse Mercurium, cum ipsi vim vellet inferre, unde & à tam gravi facinore deterritus est.

13. *Diva, quos Pastor viderat.*] O Deæ, quas olim *pastor* Paris nudas conspexit in monte Ida, nolite de pulcritudine & forma contendere cum Cynthia. Junonem, Palladem, & Venerem intelligit, quas Paris pastor de pulcritudine, & formæ præstantia disceptantes nudas vidit in monte Ida; ubi secundum Venerem sententiam tulit, ipsique malum aureum velut pul-

Hanc

Hanc utinam faciem nolit mutare ſenectus,
Et ſi Cumææ ſæcula vatis aget.

INTERPRETATIO.

Vtinam ætas & ſenectus iſtam formam non poſſit corrumpere, quanquam Sibylla Cumana ævum percurreret.

ANNOTATIONES.

cherrimæ, ut victoriæ ſignum, adjudicavit. Hoc autem l·aridis j dic um adeo Poëtis aliiſque ſcriptoribus eſt celebratum, ut de eo plura dicere ſupervacaneum fore putemus.

14 *Idæis ſummam ponere verticibus.*] In cacumine montis Idæ in Phrygia non procul ab urbe Troja, ubi Paſtor Paris greges & armenta paſcebat. Ovid in Epiſtol. Helenæ:

——— *In altis vallibus Idæ,*
Tres tibi ſe nudas exhibuere Deæ.

16. *Cumææ ſæcula vatis.*] Sibyllæ Cumanæ, quæ Deiphobe dicta eſt, longiſſimamque ætatem duxit, ſæcula exigat. De Cumæa Sibylla jam pluribus ſupra in notis ad Tibullum. Ipſa verò de ſua ætate loquens apud Ovidium Lib. 14. Metamorphoſ. eadem fere verba Propertii habet.

——— *N·m jam mihi ſæcula ſeptem*
Acta vides: ſupereſt numeros ut pulveris æquem.
Ter centum meſſes, ter centum muſta videre.

Nec si qua Arabio lucet bombyce puella,
Non sum de nihilo blandus amator ego.
Quantum quod posito formose saltat Iaccho,
Egit ut Evantes dux Ariadna choros.
Et quantum, Æolio cum tentat carmina plectro,
Par Aganippeæ ludere docta lyræ.
Et sua cum antiquæ committit scripta Corinnæ,
Carminaque Erinnes non putat esse suis.
Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus,
Aridus argutum sternuit omen amor?

INTERPRETATIO.

Neque si aliqua puella Arabio ostro micas. Ego non sum amans de re minima adulari solitus. Quia tam eleganter saltat, quam Ariadne choreas agens Evantes Baccho opposito ducit, ipsaque tam perita est canere, ut citharam Aganippeam adaquet, quando Æolio pectine cantus deducere aggreditur, suaque carmina cum scriptis prisca C.rinna comparat, & Erinna ver us non existimas suis esse pares. An tibi nascenti, ô mea lux, p opitius & favens Amor felix sternuendo dedit auspicium?

ANNOTATIONES.

14. *Sidera.*] Oculorum commendatio, quorum fulgor sideribus comparatur, juxta illud Martial

Lumina sideribus certent ———

15. *Arabio bombyce.*] Pro veste hombycina, seu serica. Vocat autem *bombycem Arabium*, ostrum seu sericum, quod ex *Arabia* regione felicissima defertur.

17. *Iaccho.*] Vino, seu mero, metonymicas, quia nempe Bacchus, qui & Iacchus, inventor est vini, quia inter epulas & vinum choreæ

18. *Evantes dux Ariadna.*] Vidimus supra, *Evantes* inter alia cognomina Bacchantes, seu Bacchas fœminas dictas fuisse ab *Evan*, qui est Bacchus. *Ariadne* porro jure dicitur choros Baccharum ducere; quia nempe à Theseo relicta Baccho nupsit, cui Bacchæ seu *Evantes* sunt consecratæ

19. *Æolio plectro.*] *Æolius* hic sumitur pro Lesbio, seu Alcaïco, & Sapphico; quia nempe Lesbos insula fuit *Æolicarum* insularum princeps, ex qua Alcæus Poëta, & Sappho Poetria oriundi fuisse dicuntur.

20. *Aganippea lyra.*] Quæ canere didicit, qood lyram Musarum æquet. *Aganippea lyra* sumitur pro *Aonia*, qoia nempe *Aganippe* fons est in Bœotia, quæ & *Aonia* dicitur, Musis, quæ & *Aonides* dicuntur, sacer. Vide notas in Catullum ad illud epithal. Manlii *frigerans Aganippe.*

21. *Antiqua Corinna.*] Duplex *Corinna*, altera Thebana seu ut volunt alii Tanagræa, quæ Thebis carmine lyrico Pindarum superavit. Altera fuit Thespia, & ipsa Poëtria, quam nonnulli dixerunt fuisse Corinthiam. Vide Pausan. in Bæoticis, Ælian. Lib. 13. Suid. in Corinna, Plutarch. Lib de Musica, & Librum novem Poëtriarum editum à Fulvio Ursino.

22. *Carminaque Erinnes.*] *Erinne* seu Erinna fuit Poetria Sappho coætanea. De hac Euseb. in Chron. *Erinna poëtria vixit quo tempore Dion Syracusis interemptus est.* Ipsam alii Teniam, alii Teïam, alii Teliam, alii Rhodiam fuisse dicunt.

24. *Sternuit omen amor*] *Sternutationem* olim fuisse rem sacram, vimque augorii habuisse tradit Aristotel. Problemat. Quæst. 20. & Lib. 1. de Animal. nat.

Hæc tibi contulerunt cœlestia munera divi,
    Hæc tibi ne matrem forte dedisse putes.
Non non humani sunt partus talia dona,
    Ista decem menses non peperere bona.
Gloria Romanis una es tu rara puellis,
    Romano accumbes prima puella loco.
Nec semper nobiscum humana cubilia vises.
    Post Helenam hæc terris forma secunda redit.
Hâc ego non mirer si flagret nostra juventus.
    Pulchrius hâc fuerat, Troja, perire tibi.
Olim mirabar, quod tanti ad Pergama belli
    Europæ, atque Asiæ caussa puella fuit.
Nunc, Pari, tu sapiens, & tu, Menelae, fuisti:
    Tu, quia poscebas: tu, quia lentus eras.
Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles,
    Vel Priamus, belli caussa probanda fuit.

INTERPRETATIO

Ista in te cœlestia munera Dii congesserunt; ne ergo *existimes ista tibi genitricem tuam contulisse; non equidem sunt humani partus tanta tum animi tum corporis dotes. Hac dona tibi decem menses non contulerunt. Tu sola in lucem edita es, ut decus esses fœminis Romanis. Tu in loco Romano puella prima accumbes; neque jugiter nobiscum lectos hominum adibis. Post Helenam hac altera forma in terras mittitur. Iamne mirum videbitur, si istam nostra* Roma*na pubes ardeat, & depereat? ô Troja, tibi fuisset gloriosius ob istam* puellam *dirus, quàm ob Helenam. Mihi quondam mirum videbatur, quòd tam cruenti belli ad Trojam, Europa & Asia unica fœmina causa extitit; iam verò, fateor, ô Pari, tuque, ô Menelae, sapiens fuisti; tu quia uxorem repetebas, tu verò quia eam reddere cunctabaris. Digna certè forma propter quam vel periret Achilles, aut Priamus: belli tanti satis idonea causa fuit.*

ANNOTATIONES.

25. *Contulerunt.*] Penultimâ syllabâ correptâ pronuntiavit, more antiquorum, qui *emerunt*, *tulerunt*, mediâ brevi pronuntiabant, ut ait Donatus. Ita Virg Eclog. 4.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

28. *Decem menses non peperere.*] De tempore humani partus multæ sunt opiniones, de quibus vide Gellium Lib. 3. cap 16. hoc in loco Propert. Sicut & Eclog 4. Virgil. putarunt partum humanum decem mensibus contineri seu decimo mense fieri. Decem verò menses illi apud antiquos Lunares erant, qui novem nostris mensibus vertentibus respondent.

29. *Prima puella loco.*] Tu prima eris inter puellas *Romanas*. Nonnulli malè & corruptè legunt *Jovi* pro *loco*.

36. *Europa atque Asia causa puella fuit.*] Helenam significat, quæ rapta à Paride causa fuit belli illius cruenti, quod toto decennio ad Trojam gesserunt Græci cum mille navibus, duce Menelao rege, qui Helenam uxorem reposcebat.

Catull.

Troja nefas, commune sepulchrum Europæ Asiæque.

Dixit autem Poëta *Europa*, propter Græcos, *Asiaque* propter Trojanos In hanc sententiam dixit etiam B. Hieronymus *propter unius mulierculæ raptum Europa atque Asia decennalia bella confligunt.*

Si quis vult famâ tabulas anteire vetustas,
Hic dominam exemplo ponat inante meam.
Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois,
Uret & Eoos, uret & Hesperios.
His saltem ut teneat jam fin bus ut mihi si quis
Acrius ut moriar, venerit alter amor.
Ac veluti primo taurus detrectat aratra
Mox venit adsueto mollis ad arva jugo:
Sic primo juvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post hæc æqua, & iniqua ferunt.
Turpia perpessus vates est vincla Melampus
Cognitus Iphicli subripuisse boves:

INTERPRETATIO.

Si aliquis cupit celebritate nominis veterum tabellas superare, iste sibi meam puellam pingendam proponat. Seu istam exponat Hesperiis, seu Eois, sui amore inflammabit & Eoos, inflammabit & Hesperios. Istis ut saltem terminis contineat, mihi concedatur; *nisi mihi* forsan *aliquis alius amor contigerit, ut acerbius peream. Et quemadmodum primò taurus jugum excutit, deinde assuefactus servitio facilis ad aratrum venit. Ita initio juvenes sævi & indomiti in amore sunt inconstantes & incerti: postea verò subacti justa & injusta, digna & indigna patiuntur. Melampus vates deprehensus cum furaretur Iphicli boves infames catenas & carcerem passus est;*

ANNOTATIONES.

41. *Tabulas anteire vetustas.*] Si quis pictor sui commendatione operis cupit tabulas vetustissimorum pictorum, qui deas mulieresque formosissimas pinxerunt, nempe Zeuxis, Apelles Parrhasius, is sibi proponat pro exemplo dominam meam Cynthiam pingendam. Itaque ostendit nullam mulierum formam esse Cynthiæ pulchritudini æquiparandam.

43. *Hesperiis sive illam ostendet Eois.*] Occidentalibus & Orieotalibus populis. *Hesperius* enim idem est ac Occidentalis, ab *Hespere* stella, quæ primâ vespere, seu post solis occasum apparet. Unde est dicta *Hesperia* pars Europæ Occidentalis quæ ad solem occidentem vergit maximè Italia & Hispania. Sic etiam *Eous* est Orientalis, à voce græca ἠώς, id est Aurora. Unde ad Orientem positi populi dicuntur Eoi; Ovid. Lib. 1. Amor Eleg. ultima.

Gallus & Hesperiis & Gallus notus Eois.

51. *Melampus vates.*] Divinandi peritissimus amori fratris sui Biantis; qui Pero Nelei patris Nestoris filiam deperibat adeò obsecutus est, ut libens propter eum effecerit se in vincula & carcerem conjici, ut ipsi eandem Pero procuraret uxorem. Cum enim Neleus filiam suam Pero formâ præstantem à pluribus procis adamatam nemini se desponsurum dixisset, nisi ei, qui boves Iphicli abactos sibi traderet, *Melampus* licet arte suâ apprimè persensisset se in furto deprehensum iri, tamen Iphicli boves furari conatus est, qui in flagranti delicto captus, vinctusque in carcerem conjectus est. Unde post annum tandem emissus est, & Pero data Bianti uxor. Homer. 11. Odyss. Paus. 10 Messeniacis.

52. *Iphicli.*] *Iphiclus* fuit vir ditissimus, quem Apollodorus Philaci filium fuisse tradit, qui boves habuit ad Phylacam Urbem canum custodia ita bene & diligenter servatos, ut ad eos nemo mortalium, neque ferarum ulla proximè accedere auderet.

Quem non lucra, magis Pero formosa coegit,
Mox Amithaoniâ nupta futura domo.

INTERPRETATIO.

Quem non cupiditas quæstus, sed potius Pero pulchra non diu post in domo Amythaonia nuptura ad facinus *compulit.*

ANNOTATIONES.

53. *Pero formosa.*] Filia fuit Nelei, cujus formam efflictim amavit Bias Melampodis germanus. Hanc Homerus mortalibus ut miraculum inter formosas mulieres visam fuisse dicit, θαῦμα βροτοῖσι.

54. *Amithaonia domo.*] *Amithaon* pater fuit Biantis & Melampodis. Pero autem dicitur nuptura in *domo Amithaonia*, quod nempe post annum Bianti Melampodis fratri germano nuptura esset. Vide notas ad illud Tibulli Lib. 4.

Queis Amithaonius nequeat certare Melampus.

ELEGIA IV.

AD AMANTEM.

MULTA prius dominæ delicta queraris oportet,
  Sæpe roges aliquid, sæpe repulsus eas.
Et sæpe immeritos corrumpas dentibus ungues,
  Et crepitum dubio suscitet ira pede.
Nequicquam perfusa meis unguenta capillis
  Ibat, & expenso planta morata gradu,
Non hic herba valet, non hic nocturna Citæis,
  Non per Medeæ gramina cocta manus,
Quippe ubi nec causas, nec apertos cernimus ictus;
  Unde tamen veniant tot mala cæca via est.

INTERPRETATIO.

ANTEQUAM votis potiri possis tibi necesse est ut plurima vitia amicæ tuæ conqueraris, ut aliquid frequenter petas, & frequenter abeas cum repulsa, & ut frequenter dentibus corrodas ungues innocentes, neque strepitum amici pigri ac titubanti pede tua edat. Frustra aspersa sunt crinibus meis unguenta; & pes meus lentus librato passu incedebat. In Amore nullam vim habent gramina, neque Citais nocturna, neque per Medeæ artes cocta herba. Quando enim non videmus originem mali, neque manifestos ictus; tamen occultum est iter quo tot in nos adveniant vulnera.

ANNOTATIONES.

1. *MUlta prius.*] Plura patienter toleranda, plusqoe esse fellis in amore, quam mellis significat Propertius, morbumque esse amoris repentinum, puellarumque amorem esse difficiliorem & incertiorem

2. *Sæpe repulsus eas.*] Propertium imitatus est Ovid. Lib. I. Amor. Eleg. 9.

Sæpè fruar dominâ, sæpè repulsus eam.

3. *Corrumpas dentibus ungues.* Gestus est iratorum & cogitabundorum, ungues rodere, ut infra Lib. 3. Eleg. ultima.

Ungue meam morso sæpe querere fidem

7. *Non hic herba valet.*] Unde etiam ipse Apollo apud Ovid. Lib. 1. Metamorph

Nullis Amor est medicabilis herbis.

Non hic nocturna Cytæis.] Medea, vel alia quæcumque saga, quæ sacra loa magica nocturno tempore peragit; ut Horat. ait Od. 5. Epod.

Nox & Diana, quæ silentium regis;
  Arcana cum fiunt sacra,
  Nunc nunc adeste ———

Citais igitur sumitur, pro quacumque saga fœmina artis magicæ seu veneficæ peritissima, quæ ita dicitur à Citæa civitate Colchorum, unde & Medea dicta est *Citæis*, & incantamenta magicaque carmina *Citæina*, seu Citeïa dicuntur, ut jam supra vidimus.

8 *Non per Medeæ manus.*] *Medea* regis Colchorum filia quæ Jasonem vellus aureum expilaturum & exportantem secuta est artis veneficæ ac magicæ semper apud veteres habita est peritissima. De hac jam supra pluribus. Alii leguot, *Perim deæ gramina cocta manu*, alludentes ad *Perimedem* veneficam & magam, de qua fit mentio apud Theocritum ejusque scholiaste in Pharmaceutria. V. 16. Tu vide sis.

Non eget hic medicis, non lectis mollibus æger,
Huic nullum cœli tempus, & aura nocet,
Ambulat, & subito mirantur funus amici;
Sic est incautum quicquid habetur amor.
Nam cui non ego sum fallaci præmia vati?
Quæ mea non decies somnia versat anus?
Hostis si quis erit nobis, amet ipse puellas,
* * * * * * * *
* * * * * * * *
* * * * * * * *
* * * * * * * *
* * * * * * * *

INTERPRETATIO.

Iste agrotus non indiget medicis, neque jucundis cubilibus; Isti enim nulla aeris intemperies, nullus ventus causa morbi est. Deambulat, ac repente eum amici mortuum admirantur; adeò improvisum est id, quod Amor dicitur. Cui namque Auguri, aut conjectori præda non sum? Quæ saga non sæpius animo revolvit mea somnia? Si verò mihi quis fuerit inimicus, mulieres iste deperеat:

* * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * *

ANNOTATIONES.

11. *Non eget hic medicis.*] Quia nimirùm Amor *morbi non amat artificem.*

13. *Ambulat.*] Et valet & vivit; *ambulare* enim est signum non infimæ valetudinis, sicut cubare indicium est morbi

14. *Sic est incautum.*] Ita non potest caveri, adeò repentinum est & inopinum, quidquid Amoris nomen habet.

16. *Anus.*] Maga, saga, venefica. Tibull. Lib. 1. Eleg. 5.

Carmine cum magico præcinuisset anus.

Idemque Eleg. 8. ejusdem Lib.

Devovit tacito tempore noctis anus.

17. *Amet ipse puellas.*] Sicut & alibi dixit,

Hostibus eveniat lenta puella meis.

ELEGIA V.

ELEGIA V.

AD CYNTHIAM.

HOC verum eſt totâ te ferri, Cynthia, Româ;
　Et non ignotâ vivere nequitiâ?
Hæc merui ſperare? dabis mihi, perfida, pœnas,
　Et nobis Aquilo, Cynthia, ventus erit.
Inveniam tamen è multis fallacibus unam,
　Quæ fieri noſtro carmine nota velit:
Nec mihi tam duris inſultet motibus, & te
　Vellicet, heu ſero flebis amata diu.
Nunc eſt ira recens, nunc eſt diſcedere tempus;
　Si dolor abfuerit, crede, redibit amor.
Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ,
　Nec dubio nubes vertitur atra Noto:

INTERPRETATIO.

ISTUDNE verum eſt, ô Cynthia, te per omnem Urbem *Romam infamari, teque aperto crimine vitam ducere? Egone fui dignus, qui hoc præmium* pro mea fide *expectarem. O infidelis Cynthia, ſupplicium à me feres. Mihique etiam erit aliquando ventus Aquilo. Attamen reperiam tandem aliquam è pluribus perfidis* puellis, *quæ meis verſibus cupiat celebrari, quæque mihi non illudat & inſiliat ingenio & modo tam feroci, teque graviter carpat & vituperet. Eheu diu dilecta ſerò lugebis. Jam dolor eſt recens; jam eſt tempus abeundi: ſi verò ira receſſerit, fidem habe mihi, Amor ſtatim revertetur. Non tam mare Carpathium Aquilonibus agitatur, neque tempeſtas nigra tam ancipiti Noto impellitur, quàm facilè amantes irati unicâ*

ANNOTATIONES.

1. HOc *verum eſt.*] Graviter in perfidiam & nequitiam invectus Cynthiæ, quam apertè increpat, minatur ſe eam relicturum, alioque ſuum amorem tranſlaturum.

4. *Aquilo.*] Ventus eſt à Septentrione flans, qui ventorum omnium ſaluberrimus eſt, quique tempus ſerenum facit. Inde Scaliger hoc proverbialiter exponit cum Beroaldo, ut ſit ſenſus: nobis etiam aliquando venti ſecundi propitiique futuri ſunt, ſerenaque tempeſtas; ſudificus enim eſt Aquilo. Alii volunt ut ſenſus ſit. Ut Aquilo mare turbat & agitat, ſic mens noſtra tanquam vento illo procelloſo inflata mutabitur, & ad alios amores convertetur. Alii volunt locum hunc ſic explicandum eſſe. Fides tua, ut ventus Aquilo, res eſt leviſſima & inconſtantiſſima, ſic & mea fides aliquando futura eſt, verbaque mea ſicut & tua venti rapient, juxta illud Eleg. 28. hujus Libri.

Quidquid jurarunt ventus & unda rapit.

11. *Carpathia unda.*] Carpathium mare à ventis & tempeſtatibus agitari ſolitum ita dicitur ab inſula *Carpatho* contra Ægyptum inter Rhodum & Cretam. Hanc Homerus Iliad. Lib. 20. vocat Κράπαθον.

12. *Noto.*] Notus ventus eſt à meridie perflans alio nomine dictus Auſter, qui nebuloſus eſt & pluvioſus,

Quam facilé irati verbo mutantur amantes.
  Dum licet, injusto subtrahe colla jugo.
Nec tu non aliquid, sed primâ nocte dolebis;
  Omne in amore malum, si patiare, leve est.
At tu per dominæ Junonis dulcia jura
  Parce tuis animis, vita, nocere tibi.
Non solùm taurus ferit uncis cornibus hostem;
  Verum etiam instanti læsa repugnat ovis.
Nec tibi perjuro scindam de corpore vestes,
  Nec mea præclusas fregerit ira fores:
Nec tibi connexos iratus carpere crines,
  Nec duris ausim lædere pollicibus.
Rusticus hæc aliquis tam turpia prælia quærat,
  Cujus non hederæ circumiêre caput.

INTERPRETATIO.

voce placantur. Sed tu, ô Properti, *dum fas tibi est, libera te inique servitio. Nonnihil etiam doloris senties, sed primâ tantùm nocte. Quodcumque malum in Amore non est grave, dummodo perferas & obdures. Sed tu, ô mea lux per suaves Junonis heræ leges oro, desine obesse tibi iracundia tua & sævitia. Non modò bos curvis cornibus adversarium percutit, sed etiam ovis læsa resistit sese oppugnanti. Neque enim tibi vestimenta de perjuro corpore detraham, neque mea iracundia januam tuam clausam perfringet, neque tibi licet iratus confidam comptos capillos discerpere neque sævis manibus te lacerare. Aliquis inhumanus & ferus tam inhonesta certamina & bella cupiat, cujus hederæ caput non cinxerunt.*

ANNOTATIONES.

15. *Nec tu non aliquid.*] Hæc ad seipsum conversus ait se primâ dissidii sui nocte forsan doliturum nonnihil, sed illam non diu ægritudinem duraturam, sed brevi transituram.

17. *Junonis jura.*] *Juno* cui sunt *vincla jugalia curæ* Connubiis præest, matronalibusque rebus, unde à nubentibus maximè invocabatur variisque nominibus, ut Interduca, Domiduca, Cinxia, & Unxia vocitabatur. Vidimus etiam suprà apud Tibullum omnia quondam mulieres Junoni accepta retulisse, tulisseque *Junonem* mulierum deam peculiarem & tutelarem, ut Genius erat virorum. Tibullus Lib. 4 Eleg. penultima.

Hæc per sancta tua Junonis numina juro,
Quæ sola ante alios est tibi magna Deos.

26 *Cujus non hedera.*] Hæc fiant à rusticis fetis, & inhumanis, ab indoctis, & a musis aversis, & quorum caput non fuerit hederâ coronatum, non verò a Poëtis, qui mites sunt, & humani. Poetæ enim olim hederâ coronabantur, ut ait Servius in Eclog. 7. Virgil.

Pastores hederâ crescentem ornate Poetam.

Ita etiam Horat. Lib. Od. 1.

Me doctarum hederæ præmia frontium

Scribam igitur quod non unquam tua deleat ætas,
Cynthia forma potens, Cynthia verba levis.
Crede mihi, quamvis contemnis murmura famæ,
Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit.

INTERPRETATIO

Sed potius scribam aliquid quod nunquam ætas tua auferre possit. Cynthia pulchritudine insignis est, sed est etiam inani & inconstanti fide. O Cynthia, mihi fidem habe, quanquam nihili facias rumores hominum, istud carmen erit tibi pudori ac dolori.

ANNOTATIONES.

18. *Cynthia forma potens.*] Quæ potest ad amorem inducere. Unde infra Eleg. 20 Lib. 3.

Est tibi forma potens, sunt castæ Palladis artes.

Unde etiam de puellis formosis loquens Ovid. Lib. 3. de Arte amandi ait.

Est illis sua dos, forma sine arte potens.

Cynthia verba levis.] Alii legunt: *Cynthia forma levis*, ut infra Eleg. 16. hujus libri,

Formosis levitas semper amica fuit.

Idemque alibi,

Tam te formosam non pudet esse levem?

Sed communis lectio, *verba levis*, probatur, ut per synecdochen dixit Homerus, πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς. Ut sit sensus, Cynthia inconstans est & re, & fide inani. Ut infra Eleg. 22. hujus Libri.

Quid juvat in nullo pondere verba loqui?

ELEGIA VI.

AD EAMDEM.

NON ita complebant Ephyreæ Laidos ædes;
  Ad cujus jacuit Græcia tota fores:
Turba Menandreæ fuerat nec Thaidos olim
  Tanta, in qua populus luſit Ericthonius:
Nec quæ deletas potuit componere Thebas
  Phryne tam multis facta beata viris.

INTERPRETATIO.

NOn ſic Amatores *Laidos Ephyrea demum replebant, & frequentabant, ad cujus januam omnis Gracia olim excubuit; neque tam magna multitudo fuit* Procorum *Thaidos Menandrea, in qua populus Ericthonius delicias poſuit; neque Phryne, qua potuit Thebas exciſas & everſas reſtaurare, à tam multis amatoribus facta eſt dives.*

ANNOTATIONES.

1. *NON ita complebant.*] Cynthiæ ſuæ Poeta aſperè & dolenter inſectatur libidinem, quam famoſiſſimis apud Veteres meretricibus non cedere aſſeverat.

Ephyrea Laidos.] Corinthiæ *Laidos.*] Corinthus enim olim dicta fuit etiam *Ephyre* & *Ephyreus*, ab Ephyre Oceani filia. *Ephyrea* ſeu Corynthia porro dicitur *Lais* meretrix famoſiſſima, non quod ibi nata ſit, ſed quod ibidem diutiſſimè manſerit. fuit enim natione Sicula *Lais*, ad quam propter elegantiam & formæ venuſtatem nullus admittebatur, niſi qui daret quod ipſa poſcebat; poſcebat autem nimium argenti pondus, cumque aliquando à Demoſthene popoſciſſet decem millia drachmarum, reſpondit ipſe, *non emo tanti pœnitere.*

3. *Menandrea Thaidos.*] *Thais* nobiliſſima etiam fuit meretrix, mirum in modum à Menandro decantata, quam in omnibus ſæpè Comœdiis inducit, unde dicitur *Menandrea.* Fuit autem Thais genere Alexandrina, quæ cum Athenas inde quæſtus causâ migraſſet, Atticam juventutem in amorem ſui pellexit.

4. *Populus Ericthonius.*] hoc eſt, Atheinenſis. Dictus eſt enim *Populus* Athenienſis *Ericthonius* ab Ericthonio rege Vulcani filio, qui ad deformitatem pedum tegendam primus currûs uſum adinvenit. Virgil. Lib. 3. Georgic.

Primus Ericthonius currus & quatuor auſus
Jungere equos, rapidiſque rotis inſiſtere victor

5. *Componere Thebas.*] *Theba* plures fuerunt. Alia enim Urbs in Ægypto fuit dicta *Theba*, unde regio dicta *Thebais*; alia in Cilicia, alia in Bœotia, de qua hoc in loco Propertius.

6. *Phryne.*] Theſpienſis meretrix formoſiſſima & laudatiſſima, quæ cum Thebas ſe contuliſſet formoſitate omnes ad ſe Thebanos pellexit, quæſtuque ſuo tam potens & dives eſt facta, ut Thebas ab Alexandro Magno dirutas & everſas denuò poſſet inſtaurare.

Quinetiam falsos fingis tibi sæpè propinquos,
  Oscula nec desunt qui tibi jure ferant.
Me juvenum facies pictæ, me nomina lædunt,
  Me tener in cunis, & sine voce puer:
Me lædit, si multa tibi dedit oscula, mater.
  Me soror, & cum qua dormit, amica simul:
Omnia me lædent, timidus sum, ignosce timori.
  Et miser in tunica suspicor esse virum.
His olim (ut fama est) vitiis ad prælia ventum est,
  His Trojana vides funera principiis.
Aspera Centauros eadem dementia jussit
  Frangere in adversum pocula Pirithoum.

INTERPRETATIO.

Sed tu insuper tibi fictos assimulas frequenter cognatos, neque desunt, qui tibi jure dent basia. Me verò offendunt juvenum expressi in tabula vultus, & nomina; me torquet mollis infans in cunabulis & adhuc loqui nescius: Me cruciat parens tua, quando multa tibi figit oscula, mihi suspecta est soror tua pariter & amica cum qua cubat. Omnia me cruciant; ego sum meticulosus; parce metui meo; *suspicor etiam esse hominem intra vestem interiorem. Istis quondam de causis, ut aiunt, ad arma & bella itum est: ex hac origine Troja cladem & exitium provenisse audis. Ipsa eadem amentia mero furens coegit Centauros crateres confringere, & cyatis pugnare contra Pirithoum hostem.*

ANNOTATIONES.

15. *His olim vitiis.*] Propter libidinem, luxuriam, & perfidiam mulierum olim crudelia & cruenta gesta fuisse præ cæteris exemplo sunt Helena, & Hippodamia.

16. *Funera Trojana.*] Propter Helenæ raptum à Græcis post decennalem obsidionem funditùs excisa est Troja.

17. *Centauros.*] Idem furor *Centauros* impulit torquere pocula convivalia in Pirithoum, dum ejus uxorem Hippodamiam libidine incensi, & mero calentes rapere conarentur. De hac re Ovid. Lib 12. Metamorph.

Ardet, & ebrietas geminata libidine regnat
Protinus eversa turbant convivia mensa,
Raptaturque comis per vim nova nupta prehensis:
Eurytus Hippodamen, alii quam quisque probabat,
Aut poterat rapiunt. ————
Et post pauca.
Vina dabant animos, & primâ pocula pugnâ
Missa volant, fragilesque cadi, curvique lebetes,
Res epulis quondam, nunc bello & cadibus apta.

18. *Pirithoum.*] Pirithous filius fuit Ixionis, Theseo amicitiâ conjunctissimus, cujus ope Centauros Hippodamiam uxorem rapere molientes superavit.

Cur exempla petam Graiûm ? tu criminis auctor
Nutritus duro, Romule, lacte lupæ.
Tu rapere intactas docuisti impunè Sabinas,
Per te nunc Romæ quidlibet audet amor.
Felix Admeti conjux, & lectus Ulyssis,
Et quæcumque viri fœmina limen amat.
Templa pudicitiæ quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptæ quidlibet esse licet?
Quæ manus obscœnas depinxit prima tabellas,
Et posuit castâ turpia visa domo.

Interpretatio.

Sed quamobrem utor Grajorum exemplis? Tu, ô Romule, *eductus agresti lacte lupa sceleris auctor fuisti: Tu* enim *abripere Sabinas Virgines impunè instituisti. Nunc in Urbe Roma, tuâ ope, quidquid vult Amor, audacter aggreditur. Beata* equidem *Adameti uxor, felixque Ulyssis conjux, ac alia qualiscumque, que mariti sui domum diligit. Quid necesse fuit puellis templa ædificasse pudicitia, si cuilibet mulieri matrimonio juncta fas est impunè, quidquid libuerit, audere? Prima manus, qua turpes picturas expressit, & in pudica domo obscœna & spurca simulachra locavit.*

Annotationes.

20. *Nutritus Romule lacte lupa.*] Primus casus cum quinto. Notior porro est historia de Remo & Romulo lacte lupæ nutritis, quam ut in ea referenda tempus frustra teratur. Videantur igitur Florus Lib. 1 Titus Livius Lib. 1. Plutarch. de Romulo, aliique qui Romanarum rerum seriem texuerunt.

21. *Intactas Sabinas.*] Cum Romulus Urbem Romam condidisset, totusque populus virorum esset, nec essent mulieres, à Romulo suis matrimonia à finitimis petita sunt: quia verò non impetrabantur manú capta sunt. Simulatis igitur ludis equestribus, Virgines Sabinæ, quæ ad spectaculum venerant raptæ fuerunt à Romanis. Vide Livium Lib. 1. Florum, Lib. 1. & alios.

23. *Felix Adameti conjux.*] Alceste, seu Alcestis Adameti Pheræorum regis uxor intelligitur, quæ tanto maritum suum prosecuta est amore, ut pro eo se morti spontè objecerit. Vide Euripid in Alcestide, vel Maxim. Lib. 4. cap. 6. Plato in Sympos. Apollodor. Lib. 1. Juvenal. Sat. 6.

Lectus Ulyssis.] Conjugium, Matrimonium, seu potius uxor ipsa Penelope, cujus nota satis est historia.

24. *Limen amat.*] Quæ domum suam & viri ita servat, ut ab ea non recedat.

25. *Templa pudicitia*] Incassum, inquit, *templa deæ pudicitia* Romæ constructa sunt, si cuilibet mulieri nuptæ licet facere quidquid libet. Duo autem fuerunt Romæ *Templa pudicitia*; alterum *pudicitia* Patritiæ in Foro Boario, alterum *pudicitia* Plebeiæ in Vico longo, quod olim Virginia Auli Patritii filia quæ viro plebeio nupserat *pudicitia* plebeiæ in domo propria dedicavit, postquam per altercationem exclusa esset à templo *pudicitia* patritiæ, ab cujus ingressu plebeiæ mulieres arcebantur. Vide Livium Lib. 10.

27. *Qua manus obscœnas.*] *Manus* hic sumitur pro artifice. Dicit autem Poëta impudicitiæ originem ex picturis *obscœnis* fuisse, quibus corrumpuntur spectantium mentes. Tiberius obscœnarum tabularum picturis cubicula sua adornabat, ut earum aspectu deficientes libidines excitaret, teste Sueton. in Tiber. cap. 44.

Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
　Nequitiæque suæ noluit esse rudes.
Ah gemat in terris istâ qui protulit arte
　Jurgia sub tacitâ condita lætitia.
Non istis olim variabant tecta figuris,
　Quum paries nullo crimine pictus erat.
Sed non immeritò velavit aranea fanum,
　Et mala desertos occupat herba Deos.
Quos igitur tibi custodes, quæ limina ponam,
　Quæ nunquam supra pes inimicus eat?

INTERPRETATIO

Ipsa infecit oculos puellarum ad honostatem natos, ac criminis sui ipsas non voluit esse ignaras & immunes. Ah doleat ille, *quicumque iste* pingendi *artificio* tales *mortalibus exhibuit rixas abditas sub silenti voluptate. Quondam his ædes picturis non distinguebant; quando paries nullo sceleris argumento depingebatur. At verò jure equidem meritò aranea* telis suis *obtexit templum, & gramen impium simulachra Deorum derelicta involvit. Quales igitur*, ô mea Cynthia, *tibi custodes, qualesque fores apponam, quas pes mihi infestus & invisus nunquam calcare audeat?*

ANNOTATIONES.

34. *Paries nullo crimine pictus.*] Nullus, inquit, olim paries habebat lascivas & obscœnas picturas in domibus veterum. *Crimen* dicit Propertius picturam obscœnam, quæ causa solet esse muliebris impudicitiæ. Antiqui porrò non exornare consueverant parietes domesticos picturis. Plin Lib 35. cap. 10. *Nulla in Apellis tectoriis pictura erat; nondum libebat parietes totos pingere.*

35. *Velavit aranea fanum.*] *Fana* dicuntur vel à fando, ut inquit Festus, quod Pontifex, dum templa dedicat certa verba fatur, vel à Fauno, qui primus ædes sacras exstruxit, lucosque dedicavit, ut ait Probus; vel, ut ait Asconius in 3. Verr. quod è templis fata petuntur. Dicitur autem *aranea* meritò templa Deorum telis suis obtegere, ne scilicet aspiciantur picturæ turpes & obscœnæ, ut nempe Deorum adulteria, quibus etiam olim templa veterum exornabantur. Unde Divus Hieronym. *Fuligine & aranearum telis omnia Romæ templa cooperta sunt. Aranea* porrò telas suas prætendere solent in locis incultis, desertis, & inanibus, ut noster Poëta docet Lib. 3. Eleg. 6.

Putris & in vacuo texetur aranea lecto.

36. *Occupat herba Deos.*] Statuas Deorum & signa implicat gramen, ut apud Ovid. Epist. 1.

Alta ruinosas occulit herba domos.

Meritò quidem jure, inquit Propert. imagines Deorum desertæ occupantur integunturque herbis, cum etiam ex occasione turpium & obscœnarum imaginum Deorum claustra pudicitiæ Romanæ perfracta sint, & Româ pudor expulsus.

37. *Quos custodes.*] Frustra custoditur, quæ non vult esse pudica; unde Hieronym. *Pudica servari non debet, impudica non potest.*

Nam nihil invitæ triſtis cuſtodia prodeſt :
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta ſat eſt.

INTERPRETATIO.

Dura enim cuſtodia puellæ, quæ non vult eſſe pudica, nihil omnino prodeſt. O Cynthia, illa cui, pudor eſt peccare, ſatis eſt munita & ſecura adverſus corruptorum inſidias.

ANNOTATIONES.

Ovidius Lib. 3. Amor. Eleg. 4.

Dure vir impoſito teneræ cuſtode puellæ,
Nil agis, ingenio quæque tuenda ſuo eſt.

Ibidem.

Nec cuſtodiri, ni velit, ulla poteſt.

ELEGIA VII.

ELEGIA VII.

AD CYNTHIAM.

GAVISA est certè sublatam Cynthia legem,
  Quâ quondam edictâ flemus uterque diu,
Ne nos divideret, quamvis diducere amantes
  Non queat invitos Juppiter ipse duos.
At magnus Cæsar, sed magnus Cæsar in armis,
  Devictæ gentes nil in amore valent.
Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
  Quam possem nuptæ perdere amore faces.
Anne ego transirem tua limina clausa maritus,
  Respiciens udis perdita luminibus?

INTERPRETATIO.

CYNTHIA profectò lætata est antiquatam esse legem quâ olim constituta nos ambo multùm ploravimus, timentes ne nos separaret, quanquam dividere non possit ipse Juppiter, duos amantes nolentes disjungi. At verò Augustus Cæsar est potens; verùm Cæsar potens in bello. ac domitæ verò nationes nihil in amore superando possunt. Potius [illegible] perferrem hoc caput à mea cervice dividi, quàm sustinerem amittere amorem tuum uxoris ducendæ causâ. Numquid ego alterius vir factus præterirem januam tuam mihi obstructam madentibus oculis amissam retro aspiciens?

ANNOTATIONES.

GAVISA est.] Augustus Cæsar legem tulerat de adulteriis, qua quondam latâ se suamque Cynthiam multùm flevisse testatur Poeta; sed eâdem subinde abrogatâ penitusque sublatâ vehementer Cynthiam fuisse lætatam demonstrat.

Sublatam legem.] *Lex* ea fuit Julia de adulteriis, de qua Corn. Tacitus Lib. 2. Annal. Vel *Lex* Julia de maritandis ordinibus, de qua Gell. Lib 2. cap. 15. Horat. in Carm. secular. Suetonius in Augusto cap 34. quam cum ferret Augustus, præ tumultu recusantium perferre non potuit, nisi ademptâ demum lenitâve parte pœnarum, & vacatione triennii datâ, auctisque præmiis. De hac lege etiam Vulpian. tit. 14.

2. *Quâ edictâ.*] Illud *edicitur*, quod fieri jubetur; *edicere* porrò idem est ac decernere, jubere, statuere. edicto vetare. prohibere &c. Significat autem Poëta se multùm cum sua Cynthia doluisse ob istius legis edictum.

4. *Jupiter ipse.*] In hunc ferè sensum Catull. Carm.

Nulli se dicit mulier mea nubere velle
  Quam mihi, non si Juppiter ipse petat.

8. *Nupta perdere faces.*] Deponere amorem illum, quo tu me incendisti, tuamque jucundissimam consuetudinem amittere.

10. *Respiciens perdita luminibus.*] Ægrè amissa sæpius crebro respectu requiruntur. Cicero orat. 2. in Catilinam. *Retorquet oculos sæpè ad hanc Urbem quam è suis faucibus ereptam luget.*

Hæc tibi contulerunt cœleſtia munera divi,
  Hæc tibi ne matrem forte dediſſe putes.
Non non humani ſunt partus talia dona,
  Iſta decem menſes non peperere bona.
Gloria Romanis una es tu rara puellis.
  Romano accumbes prima puella loco.
Nec ſemper nobiſcum humana cubilia viſes.
  Poſt Helenam hæc terris forma ſecunda redit.
Hâc ego non mirer ſi flagret noſtra juventus.
  Pulchrius hâc fuerat, Troja, perire tibi.
Olim mirabar, quod tanti ad Pergama belli
  Europæ, atque Aſiæ cauſſa puella fuit.
Nunc, Pari, tu ſapiens, & tu, Menelae, fuiſti:
  Tu, quia poſcebas: tu, quia lentus eras.
Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles,
  Vel Priamus, belli cauſſa probanda fuit.

INTERPRETATIO

Iſta in te cœleſtia munera Dii *congeſſerunt; ne ergo exiſtimes iſta tibi genitricem tuam contuliſſe: non equidem ſunt humani partus tanta tum animi tum corporis dotes. Hac dona tibi decem menſes non contulerunt. Tu ſola in lucem edita es, ut decus eſſes fœminis Romanis. Tu in loco Romano puella prima accumbes: neque jugiter nobiſcum lectos hominum adibis. Poſt Helenam hac altera forma in terras mittitur. Iamne mirum videbitur, ſi iſtam noſtra* Roma*na pubes ardeat, & depereat? ô Troja, tibi fuiſſet glorioſius ob iſtam* puellam *dirui, quàm ob Helenam. Mihi quondam mirum videbatur, quod tam cruenti belli ad Trojam, Europa & Aſia unica fœmina cauſa extitit; jam verò, fateor, ô Pari, tuque, ô Menelae, ſapiens fuiſti; tu quia uxorem repetebas,* tu verò *quia eam reddere cunctabaris. Digna certè forma propter quam vel periret Achilles, aut Priamus: belli tanti ſatis idonea cauſa fuit.*

ANNOTATIONES.

25. *Contulerunt.*] Penultimâ ſyllabâ correptâ pronuntiavit, more antiquorum, qui *emerunt*, *tulerunt*, mediâ brevi pronuntiabant, ut ait Donatus. Ita Virg Eclog. 4.

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

28. *Decem menſes non peperere.*] De tempore humani partus multæ ſunt opiniones, de quibus vide Gellium Lib. 3. cap 16. hoc in loco Propert. Sicut & Eclog 4. Virgil. putarunt partum humanum decem menſibus contineri ſeu decimo menſe fieri. Decem verò menſes illi apud antiquos Lunares erant, qui novem noſtris menſibus vertentibus reſpondent.

29. *Prima puella loco.*] Tu prima eris inter puellas *Romanas*. Nonnulli malè & corruptè legunt *Jovi* pro *loco*.

36. *Europa atque Aſia cauſa puella fuit.*] Helenam ſignificat, quæ rapta à Paride cauſa fuit belli illius cruenti, quod toto decennio ad Trojam geſſerunt Græci cum mille navibus, duce Menelao rege, qui Helenam uxorem repoſcebat.
Catull.

Troja nefas, commune ſepulchrum Europæ Aſiæque.

Dixit autem Poëta *Europa*, propter Græcos, *Aſiaque* propter Trojanos In hanc ſententiam dixit etiam B. Hieronymus *propter unius mulierculæ raptum Europa atque Aſia decennalia bella confligunt.*

Si quis vult famâ tabulas anteire vetustas,
Hic dominam exemplo ponat inante meam.
Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois,
Uret & Eoos, uret & Hesperios.
His saltem ut teneat jam finibus ut mihi si quis
Acrius ut moriar, venerit alter amor.
Ac veluti primo taurus detrectat aratra
Mox venit adsueto mollis ad arva jugo:
Sic primo juvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post hæc æqua, & iniqua ferunt.
Turpia perpessus vates est vincla Melampus
Cognitus Iphicli subripuisse boves:

INTERPRETATIO.

Si aliquis cupit celebritate nominis veterum tabellas superare, iste sibi meam puellam pingendam proponat. Seu istam exponet Hesperiis, seu Eois, suo amore inflammabit & Eoos, inflammabit & Hesperios. Istis ut saltem terminis continear, mihi concedatur; *nisi mihi* forsan *aliquis alius amor contigerit, ut acerbius peream. Et quemadmodum primò taurus jugum excutit, deinde assuefactus servitio facilis ad aratrum venit. Ita initio juvenes sævi & indomiti in amore sunt inconstantes & incerti: postea verò subacti justa & injusta, digna & indigna patiuntur. Melampus vates deprehensus cum furaretur Iphicli boves infames catenas & carcerem passus est;*

ANNOTATIONES.

41. *Tabulas anteire vetustas.*] Si quis pictor sui commendatione operis cupit tabulas vetustissimorum pictorum, qui deas mulieresque formosissimas pinxerunt, nempe Zeuxis, Apelles Parrhasius, is sibi proponat pro exemplo dominam meam Cynthiam pingendam. Itaque ostendit nullam mulierum formam esse Cynthiæ pulchritudini æquiparandam.

43. *Hesperiis sive illam ostendet Eois.*] Occidentalibus & Orientalibus populis. *Hesperius* enim idem est ac Occidentalis, ab *Hespere* stella, quæ primâ vespere, seu post solis occasum apparet. Unde est dicta *Hesperia* pars Europæ Occidentalis quæ ad solem occidentem vergit maximè Italia & Hispania. Sic etiam *Eous* est Orientalis, à voce græca ἠώς, id est Aurora. Unde ad Orientem positi populi dicuntur Eoi; Ovid. Lib. 1. Amor Eleg. ultima.

Gallus & Hesperiis & Gallus notus Eois.

51. *Melampus vates*] Divinandi peritissimus amori fratris sui Biantis; qui Pero Nelei patris Nestoris filiam deperibat adeò obsecutus est, ut libens propter eum effecerit se in vincula & carcerem conjici, ut ipsi eandem Pero procuraret uxorem Cum enim Neleus filiam suam Pero formâ præstantem à pluribus procis adamatam nemini se desponsurum dixisset, nisi ei, qui boves Iphicli abactos sibi traderet. *Melampus* licet arte suâ apprimè persensisset se in furto deprehensum iri, tamen Iphicli boves furari conatus est, qui in flagranti delicto captus, vinctusque in carcerem conjectus est. Unde post annum tandem emissus est, & Pero data Bianti uxor. Homer. 11. Odyss. Paus. in Messeniacis.

52. *Iphicli.*] *Iphiclus* fuit vir ditissimus, quem Apollodorus Phylaci filium fuisse tradit, qui boves habuit ad Phylacam Urbem canum custodia ita bene & diligenter servatos, ut ad eos nemo mortalium, neque ferarum ulla proximè accedere auderet.

Quem non lucra, magis Pero formosa coegit,
Mox Amithaoniâ nupta futura domo.

INTERPRETATIO.

Quem non cupiditas quæstus, sed potius Pero pulchra non diu post in domo Amythaonia nuptura ad facinus *compulit.*

ANNOTATIONES.

53. *Pero formosa.*] Filia fuit Nelei, cujus formam efflictim amavit Bias Melampodis germanus. Hanc Homerus mortalibus ut miraculum inter formosas mulieres visam fuisse dicit, θαῦμα βροτοῖσι

54. *Amithaonia domo.*] *Amithaon* pater fuit Biantis & Melampodis. Pero autem dicitur nuptura in *domo Amithaonia*, quod nempe post annum Bianti Melampodis fratri germano nuptura esset. Vide notas ad illud Tibulli Lib. 4.

Queis Amithaonius nequeat certare Melampus.

ELEGIA IV.

AD AMANTEM.

MULTA prius dominæ delicta queraris oportet,
 Sæpe roges aliquid, sæpe repulsus eas.
Et sæpe immeritos corrumpas dentibus ungues,
 Et crepitum dubio suscitet ira pede.
Nequicquam perfusa meis unguenta capillis
 Ibat, & expenso planta morata gradu,
Non hic herba valet, non hic nocturna Citæis,
 Non per Medeæ gramina cocta manus,
Quippe ubi nec causas, nec apertos cernimus ictus;
 Unde tamen veniant tot mala cæca via est.

INTERPRETATIO.

ANTEQUAM vo is potiri possis tibi necesse est ut plurima vitia nimi ea tua conquereris, ut aliquid frequenter petas. & frequenter abeas cum repulsa. & ut frequenter dentibus corrodas ungues innocentes, utque strepitum anci piti ac titubanti pede ira edat. Frustra aspersa sunt crinibus meis unguenta; & pes meus lentus librato passu incedebat. In Amore nullam vim habent gramina, neque Citai nocturna. neque per Medea artes cocta herbe. Quando enim non videmus originem mali, neque manifestos ictus; tamen occultum est iter quo tot in nos adveniunt vulnera.

ANNOTATIONES.

1. *MUlta prius.*] Plura patienter toleranda, plusque esse fellis in amore, quam mellis significat Propertius, morbumque esse amoris repentinum, puellarumque amorem esse difficiliorem & incertiorem

2. *Sæpe repulsus eas.*] Propertium imitatus est Ovid. Lib. 2. Amor. Eleg. 9.

Sæpè fruar dominâ, sæpè repulsus eam.

3. *Corrumpas dentibus ungues.* Gestus est iratorum & cogitabundorum, *ungues* rodere, ut infra Lib. 3. Eleg. ultima.

Ungue meam morso sæpe querere fidem

7. *Non hic herba valet.*] Unde etiam ipse Apollo apud Ovid. Lib. 1. Metamorph

Nullis Amor est medicabilis herbis.

Non hic nocturna Cytæis.] Medea, vel alia quæcumque saga, quæ sacra sua magica nocturno tempore peragit; ut Horat. ait Od. 5. Epod.

Nox & Diana, quæ silentium regis;
 Arcana cum fiunt sacra,
 Nunc nunc adeste ———

Citæis igitur sumitur, pro quacumque saga fœmina artis magicæ seu veneficæ peritissima, quæ ita dicitur à Citæa civitate Colchorum, unde & Medea dicta est *Citæis*, & incantamenta magicaque carmina *Citæa*, seu Citeïa dicuntur, ut jam supra vidimus.

8 *Non per Medeæ manus.*] *Medea* regis Colchorum filia quæ Jasonem vellus aureum expilatum & exportantem secuta est artis veneficæ ac magicæ semper apud veteres habita est peritissima. De hac jam supra pluribus. Alii legunt, *Perim dea gramina cocta manu*, alludentes ad *Perimedem* veneficam & magam, de qua fit mentio apud Theocritum ejusque scholiaste in Pharmaceutria. V. 16. Tu vide sis.

Non eget hic medicis, non lectis mollibus æger,
Huic nullum cœli tempus, & aura nocet,
Ambulat, & subito mirantur funus amici;
Sic est incautum quicquid habetur amor.
Nam cui non ego sum fallaci præmia vati?
Quæ mea non decies somnia versat anus?
Hostis si quis erit nobis, amet ipse puellas,
* * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * *

INTERPRETATIO.

Iste ægrotus non indiget medicis, neque jucundis cubilibus; Isti enim nulla aeris intemperies, nullus ventus causa morbi est. Deambulat, ac repente eum amici mortuum admirantur; adeò improvisum est id, quod Amor dicitur. Cui namque Auguri, aut conjectori præda non sum? Quæ saga non sæpius animo revolvit mea somnia? Si verò mihi quis fuerit inimicus, mulieres iste depereat:
* * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * *

ANNOTATIONES.

11. *Non eget hic medicis.*] Quia nimirùm Amor *morbi non amat artificem.*

13. *Ambulat.*] Et valet & vivit; *ambulare* enim est signum non infimæ valetudinis, sicut cubare indicium est morbi

14. *Sic est incautum.*] Ita non potest caveri, adeò repentinum est & inopinum, quidquid Amoris nomen habet.

16. *Anus.*] Maga, saga, venefica. Tibull. Lib. 1. Eleg. 5.

Carmine cum magico præcinuisset anus.

Idemque Eleg. 8. ejusdem Lib.

Devovit tacite tempore noctis anus.

17. *Amet ipse puellas.*] Sicut & alibi dixit,

Hostibus eveniat lenta puella meis.

ELEGIA V.

ELEGIA V.

AD CYNTHIAM.

HOC verum est totâ te ferri, Cynthia, Româ;
Et non ignotâ vivere nequitiâ?
Hæc metui sperare? dabis mihi, perfida, pœnas,
Et nobis Aquilo, Cynthia, ventus erit.
Inveniam tamen è multis fallacibus unam,
Quæ fieri nostro carmine nota velit:
Nec mihi tam duris insultet moribus, & te
Vellicet; heu sero flebis amata diu.
Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus.
Si dolor abfuerit, crede, redibit amor.
Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ,
Nec dubio nubes vertitur atra Noto:

INTERPRETATIO.

ISTUDNE verum est, ô Cynthia, te per omnem Urbem *Romam infamari, teque aperto crimine vitam ducere? Egone fui dignus, qui hoc præmium* pro mea fide *expectarem. O infidelis Cynthia, supplicium à me feres. Mihique etiam erit aliquando ventus Aquilo. Attamen reperiam tandem aliquam è pluribus perfidis* puellis, *quæ meis versibus cupiat celebrari, quæque mihi non illudat & insiliat ingenio & modo tam feroci, teque graviter carpat & vituperet. Eheu diu dilecta serò lugebis. Jam dolor est recens; jam est tempus abeundi: si verò ira recesserit, fidem habe mihi, Amor statim revertetur. Non tam mare Carpathium Aquilonibus agitatur, neque tempestas nigra tam ancipiti Noto impellitur, quàm facilè amantes irati unicâ*

ANNOTATIONES.

1. *HOc verum est.*] Graviter in perfidiam & nequitiam invectus Cynthiæ, quam apertè increpat, minatur se eam relicturum, alioque suum amorem translaturum.

4. *Aquilo.*] Ventus est à Septentrione flans, qui ventorum omnium saluberrimus est, quique tempus serenum facit. Inde Scaliger hoc proverbialiter exponit cum Beroaldo, ut sit sensus: nobis etiam aliquando venti secundi propitiique futuri sunt, serenaque tempestas; ludificus enim est Aquilo. Alii volunt ut sensus sit. Ut Aquilo mare turbat & agitat, sic mens nostra tanquam vento illo procelloso inflata mutabitur, & ad alios amores convertetur. Alii volunt locum hunc sic explicandum esse. Fides tua, ut ventus Aquilo, res est levissima & inconstantissima, sic & mea fides aliquando futura est, verbaque mea sicut & tua venti rapient, juxta illud Eleg. 28. hujus Libri.

Quidquid jurarunt ventus & unda rapit.

11. *Carpathia unda.*] Carpathium mare à ventis & tempestatibus agitari solitum ita dicitur ab insula *Carpatho* contra Ægyptum inter Rhodum & Cretam. Hanc Homerus Iliad. Lib. 20. vocat Κράπαθον.

12. *Noto.*] Notus ventus est à meridie perflans alio nomine dictus Auster, qui nebulosus est & pluviosus.

Scribam igitur quod non unquam tua deleat ætas,
Cynthia forma potens, Cynthia verba levis.
Crede mihi, quamvis contemnis murmura famæ,
Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit.

INTERPRETATIO

Sed potius scribam aliquid quod nunquam ætas tua auferre possit. Cynthia pulchritudine insignis est, sed est etiam inani & inconstanti fide. O Cynthia, mihi fidem habe, quanquam nihili facias rumores hominum, istud carmen erit tibi pudori ac dolori.

ANNOTATIONES.

28. *Cynthia forma potens.*] Quæ potest ad amorem inducere. Unde infra Eleg. 20 Lib. 3.

Est tibi forma potens, sunt castæ
Palladis artes.

Unde etiam de puellis formosis loquens Ovid. Lib. 3. de Arte amandi ait.

Est illis sua dos, forma sine arte
potens.

Cynthia verba levis.] Alii legunt: *Cynthia forma levis*, ut infra Eleg. 16. hujus libri,

Formosis levitas semper amica fuit.

Idemque alibi,

Tam te formosam non pudet esse
levem?

Sed communis lectio, *verba levis*, probatur, ut per synecdochen dixit Homerus, πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς. Ut sit sensus, Cynthia inconstans est & re, & fide inani. Ut infra Eleg. 22. hujus Libri.

Quid juvat in nullo pondere verba
loqui?

ELEGIA VI.

AD EAMDEM.

NON ita complebant Ephyreæ Laidos ædes;
Ad cujus jacuit Græcia tota fores:
Turba Menandreæ fuerat nec Thaidos olim
Tanta, in qua populus lusit Ericthonius:
Nec quæ deletas potuit componere Thebas
Phryne tam multis facta beata viris.

INTERPRETATIO.

NOn sic Amatores *Laidos Ephyrea domum replebant, & frequentabant, ad cujus januam omnis Gracia olim excubuit: neque tam magna multitudo fuit* Procorum *Thaides Menandrea, in qua populus Ericthonius delicias posuit; neque Phryne, qua potuit Thebas excisas & eversas restaurare, à tam multis amatoribus facta est dives.*

ANNOTATIONES.

1. NON *ita complebant.*] Cynthiæ suæ Poeta asperè & dolenter insectatur libidinem, quam famosissimis apud Veteres meretricibus non cedere asseverat.

Ephyrea Laidos.] Corinthiæ *Laidos.*] Corinthus enim olim dicta fuit etiam *Ephyre* & *Ephyrus*, ab Ephyre Oceani filia. *Ephyraa* seu Corynthia porro dicitur *Lais* meretrix famosissima, non quod ibi nata sit, sed quod ibidem diutissimè manserit. fuit enim natione Sicula *Lais*, ad quam propter elegantiam & formæ venustatem nullus admittebatur, nisi qui daret quod ipsa poscebat, poscebat autem nimium argenti pondus, cumque aliquando à Demosthene poposcisset decem millia drachmarum, respondit ipse; *non emo tanti pœnitere.*

3. *Menandrea Thaidos.*] *Thais* nobilissima etiam fuit meretrix, mirum in modum à Menandro decantata, quam in omnibus sæpè Comædiis inducit, unde dicitur *Menandraa.* Fuit autem Thais genere Alexandrina, quæ cum Athenas inde quæstus causâ migrasset. Atticam juventutem in amorem sui pellexit.

4. *Populus Ericthonius.*] hoc est; Atheniensis. Dictus est enim *Populus* Atheniensis *Ericthonius* ab Ericthonio rege Vulcani filio, qui ad deformitatem pedum tegendam primus currûs usum adinvenit. Virgil. Lib. 3. Georgic.

Primus Ericthonius currus & quatuor ausus
Iungere equos, rapidisque rotis insistere victor

5. *Componere Thebas.*] *Theba* plures fuerunt. Alia enim Urbs in Ægypto fuit dicta *Theba*. unde regio dicta *Thebais*; alia in Cilicia, alia in Bœotia, de qua hoc in loco Propertius.

6. *Phryne.*] Thespiensis meretrix formosissima & laudatissima, quæ cum Thebas se contulisset formositate omnes ad se Thebanos pellexit, quæstuque suo tam potens & dives est facta, ut Thebas ab Alexandro Magno dirutas & eversas denuò posset instaurare.

Quinetiam falsos fingis tibi sæpè propinquos,
Oscula nec desunt qui tibi jure ferant.
Me juvenum facies pictæ, me nomina lædunt,
Me tener in cunis, & sine voce puer:
Me lædit, si multa tibi dedit oscula, mater.
Me soror, & cum qua dormit, amica simul:
Omnia me lædent, timidus sum, ignosce timori.
Et miser in tunica suspicor esse virum.
His olim (ut fama est) vitiis ad prælia ventum est,
His Trojana vides funera principiis.
Aspera Centauros eadem dementia jussit
Frangere in adversum pocula Pirithoum.

INTERPRETATIO.

Sed tu insuper tibi fictes assimulas frequenter cognatos, neque desunt, qui tibi jure dent basia. Me verò offendunt juvenum expressi in tabula vultus, & nomina; me torquet mollis infans in cunabulis & adhuc loqui nescius: Me cruciat parens tua, quando multa tibi figit oscula, mihi suspecta est soror tua pariter & amica cum qua cubat. Omnia me cruciant; ego sum meticulosus; parce metui meo; suspicor etiam esse hominem intra vestem interiorem. Istis quondam de causis, ut aiunt, ad arma & bella itum est: ex hac origine Trojæ cladem & exitium provenisse audis. Ipsa eadem amentia mero furens coegit Centauros crateres confringere, & cyathis pugnare contra Pirithoum hostem.

ANNOTATIONES.

15. *His olim vitiis.*] Propter libidinem, luxuriam, & perfidiam mulierum olim crudelia & cruenta gesta fuisse præ cæteris exemplo sunt Helena, & Hippodamia.

16. *Funera Trojana.*] Propter Helenæ raptum à Græcis post decennalem obsidionem funditùs excisa est Troja.

17. *Centauros.*] Idem furor *Centauros* impulit torquere pocula convivalia in Pirithoum, dum ejus uxorem Hippodamiam libidine incensi, & mero calentes rapere conarentur. De hac re Ovid. Lib. 12. Metamorph.

Ardet, & ebrietas geminata libidine regnat
Protinus eversa turbant convivia mensa,
Raptaturque comis per vim nova nupta prehensis:
Eurytus Hippodamen, alii quam quisque probabat,
Aut poterat rapiunt. ———

Et post pauca.

Vina dabant animos, & primâ pocula pugnâ
Missa volant, fragilesque cadi, curvique lebetes,
Res epulis quondam, nunc bello & cædibus apta.

18. *Pirithoum.*] Pirithous filius fuit Ixionis, Theseo amicitiâ conjunctissimus, cujus ope Centauros Hippodamiam uxorem rapere molientes superavit.

Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
    Nequitiæque ſuæ noluit eſſe rudes.
Ah gemat in terris iſtâ qui protulit arte
    Jurgia ſub tacitâ condita lætitia.
Non iſtis olim variabant tecta figuris,
    Quum paries nullo crimine pictus erat.
Sed non immeritò velavit aranea fanum,
    Et mala deſertos occupat herba Deos.
Quos igitur tibi cuſtodes, quæ limina ponam,
    Quæ nunquam ſupra pes inimicus eat?

INTERPRETATIO

Ipſa infecit oculos puellarum ad honeſtatem natos, ac criminis ſui ipſas non voluit eſſe ignaras & immunes. Ah doleat ille, *quicumque iſto* pingendi *artificio* tales *mortalibus exhibuit rixas abditas ſub ſilenti voluptate. Quondam hu ædes picturis non diſtinguebant; quando paries nullo ſceleris argumento depingebatur. At verò jure equidem meritò aranea* telis ſuis *obtexit templum, & gramen impium ſimulachra* Deorum *derelicta* involvit. *Quales igitur*, ô mea Cynthia, *tibi cuſtodes, qualeſque fores apponam, quas pes mihi infeſtus & inviſus nuſquam calcare audeat?*

ANNOTATIONES.

34. *Paries nullo crimine pictus.*] Nullus, inquit, olim paries habebat laſcivas & obſcœnas picturas in domibus veterum. *Crimen* dicit Propertius picturam obſcœnam, quæ cauſa ſolet eſſe muliebris impudicitiæ. Antiqui porrò non exornare conſueverant parietes domeſticos picturis. Plin Lib 35. cap. 10. *Nulla in Apellis tectoriis pictura erat; nondum libebat parietes totos pingere.*

35. *Velavit aranea fanum.*] *Fana* dicuntur vel à fando, ut inquit Feſtus, quod Pontifex, dum templa dedicat certa verba fatur, vel à Fauno, qui primus ædes ſacras exſtruxit, lucoſque dedicavit, ut ait Probus; vel, ut ait Aſconius in 3. Verr. quod è templis fata petuntur. Dicitur autem *aranea* meritò templa Deorum telis ſuis obtegere, ne ſcilicet aſpiciantur picturæ turpes & obſcœnæ, ut nempe Deorum adulteria, quibus etiam olim templa veterum exornabantur. Unde Divus Hieronym. *Fuligine & aranearum telis omnia Romæ templa cooperta ſunt. Aranea* porrò telas ſuas prætendere ſolent in locis incultis, deſertis, & inanibus, ut noſter Poëta docet Lib. 3. Eleg. 6.

Putris & in vacuo texetur aranea lecto.

36. *Occupat herba Deos.*] Statuas Deorum & ſigna implicat gramen, ut apud Ovid. Epiſt. 1.

Alta ruinoſas occulit herba domos.

Meritò quidem Jure, inquit Propert. imagines Deorum deſertæ occupantur integunturque herbis, cum etiam ex occaſione turpium & obſcœnarum imaginum Deorum clauſtra pudicitiæ Romanæ perfracta ſint, & Româ pudor expulſus.

37. *Quos cuſtodes.*] Fruſtra cuſtoditur, quæ non vult eſſe pudica; unde Hieronym. *Pudica ſervari non debet, impudica non poteſt.*

Nam nihil invitæ tristis custodia prodest :
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.

Interpretatio.

Dura enim custodia puellæ, quæ non vult esse pudica, nihil omnino prodest. O Cynthia, illa cui, pudor est peccare, satis est munita & secura adversus corruptorum insidias.

Annotationes.

Ovidius Lib. 3. Amor. Eleg. 4.

Dure vir imposito tenera custode puellæ,
Nil agis, ingenio quæque tuenda sue est.

Ibidem.

Nec custodiri, ni velit, ulla potest.

ELEGIA VII.

ELEGIA VII.

AD CYNTHIAM.

GAVISA est certè sublatam Cynthia legem,
Quâ quondam edictâ flemus uterque diu,
Ne nos divideret, quamvis diducere amantes
Non queat invitos Juppiter ipse duos.
At magnus Cæsar, sed magnus Cæsar in armis,
Devictæ gentes nil in amore valent.
Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptæ perdere amore faces.
Anne ego transirem tua limina clausa maritus,
Respiciens udis perdita luminibus?

INTERPRETATIO.

CYNTHIA profectò læta est antiquatam esse legem quâ olim constituta nos *ambo multùm ploravimus, timentes ne nos separaret, quanquam dividere non posset ipse Juppiter, duos amantes nolentes* disjungi. *At vero Augustus Cæsar est potens, verùm Cæsar potens in bello, ac domita verò nationes nihil in amore superande possunt. Potius ego perferrem hoc caput à mea cervice dividi, quàm sustinerem amittere amorem* tuum *uxoris ducendæ causâ. Numquid ego alterius vir factus præterirem januam tuam mihi obstructam madentibus oculis amissam retro aspiciens?*

ANNOTATIONES.

GAVISA *est.*] Augustus Cæsar legem tulerat de adulteriis, quâ quondam latâ se suamque Cynthiam multùm flevisse testatur Poeta; sed eâdem subinde abrogatâ penitùsque sublatâ vehementer Cynthiam fuisse lætatam demonstrat.

Sublatam legem.] *Lex* ea fuit Julia de adulteriis, de qua Corn. Tacitus Lib. 2. Annal. Vel *Lex* Julia de maritandis ordinibus, de qua Gell. Lib 2. cap. 15. Horat. in Carm. secular Suetonius in Augusto cap 34. quam cum ferret Augustus, præ tumultu recusantium perferre non potuit nisi ademptâ demum lenitâve parte pœnarum, & vacatione triennii datâ, auctisque præmiis. De hac lege etiam Vulpian. tit. 14.

2. *Quâ edictâ.*] Illud *edicitur*, quod fieri jubetur; *edicere* porrò idem est ac decernere, jubere, statuere, edicto vetare, prohibere &c. Significat autem Poëta se multùm cum sua Cynthia doluisse ob istius legis edictum.

4. *Juppiter ipse.*] In hunc ferè sensum Catull. Carm.

Nulli se dicit mulier mea nubere velle
Quam mihi, non si Juppiter ipse petat.

8. *Nuptæ perdere faces.*] Deponere amorem illum, quo tu me incendisti, tuamque jucundissimam consuetudinem amittere.

10. *Respiciens perdita luminibus.*] Ægrè amissa sæpius crebro respectu requiruntur. Cicero orat. 2. in Catilinam. *Retorquet oculos sæpè ad hanc Urbem quam è suis faucibus ereptam luget.*

An mea quum tales caneret tibi, Cynthia, somnos
Tibia, funestâ tristior illa tubâ?
Unde mihi patriis gnatos præbere triumphis?
Nullus de nostro sanguine miles erit.
Quod si vera meæ comitarer castra puellæ,
Non mihi sat magnus Castoris iret equus.
Hinc etenim tantùm meruit mea gloria nomen,
Gloria ad Hibernos lata Borysthenidas
Tu mihi sola places, placeam tibi Cynthia solus:
Hic erit & patrio sanguine pluris amor.
Uxor me nunquam, nunquam me ducet amica,
Semper amica mihi, semper & uxor eris.

INTERPRETATIO.

Ah quem tunc temporis fistula mea tibi, ô Cynthia, soporem canendo faceret? fistula mea *tunc esset mæstior ferali buccinâ. Quidnam mihi opus est liberos dare comparandos patriis triumphis? Nemo de meo genere nascetur, qui bella gerat. Si* [illegible] *mea Cynthia militiam veram sectari me oporteat, non mihi sufficeret equus magni Castoris. Ex hac enim militia tam magnam famam nomen meum obtinuit, quæ fama usque ad gelidos Borysthenidas penetravit. Tu mihi una places, ô Cynthia, unus quoque ego tibi placeam: Amor iste mihi longè carior erit, quam paternum genus. Nulla unquam conjux, nulla unquam alia puella me alliciet; tu mihi,* ô Cynthia, *perpetuò amica, ac perpetuò conjux eris.*

ANNOTATIONES.

11. *Tibia.*] Vel significatur *Tibia* nuptialis, quâ novæ nuptæ in mariti domum noctu deducebantur: vel intelligitur *Tibia* Amatorum, quâ sub noctem transeuntes ante domos amicarum dolores suos & miserias lamentabantur. Lugubre verò ac querulum quoddam resonabat *Tibia*, unde funeribus adhibebatur plebeiorum. Ovid.

Cantabat mœstis Tibia funeribus.

Funesta tuba.] In exequiis & funeribus potentiorum adhibitam fuisse tubam testis est Virg. Lib. 11. Æneid. de funere Pallantis.

It cœlo clamorque virûm, clangorque tubarum.

16. *Castoris equus.* Cyllarus intelligi ut Castoris equus. Xanthus enim & Cyllarus duo insignes equi fuerunt, quos à Junone muneris nomine *Castor* & Pollux acceperunt, quos Junoni Neptuni donaverat. Sensus igitur est: Cyllarum magni Castoris equum non satis futurum Poëtæ nostro, neque satis esse velocem ad castra sectanda, si in castris puellæ etiam militarent.

18. *Hibernos Borysthenidas.*] Scythiæ populi sunt Borysthenes fluminis, vel etiam paludis ejusdem nominis accolæ, qui dicuntur *Hiberni*, quia nimirum eorum regio continuo gelu riget, utpote quæ ad Septentrionem maximè vergit.

20. *Patrio sanguine.*] Parentibus, liberis, propinquisque omnibus. Sic Eleg. 15. Lib. 1.

Sanguinis & caræ vincula rupit amor.

Eleg 11. ejusdem Lib. 1.

An mihi sit major caræ custodia matris
Aut sine te vitæ cura sit ulla meæ?
Tu mihi sola domus, tu Cynthia sola, parentes.

ELEGIA VIII.

AD AMICUM.

ERIPITUR nobis jam pridem cara puella;
Et tu, me lachrimas fundere, amice, vetas?
Nullæ sunt inimicitiæ, nisi amoris acerbæ.
Ipsum me jugula, lenior hostis ero.
Possum ego in alterius positam spectare lacerto?
Nec mea dicetur, quæ modo dicta mea est?
Omnia vertuntur, certè vertuntur amores:
Vinceris, aut vincis; hæc in amore rota est.
Magni sæpè duces, magni cecidêre tyranni;
Et Thebæ steterant, altaque Troja fuit.

INTERPRETATIO.

AMICA jamdudum dilecta mihi rapitur; tu tamen, ô amice, flere me prohibes? Odia nulla mihi *sunt gravia nisi amoris causâ. Meipsum gladio confode, tibi placabilior inimicus ero. An ego sustineam videre puellam meam in alterius gremio jacentem? neque amplius mea appellabitur, quæ paulò ante appellata est? Cuncta mutantur, profectò etiam amores mutantur: tu vel victus jaces, vel victoriam refers: iste est orbis & vicissitudo* fortunæ *in amore. Frequenter potentes exercituum ductores, potentesque reges in acie periêre; ac quondam Thebæ floruerunt, & magna Troja periit.*

ANNOTATIONES.

1. *ERipitur nobis &c.*] Ereptam esse sibi Cynthiam suam graviter conqueritur, lamentaturque Propertius, doloremque ob id conceptum impatientèr ferens & mortem sibi & Cynthiæ minitatur. Ad mentem ferè Propertii Tibull. Lib. 3. Eleg. 2.

Qui primum caram juveni, carumque puellæ
Eripuit juvenem, ferreus ille fuit.
Durus & ille fuit qui tantum ferre dolorem,
Vivere & ereptâ conjuge qui potuit.

4. *Ipsum me jugula.*] Ostendit graviores sibi non esse inimicitias quam propter amores, dicitque faciliùs se condonaturum si jugulum suum gladio appetatur, quam si sibi eripiatur amica. In eandem sententiam Tibullus Lib. 1. Eleg. 9.

Ure meum potius flammâ caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga seca.

7. *Omnia vertuntur.*] Unde illud Terentii: *omnium rerum vicissitudo est.*

8. *Vinceris aut vincis.*] Unde & Ovid. Lib. 1. Amor. Eleg. 9.

Mars dubius, nec certa Venus, victique resurgunt,
Quosque neges unquam posse jacere, cadunt.

Hæc in amore rota est] Is orbis est fortunæ in amore. Valet etiam in amore fortuna; unde Propert. Lib. 1. Eleg. 6.

Me sine quem semper voluit fortuna jacere.

De hac amoris rota loquitur ille Plautinus amator in Cistellaria act. 2. scen. 1. *Jactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota.*

10. *Et Thebæ steterunt.*] *Thebæ* civitas fuit Bœotiæ, quæ quondam Athenis claritate non cedebat; duobus Diis Hercule, & Baccho alumnis fuit insignis, duobusque item ducibus Epaminonda & Pelopida commendabilis.

Troja fuit.] De Troja ab Græcis funditùs eversa historiam norunt omnes; Virgil. *Fuimus Troes, fuit Ilium.*

Munera quanta dedi, vel qualia carmina feci!
  Illa tamen nunquam ferrea dixit, amo.
Ergo jam multos nimium temerarius annos,
  Improba, qui tulerim teque, tuamque domum.
Ecquandone tibi liber sum visus? an usque
  In nostrum jacies verba superba caput?
Sic igitur primâ moriere ætate, Properti,
  Sed morere; interitu gaudeat illa tuo.
Exagitet nostros manes, sectetur & umbras,
  Insultetque rogis, calcet & ossa mea.
Quid? non Antigones tumulo Bœotius Hæmon
  Corruit ipse suo saucius ense latus?
Et sua cum miseræ permiscuit ossa puellæ,
  Quâ sine Thebanam noluit ire domum?
Sed non effugies: mecum moriaris oportet,
  Hoc eodem ferro stillet uterque cruor.
Quamvis ista mihi mors est inhonesta futura,
  Mors inhonesta quidem; tu moriere tamen.

INTERPRETATIO

Qualia & quàm magna dona largitus sum, aut quot versus scripsi! ista tamen puella *sævissima nusquam mihi dixit, te diligo. Nimis igitur ego stultus, qui tam per longum tempus, te, ô crudelis & perfida, tuosque tuamque familiam passus fuerim. Quandonam apparui tibi liber incedere? An semper in meum caput dicta vocesque fastuosas conjicies? Ita ergo in juventute peribis, ô* Properti. *At peri; itaque morte ista* puella *lætetur. Ipsa meam umbram divexet & cruciet, manesque infesto persequatur animo, meoque busto insultet, & meos cineres calcibus proterat. Et quid? nonne Hæmon Bœotius suo ipse gladio confixus viscera concidit ad Antigones tumulum, suumque corpus infelicis* istius *puellæ corpori commiscenit, sine qua noluit in Thebanam regiam reverti, numque genus ulterius procedere? At verò tu non aufugies: necesse est ut mecum tu pereas, & ut iste gladio nostrûm utriusque sanguis fluat. Quanquam hæc mihi mors futura est turpis & indecora: mors equidem mihi turpis erit; attamen tu morieris.*

ANNOTATIONES.

20. *Insultetque rogis.*] *Rogus* propriè est congeries lignorum, quibus corpora mortuorum cremabantur. Sumitur hic etiam pro cadavere cremando. Vetustissimum autem sepulturæ genus fuit corpus terræ tradere: sed postea apud Romanos institutum est ut corpora cremarentur mortuorum, postquam longinquis bellis obrutos erui cognoverunt. Primus è gente Cornelia Dictator Sylla crematus fuit.

21. *Antigones tumulo Bœotius Hæmon.*] *Hæmon* fuit Creontis Thebarum in Bœotia regis filius, qui cum audiisset jussu patris occisam fuisse Antigonem filiam Oedipodis & Jocastæ, quod fratrem Polynicem sepeliisset, ad ipsius Antigones tumulum seipse gladio interemit, neque superstes esse voluit puellæ, sine qua noluit domum reverti.

24. *Thebanam noluit ire domum.*] Vel noluit Thebas in patris Creontis Palatium redire; vel quia noluit genus regum Thebanorum ulterius procedere, quia nimirum ipsius interitu tota gens extincta est.

Ille etiam abreptâ desertus conjuge Achilles
Cessare in tectis pertulit arma sua.
Viderat ille fugâ tractos in littore Achivos,
Fervere & Hectoreâ Dorica castra face.
Viderat informem multâ Patroclon arenâ
Porrectum, & sparsas cæde jacere comas.
Omnia formosam propter Briseida passus;
Tantus in erepto sævit amore dolor.
At postquam serâ captiva est reddita pœnâ,
Fortem illum Hæmoniis Hectora traxit equis.

INTERPRETATIO.

Ipse etiam Achilles ereptâ per vim amicâ derelictus domi sua arma sua feriari passus est. Conspexerat ipse Achivos circa littus maris fuga dissipatos, ac Hectoreis ignibus Doricam classem succensam: aspexerat Patroclum jacentem mortuum, multoque conspersum pulvere, ejusque comas sanguine concretas dissipari. Pertulit autem omnia propter pulchram Briseidem; tam magna & acerba ira est, quæ amica erepta causâ concipitur. Sed quando tandem captiva est restituta sardâ pœnâ, idem ipse raptavit fortem illum Hectorem equis Æmoniis.

ANNOTATIONES.

29. *Abreptâ conjuge Achilles.*] Briseidem captivam mirum in modum dilexit *Achilles*, quæ cum ipsi erepta fuisset ab Agamemnone, noluit amplius adversus Trojanos decertare, donec puellam intactam cum muneribus regiis restituisset Agamemnon.

31. *In littore.*] Rhethæo, vel Sigæo, ubi pugnabatur, unde Virgil.

Dardanidum totos sudavit sanguine littus.

32. *Hectoreâ Dorica castra face.*] Hector Priami filius excellens viribus Græcos invasit, quos & fugavit, eorumque castra & naves injectis facibus incendit. Ovid. Lib. 13. Metamorph.

At non Hectoreis dubitavit cedere flammis.

Et

Ecce ferunt Troës ferrumque, ignemque, Jovemque
In Danaas classes. ———

Dorica dicta sunt *castra* Græcorum à *Doro* Neptuni filio, à quo *Dorienses*, seu *Dores* dicti sunt Græci Parnassum accolentes, adjacentemque regionem.

33. *Patroclon arena*] Hector *Patroclon* Achillis amicissimum occidit; quod impatienter ferens Achilles receptâ Briseide, reconciliatâque cum Agamemnone gratiâ adversus Trojanos iterum arma capessiit, quò Patrocli mortem ulcisceretur, priùs non quieturus donec Hectorem amici interfectorem interemisset. Ostendit ergo Propertius Achillis exemplo, quantus sit dolor, quanta indignatio amoris erepti.

35. *Briseida.*] *Briseis* puella fuit à *Briso* patre sic dicta ex Lyrnesso civitate oriunda, quam Achilles ita amavit, ut, cum ipsi erepta fuisset ab Agamemnone, implacabilis dissidii inter Achillem & Agamemnonem causa fuerit, nec usquam adduci potuerit Achilles, ut arma sumeret contra Trojanos, donec Patrocli mors nunciata, *Briseisque* intacta ab Agamemnone reddita eumdem ad pugnam, amicique vindictam exstimulavit.

38 *Æmoniis Hectora traxit equis.*] Æmonii *equi* Thessali sunt: Thessalia enim dicta est etiam *Æmonia*. *Hectorem* porro ad currum Achillis religatum fuisse tractum testatur etiam post Homerum Virgil. Lib. 1 Æneid.

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros.

Inferior multò quum ſim vel Marte, vel armis,
Mirum ſi de me jure triumphat amor?

INTERPRETATIO

Quandoquidem verò non ſum Achilli par aut bellicâ virtute, aut armorum genere, an mirum eſt ſi de me Amor meritò triumphat?

ANNOTATIONES.

Ovidius etiam Lib. 3. Triſt. Eleg. 11.
Hector erat tunc cum bello certabat, & idem
Tractus ab Æmonio non erat Hector equo.

ELEGIA IX.

AD AMICAM DE RIVALI.

ISTE quod est, ego sæpè fui; sed fors & in hora
Hoc ipso ejecto carior alter erit.
Penelope poterat bis denos salva per annos
Vivere, tam multis fœmina digna procis.
Conjugium falsâ poterat differre Minervâ,
Nocturno solvens texta diurna dolo:
Visura & quamvis nunquam speraret Ulyssem;
Illum expectando facta remansit anus.
Necnon exanimem amplectens Briseis Achillem
Candida vesanâ verberat ora manu,

INTERPRETATIO.

EGO frequenter fui id quod ille est; at forsan etiam mox alius erit dilectior eodem illo repulso. Penelope sustinebat integra & intacta permanere viginti annos, quæ fuit mulier digna tanto amatorum numero. Sustinebat fallaci Minervâ procrastinare nubendi tempus, retexens fraude nocturnâ telam interdiu contextam: & quanquam Ulyssem suum *nunquam speraret se visuram, eidem tamen præstolando facta est anus. Briseis etiam complexa mortuum Achillem* suum *formosam faciem furenti manu percutiebat, ac*

ANNOTATIONES.

1. *Iste quod est*] Rivalem à Cynthia fuisse sibi prælatum graviter conqueritur Poeta, Cynthiæque impudicitiam ac libidinem, quæ neque unâ quidem nocte potuit sola sine amatore dormire, vehementer insectatur.

3. *Penelope.*] De Penelopes amatoribus & procis, quos mira arte per viginti annos delusit, jam supra satis superque.

5. *Falsâ Minervâ.*] mentiendo se lanificio & texturæ incumbentem nondum telam absolvere potuisse. Namque à procis impetraverat Penelope, ne se cuiquam eorum nubere cogerent, donec telam, quam fuerat exorsa ad Laërtis funus cohonestandum, pertexuisset. Vide Homer. Lib. 19. Odyssex. Hoc igitur in loco *Minerva* sumitur pro lanificio, quia nempe dea ista est lanificii & texturæ inventrix: Virgil. Lib. 6. Æneid.

Cui tolerare colo vitam, tenuique Minervâ.

6. *Nocturno dolo.*] Promiserat enim suis procis Penelope se tunc nupturam cum telam, quam exorsa fuerat, perfecisset; cum autem id proci avidè expectarent, ut eos Penelope deluderet noctu retexebat, quidquid telæ interdiu texuerat, & ita amatores per multos annos vanâ spe lactati sunt; sed postquam tandem per ancillam dolus ille detectus est, demùm telam absolvit Penelope, Ulyssesque rediit è longinquis peregrinationibus, sicque fugati sunt ejus adventu Penelopes proci.

9. *Exanimem amplectens Briseis Achillem.*] *Briseis*, quam, ut vidimus Elegiâ præcedenti, ardenter amavit Achilles, eumdem a Paride in templo Apollinis occisum lachrymosè & miseranter amoris pristini non oblita sepelivit. Illud autem pientissimum opus laudat Propertius, ut inde asperius Cynthiæ perfidiam insectetur.

Et dominum lavit mœrens captiva cruentum,
Appositum fluviis in Simoënta vadis,
Fœdavitque comas, & tanti corpus Achillis,
Maximaque in parva sustulit ossa manu.
Quando ibi nec Peleus aderat, nec Cærula mater,
Scyria nec viduo Deidamia toro.
Tunc igitur veris gaudebat Græcia natis,
Tunc etiam felix inter & arma pudor.
At tu, non unâ potuisti nocte vacare,
Impia, non unum sola manere diem.
Quin etiam multo duxisti pocula luxu;
Forsitan & de me verba fuêre mala.

INTERPRETATIO.

herum suum captiva illa lugens fœdè cruentatum abluit admotum aquis fluminis Simoentis, crinesque suos dilaniavit, corpus quo tam magni Achillis, & maxima ossa exigua manu collegit: cum tunc temporis neque Peleus pater interesset, neque parens Cærulea, neque Syria Deidamia tum conjuge orbata. Tum ergo Græcia lætabatur legitimis liberis, tum quoque beata fortunataque fuit pudicitia in ipsis etiam armis. Sed tu, ô perfida, nequivisti unicâ nocte sola dormire, neque potuisti carere viro per unicum tantummodo diem. Et quod majus est magna cum irrisione & nequitia calices ebibisti: fortassis etiam in me fuerunt maledicta & contumelia.

ANNOTATIONES.

11. *Dominum lavit mœrens captiva.*] In more fuit positum apud antiquos, ut cadavera mortuorum, sive vulneribus occidissent, sive morte naturali functi fuissent, aquâ abluerentur ac deinde ungerentur. Virgil etiam testis est Lib. 9. Æneid. v. 486.

——— Nec te tua funera mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi.

Idem Lib. 6. Æneid. v. 218. de funere Miseni.

Pars calidos latices, & ahena undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis, & ungunt.

12. *Simoënta vadis.*] In Simoënte fluvio, seu in ripis Simoëntis. Est autem *Simois* fluvius Trojæ vicinus, qui ex Ida monte profluens, & in Xanthum, cui commiscetur, currens ad Sigæum promontorium in Hellespontum exit.

15. *Peleus, nec Cærula mater.*] Propinquorum est officium funeris curatio; unde cum non adesset *Peleus* Achillis pater, nec Thetis mater, neque conjux Deidamia, idem quod præstare debuissent, præstitit *Briseis* amica. *Thetis* porro dicitur *Cærula mater*, quod nempe esset Nerei Dei Marini & Doridis filia, eademque nympha marina; maris autem color est *cæruleus*.

16. *Scyria Deidamia.*] *Scyros* insula est in mari Ægeo, una ex iis, quæ Cyclades dicuntur ubi regnavit Lycomedes pater *Deidamiæ*, quæ inde dicitur *Scyria* & *Scyrias*, & quam Achilles vestitu fœmineo dissimulatus compressit, ex eaque Pyrrhum filium suscepit. Hanc apud patrem Lycomedem ad bellum Trojanum profecturus, in quo mortem obiit, Achilles reliquit.

17. *Veris Græcia natis.*] Se filiis legitimo conjugio natis fortunatam, non verò suppositis, nec nothis ac spuriis se jactabat *Græcia*. Virgil. 8. Lib. Æneid. v 301.

Salve vera Jovis proles, decus addite divis.

Hic

Hic etiam petitur, qui te prius ipſe reliquit;
Dii faciant iſto capta fruare viro.
Hæc mihi vota tuam propter ſuſcepta ſalutem,
Quum capite hoc Stygiæ jam peterentur aquæ,
Et lectum flentes circumſtaremus amici?
Hic ubi tum, pro Dii! perfida, quiſve fuit?
Quid ſi longinquos retinerer miles ad Indos,
Aut mea ſi ſtaret navis in Oceano?
Sed vobis facile eſt verba, & componere fraudes;
Hoc unum didicit fœmina ſemper opus.
Non ſic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto;
Quam cito fœmineâ non conſtat fœdus in irâ,
Sive ea cauſa gravis, ſive ea cauſa levis.

INTERPRETATIO.

Iſte quoque idem, qui te antea deſeruit, à te deſideratur appetiturque; ſed faxint Superi, ut decepta potiaris illo amatore. An iſta mihi vota pro tua ſalute & incolumitate nuncupata ſunt, cùm jam Stygia unda iſtud tuum ferè caput haberent, & cùm nos amici lugentes adeſſemus circa cubile tuum? Ubinam tunc iſte, ò Superi! vel qualis ille fuit, ò infidelis Cynthia? Quid verò faceres *ſi militans apud Indos remotos immorari cogerer, vel mea navis in Oceano retineretur impedita? At vobis promptum eſt mendacia, doloſque confingere; iſtud unicum opus mulier novit ſemper efficere. Haud tam leviter Syrtes inconſtanti ancipitique vento commutantur, neque frondes Noto procelloſo commoventur, quàm facilè mulierum amor deperditur aut mutatur iracundiâ, ſeu gravis & juſta, ſeu levis adſit cauſa.*

ANNOTATIONES.

23. *Hic etiam petitur.*] Illum etiam ultro appetis ſequeriſque, qui te fugit, a quo ipſa jam priùs deſerta es & prodita. His verbis extremæ videtur nequitiæ damnare Cynthiam, quæ libidine incenſa viros potiùs peteret, quàm peteretur.

Hæc mihi vota.] Hiſne precibus ac votis Diis me obligavi, ut te è morbo liberarem, ut nunc alter tuis amoribus frueretur? Sic etiam Tibull. Lib. 1 Eleg 5.

Ipſe ego, cum triſti morbo defeſſa jaceres,
Te dicor votis eripuiſſe meis.
Omnia perſolvi. fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.

24. *Cum capite hoc Stygia aqua.*] Cum jam Orcus ac *Stygis* fluminis *aqua* tuum illud caput penè in poteſtate haberent. Ita etiam Virgil.

——— *Stygioque caput damnaverat Orco.*

27. *Longinquos retinerer ad Indos.*] Indi populi ſunt Aſiæ ad Oceanum orientalem, & ad auroram longè poſiti, de quibus jam ſupra ſæpius.

31. *Incerto flamine Syrtes.*] Syrtes duæ fuerunt in mari Africano magnitudine impares, pares naturâ, quæ in tempeſtate vadoſæ ſunt, & in quas, ubi mare magnum eſſe, & ventis ſævire cœpit, limum, arenamque, & ſaxa ingentia fluctus trahunt. De his jam ſupra pluribus.

32. *Noto.*] *Notus* ventus à meridie ſpirans, qui & Auſter nuncupatur: dicitur *Hibernus* quia procellas facit, effundit pluvias, ac tempeſtates. Sic Tibull. Lib. 1. Eleg 1.

Aut gelidas hibernus aquas cum fuderit Auſter.

33. *Quam citò fœminea in ira.*] Mobiles & inconſtantes fœminarum animos comparat ventorum levitati, Syrtiumque ventis agitatarum mobilitati, quibus dicit potiùs eſſe fidendum, quàm mulierum amori.

Nunc quoniam iſta tibi placuit ſententia, cedam;
Tela precor, pueri, promite acuta magis.
Figite certantes, atque hanc mihi ſolvite vitam:
Sanguis erit vobis maxima palma meus.
Sidera ſunt teſtes, & matutina pruina,
Et furtim miſero janua aperta mihi,
Te nihil in vita nobis acceptius unquam:
Nunc quoque eris, quamvis ſis inimica mihi.
Nec domina ulla meo ponet veſtigia lecto;
Solus ero, quoniam non licet eſſe tuum.
Atque utinam, ſi fortè pios eduximus annos,
Ille vir in medio fiat amore lapis.
Non ob regna magis diris cecidêre ſub armis
Thebani, mediâ non ſine matre duces:
Quam, mihi ſi mediâ liceat pugnare puellâ,
Mortem ego non fugiam morte ſubire tuâ.

INTERPRETATIO.

Jam ego è vita decedam, quandoquidem iſta animo tuo voluntas ſedit; ô pueri, quaſo, acutioribus me ſagittis configite, certatim me confodite, iſtamque mihi lucem eripite. Cruor meus vobis erit ampliſſima victoria. Aſtra ipſa ſunt teſtes, ac illa qua manè cadit pruina, foreſque mihi infelici clam ac tacito cardine reſerata nihil prorsùs unquam te mihi carius ac jucundius fuiſſe *: ſed & in poſterùm etiam eris* cara, *quanquam es mihi infenſa & iniqua. Neque ulla alia puella cubile meum attinget; ego cœlebs vivam, quandoquidem mihi non da ur eſſe tuum. At, ſi forſan piam hactenus vitam duxi, precor, ut faciant Dii, ut iſte tuus amator in medio amore vertatur in ſaxum. Thebani duces crudelioribus armis non occubuere cum matre* ſua *intermedia, quàm ſi mihi concedatur decertare puella cauſa, mortem obire ego non recuſabo nece tua.*

ANNOTATIONES.

36. *Tela pueri promite.*] Alloquitur Cupidines, quos plures eſſe ſignificat, rogatque ut acutiores ſagittas evibrent, ut ſibi citiùs vita eripiatur.

39. *Sidera ſunt teſtes.*] Teſtatur Poëta ſidera miſeriarum ſuarum conſcia, quæ ipſum ſæpè viderunt jacentem ad fores Cynthiæ, ibique pernoctantem. Juvenal. Sat. 28.

Nocti quidem, ſed luna videt, ſed ſidera teſte
Intendunt oculos ———

42. *Quamvis inimica mihi.*] Propertius Cynthiæ ſuæ etiam inimicæ non poteſt inimicus eſſe; ut jam dixit Lib. 1. Eleg. 8.

Sed quocumque modo de me perjura mereris,
Sit Galatea tua non aliena via.

Itemque Eleg. 18. ejuſdem Libri

Sed qualiſcumque es, reſonant tibi, Cynthia, ſilva.

48. *Thebani duces.*] Eteocles & Polynices, qui regni Thebani cauſâ ſeſe mutuis confodêre vulneribus, præſente matre Jocaſtâ, quæ furorem filiorum cohibere fruſtrà conabâtur. Significat autem Propertius ſe mortem ſubire non recuſare, dummodo Rivalis ſecum moriatur, inſpectante Cynthiâ, unâque pariter etiam commoriente, ſicut interiit Jocoſta cum filiis Eteocle & Polynice, quos cum vidiſſet mutuis vulneribus confoſſos occubuiſſe, ſeipſam gladio confecit, & *venas perrupit aniles*, ut ait Statius *Lib. 11. Thebaid.*

ELEGIA X.

AD MUSAM.

SED tempus lustrare aliis Helicona choreis,
  Et campum Hæmonio jam dare tempus equo.
Jam libet & fortes memorare ad prælia turmas,
  Et Romana mei dicere castra ducis.
Quod si deficiant vires; audacia certè
  Laus erit. In magnis & voluisse sat est.
Ætas prima canat Veneres, extrema tumultus:
  Bella canam, quando scripta puella mea est,
Nunc volo subducto gravior procedere vultu;
  Nunc aliam citharam me mea Musa docet.

INTERPRETATIO.

AT nunc tempus est Heliconem obire aliis choreis, nunc etiam tempus est patentem aperire campum equo Æmonio. Nunc animus est mihi audaces ad certamina copias aciesque celebrare, ac mei Imperatoris Romana castra decantare. Si verò robur, aut facultas desit: conatus profectò mihi *gloria erit. In arduis etiam voluisse satis est. Juventus mea amores Veneremque celebret, provecta verò ætas bella decantet. Nunc jam bella scribam, quandoquidem mea Cynthia dicta est. Jam cupio contractâ fronte & caperatâ severior incedere: Jam mea musa alteram me lyram edocet.*

ANNOTATIONES.

1. *JAm tempus.*] Poëta jam Cynthiæ suæ fraudes, ac perfidiam, quæ Rivalem admiserat, pertæsus significat se velle scribendis amoribus, Elegisque concinendis modum imponere; jamque tempus esse dicit res à Cæsare Augusto præclare gestas carmine heroico celebrandi.

Lustrare Helicona choreis.] *Helicon* mons est Bœotiæ Musis sacer, unde dicuntur ibi choreas celebrare. *Lustrare* idem est ac obire, circumire, ut venatores solent saltus indagine cingere, & *lustra* ferarum; unde *lustrare agros*, *lustrare exercitum*, sicut & infra Eleg. 22.

Nulla meis frustrà lustrantur compita plantis.

Virgil. Eclog. 10.

Interea mistis lustrabo Mænala Nymphis.

Lustrare idem est aliquando ac *purgare*, *expiare circumagendo*, ut fiebat in sacris Ambarvalibus de quibus vide Tibullum nostrum Lib. 2. Eleg. 1. & Cato de re rustica cap. 141.

2. *Hæmonio equo.*] *Æmonius equus* est Thessalus; *Æmonia* enim dicta est etiam Thessalia. Alludit igitur ad equos Thessalos qui laudatissimi fuerunt vel ad bellum Philippense, quod Augustus in Thessalia gessit contra Brutum & Cassium, quod scribere se statuisse innuit Poëta.

4. *Romana mei castra ducis.*] Augusti Cæsaris, cujus se partes secutum fuisse Eleg. 7. Lib. 3. significat.

Hoc mihi, Mæcenas, laudis concedis; & à te est
Quod ferar in partes, ipse fuisse tuas.

6. *In magnis voluisse sat est.*] In arduis & difficilibus voluntas ipsa & conatus facti instar esse debet. Plinius in Epistola ad Vespasian. quæ est præfatio, seu dedicatio naturalis historiæ, ait. *Itaque etiam non assecutis voluisse pulchrum, & magnificum est.* Ovidius ad Rufinum Eleg. 4. Lib. 3. de Ponto,

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas,
Hac ego contentos auguror esse Deos,

Tibullus Lib. 4. ad Messalam Panegyric. v. 7.

Est nobis voluisse satis: ———

Surge, anima, ex humili jam carmine; ſumite vires,
Pierides, magni nunc erit oris opus.
Jam negat Euphrates equites poſt terga tueri
Parthorum, & Craſſos ſe tenuiſſe dolet.
India qun, Auguſte, tuo dat colla triumpho,
Et domus intactæ te tremit Arabiæ.
Et, ſi qua extremis tellus ſe ſubtrahit oris,
Sentiet illa tuas poſtmodo capta manus.

INTERPRETATIO.

Nunc, ô anime mi, *ex tenui ſtilo attolle te altius; nunc mei verſûs robur concipite; ô Pierides, jam labor veſter erit oris magni. Nunc Euphrates recuſat aſpicere equites poſt Parthorum terga, Craſſoſque dolet ſe retinuiſſe. Inſuper etiam, ô Auguſte, India victori tibi cervices prabet, genteſque Arabia hactenùs noſtris armis intacta magnoperè te reformidant. Si verò aliqua regio latet in remotiſſimis terris, illa mox devicta brachium tuum, virtutemq; tuam experietur.*

ANNOTATIONES.

11. *Pierides.*] Dicuntur Muſæ à regione *Fsersa*, ſive à monte *Pserio*, & vocantur Aoniæ, Helicoıiæ, & Helicooıades, Libethrides, Pimplæides, Pegaſides, Theſpiades, &c.

Magni oris.] Quod nempe dicendi genus ſublime depromat, & grandia eloquatur: ut *os magnum* ſit idem quod magna dicendi facultas. Hotat Sat 4. Lib. 1.

Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum.

Sic etiam Virgil. Lib. 3 Georg.

Nunc veneranda Pales; magno nunc ore ſonandum.

13. *Euphrates*] Fluvius ingens Aſiæ, qui è Niphate monte Armeniæ ortus longo tractu per Syriam, Meſopotamiam, & Babyloniam currens, Tigri conjunctus immensâ aquarum mole, duobus oſtiis, in mare ſeu ſinum Perſicum exoneratur.

14. *Parthorum & Craſſos.*] *Parthi* populi ſunt Aſiæ ab Occaſu Medis, ab Aquilone Hyrcanis, ab Auſtro Perſis & Carmanis vicini. Hi Craſſos patrem & filium, qui Euphratem fluvium tranſiverant, ut bellum ipſis inferrent, prælio devicerunt. Vide Tit Livium, Florum, & Plutarchum. Refert porrò Juſtinus Lib. 42. ſicut & Suetonius in Auguſto, poſt confecta ſopitaque bella civilia, cum Auguſtus in Syıiam ad componendum Orientis ſtatum veniſſet, metu belli cum Romanis perculſum Phraaten *Parthorum* regem remiſiſſe, rediditſſeque Auguſto omnes captivos Romanos, ſignaque omnia militaria, quæ Craſſo & Aotonio adempta fuerant, filios nepoteſque Phraatis eidem Auguſto obſides fuiſſe datos. Unde & Horat. Lib. 2. Epiſtol.

Et formidatam Parthis te principe Romam.

15 *India.*] Regio eſt Aſiæ vaſtiſſima ad ultimum Orientem poſita. *Indos* tunc primùm Auguſto legatos miſiſſe ad amicitiam ipſius, populique Romani conciliandam ſcribunt Florus & Suetonius

16. *Et domus Arabia.*] Atabia regio eſt etiam Aſiæ, inter ſinum Arabicum ſeu mare rubrum, ſinum Perſicum & Syıiam ad Oceanum meridionalem poſita. *Arabes tentaturus* miſſus eſt ab Auguſto cum exercitu Ælius Gallus, ut vel eos volentes ſibi conciliaret, vel invitos ſubigeret; ut refert Strab Geograph. Lib. 6. Hæc ſunt ejus verba. *Recens Romanorum expeditio, quæ noſtro tempore, duce Ælio Gallo, in Arabiam facta eſt.*

Hæc ego castra sequar, vates tua castra canendo
Magnus ero. Servent hunc mihi fata diem.
Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes;
Sic nos nunc inopes laudis conscendere carmen,
Pauperibus sacris vilia thura damus.
Nondum etiam Ascræos norunt mea carmina fontes;
Sed modò Permessi flumine lavit amor.

INTERPRETATIO.

Istas ego copias Poeta sectabor, tuaque bella cantando illustris evadam. Fata mihi diem istum felicem concedant. Quemadmodum corolla tunc ad pedes infimos Deorum *ponuntur, quando in grandibus statuis & simulachris verticem attingere non licet; ita ego cum non possim arduum & sublimem gloriæ versum attingere, exilibus humilibusque sacris offero parvi pretii thura. Neque enim adhuc mei versus* Ascræos *fontes noverunt; sed recens solùm nec ita pridem Amor aquâ Permessi abluit me.*

ANNOTATIONES.

21. *Ut caput in magnis.*] Elegans similitudo cujus iste sensus est. Quomodo corona ponitur ad pedes statuarum, quarum capita attingere non licet propter altitudinem; ita nos exiguo viliorisque pretii thusculo sacrificamus; cumque non possimus assequi laudes Augusti heroïco carmine, & grandi eloquio, nos humiles & egeni ipsi humile solummodò carmen offerimus.

25. *Ascræos fontes.*] Hippocrenen, & Aganippen intelligit; significatque se nondum stilo & carmine heroico benè esse exercitatum, quo usus est Hesiodus Poëta, qui fuit dictus *Ascræus*, ex urbe *Ascra* ad Heliconis radices sita. De qua vide Strabon Lib. 9. & Pausan. in Bœoticis.

26. *Permessi flumine.*] Permessus fluvius est ex Helicone monte, & fonte Aganippe nascens, Musis & Apolini sacer. Strab. Lib. 9.

ELEGIA XI.

AD CYNTHIAM.

SCRIBANT de te alii, vel sis ignota, licebit.
Laudet, qui sterili semina ponit humo.
Omnia, crede mihi, tecum uno munera lecto
Auferet extremi funeris atra dies.
Et tua transibit contemnens ossa viator,
Nec dicet, Cinis hic docta puella fuit.

INTERPRETATIO.

O Cynthia, *te suis Carminibus celebrent alii, aut quin sis obscura & incognita per me non stabis. Te canat ille qui in terra ingrata sementem facit. Habe mihi fidem funesta mortis ultima hora tecum omnes tuas egregias dotes toro tuo eripiet; viatorque cineres tuos aspernatus tui immemor praeteribit, neque dicet, pulvis iste erudita fuit puella.*

ANNOTATIONES.

1. *SCribant de te alii.*] Significat Poëta se nolle amplius Cynthiam carminibus celebrare; unde fiet ut ipsa obscura & ignota remaneat; adeò ut etiam post mortem nulla supersit illius memoria.

3. *Omnia munera*] Formam, corporisque elegantiam, & oris venustatem, caeterasque tum animi tum corporis dotes vocat *munera*, quae omnia simul unà cum Cynthia sepelienda dicit, nisi versibus apud posteros celebrentur.

ELEGIA XII.

DE AMORE.

QUICUNQUE ille fuit, puerum qui pinxit amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Is primùm vidit sine sensu vivere amantes,
Et levibus curis magna perire bona.
Idem non frustrà ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum.
Scilicet alternâ quoniam jactamur in undâ,
Nostraque non ullis permanet aura locis.
Et meritò hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia utroque jacet.
Ante ferit quoniam, tuti quàm cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.
In me tela manent, manet & puerilis imago;
Sed certè pennas perdidit ille suas.

INTERPRETATIO.

QUISQUIS fuit ille, qui Cupidinem infantem picturâ expressit, nonne existimas istum manus mirè industrias habuisse? Iste primus animadvertit amatores consilii rationisque expertem vitam ducere, ingentesque dotes egregias indignis curis deperdi. Idem etiam non temerè ipsi pennas celeres dedit, divumque humano pectore volare finxit. Quia nempe agitamur reciprocis & inconstantibus amoris *fluctibus, neque usquam ullis in regionibus ventus secundus nobis semper favet. Non frustrà etiam Cupidinis manus armatur telis acuminatis, ac ex ejus dorso Gnossius corytus pendet; quandoquidem prius nos percutit, quàm ipsum inimicum aspiciamus, nemoque evadit sanus ex ipsius vulneribus. In me ejus sagitta confixa hærent, hæretque etiam* ejus *effigies infantilis; At sanè ipse alas suas amisit.*

ANNOTATIONES.

1. *QUicumque ille fuit &c.*] Effert laudibus pictorem illum qui primus puerum Cupidinem depinxit, quia nempe omnia affectionibus, quæ ex amore proveniunt, mirabili industriâ accommodaverit. *Amor* autem *puer* dicitur pingi, quia nimirùm, qui amat non plus sapit, quam puer; vel ut ait Servius in Lib. 1. Æneid. *Quia turpitudinis est stulta cupiditas, & quia imperfectus in amantibus sermo rationisque usus est, puer Amor pingitur.*

4. *Et levibus curis.*] Notæ sunt amantium ineptiæ, quibus pereunt magna bona, ratio nimirùm ipsa, fama, valetudo, fortunæ, libertas, tempus &c. juxtà illud Lucretii Lib. 4.

Adde quod alterius sub nutu degitur ætas,
Labitur interea res, & vadimonia fiunt,
Languent officia, atque ægrotat fama vacillans.

10. *Pharetra ex humero Gnossia.*] *Cretensis Pharetra. Gnossia à Gnosso* urbe Cretæ regia, quia nempe Cretenses nobiles erant sagittarii. *Pharetratum* etiam *Cupidinem* Ovidius aliique Poëtæ finxerunt.

Evolat è nostro quoniam de pectore nusquam,
Assiduusque meo sanguine bella gerit.
Quid tibi jucundum siccis habitare medullis?
Si pudor est, aliò trajice tela tua.
Intactos isto satius tentare veneno;
Non ego, sed tenuis vapulat umbra mea;
Quam si perdideris, quis erit qui talia cantet?
Hæc mea Musa levis gloria magna tua est;
Quæ caput, & digitos, & lumina nigra puellæ,
Et canit, ut soleant molliter ire pedes.

INTERPRETATIO.

quando quidem à meo pectore, eheu, nunquam avolat, ac semper mihi adhærens meo cruore prælia perpetuò miscet. Quid te juvat, ò Cupido, in arido ex usqueque corpore semper inhærere? Si quid te pudet, aliorsùm sagittas tuas transmitte. Præstat talibus venenis amoris expertes, & sanos aggredi; ego namque non percutior, sed exilis umbra mea solùm *attingitur, quam si semel extinxeris, quisnam erit, qui hujusmodi facta tua canat?* O Cupido, *ingens decus tuum est, humilis* licet, *mea Musa, quæ caput, & manus, ac oculos nigrantes puellæ ludit, ac quomodo leniter* ejus *plantæ consueverint procedere scribit.*

ANNOTATIONES.

17. *Quid tibi jucundum.*] Similis est omnino apud Ovid. Lib 2. Amor. Eleg. 9. ad Cupidinem expostulatio.

Quid juvat in nudis hamata recondere tela
Ossibus? ossa mihi nuda reliquit Amor.
Tot sine amore viri, tot sine amore puellæ:
Hinc tibi cum magna laude triumphus eat.

20. *Quam si perdideris.* Si hanc meam umbram penitùs interemeris, quis erit alius vates, qui tua facta ludat, puellarum formam & venustatem, crines & oculos nigrantes, quibus maximè decorantur, laudet?

ELEGIA XIII.

ELEGIA XIII.

AD CYNTHIAM.

NON tot Achæmeniis armantur Susa sagittis;
Spicula quot nostro pectore fixit Amor.
Hic me tam graciles vetuit contemnere Musas,
Jussit & Ascræum sic habitare nemus.
Non ut Pieriæ quercus mea verba sequantur,
Aut possim Ismariâ ducere valle feras;

INTERPRETATIO.

SUSA tot armis Achamenius non muniuntur, quot sagittis cor meum Cupido confixit. Ille prohibuit me tenues adeò Musas spernere, præcepitque lucos Ascræos incolere. Non ut Pieria quercus meas voces sectentur, vel queam cantibus meis allicere & delinire belluas feroces in valle Ismaria; verùm

ANNOTATIONES.

1. NOn tot *Achamenii*s.] Significat Propertius se tot ictibus amoris esse perculsum, adeòque graviter ab Cupidine esse oppugnatum ut id sit in causa, cur relictis & spretis Elegis heroica Carmina, bellaque sublimiori stilo non scribat. Deinde rursùs ad Cynthiam suam conversus ipsi modum formamque funeris sui, postquam fato functus fuerit, præscribit.

*Achamenii*s *sagittis*.] Persicis telis;] Achæmenes enim rex fuit olim Persarum ditissimus, & potentissimus, à quo cæteri deinde reges ad Darium usque dicti sunt Achæmenidæ, unde *Achamenius* idem est ac Persicus. Vide Herodot. in Clio. Horat. Lib. 2. Od. 12.

Num tu, qua tenuit dives Achamenes.

Susa.] Civitas nobilissima, à qua tota regio vicina dicta est *Susiana*, Persarum fuit regia, ut ex Lib. Esther cap. 1. & ex Plutarcho in Crasso, & Alexandro habetur. Strabo Lib. 15. refert *Susa* fuisse à Tithono Memnonis patre condita; Plinius verò Lib. 6. cap. 23. hujus urbis originem tribuit Dario Hystaspis filio.

3. *Jam graciles Musas*.] Molles ac tenues propter elegos versus tenui gracilique stilo compositos.

4. *Ascræum nemus*.] *Ascra* fuit vicus Bœotiæ aspero in loco situs, Hesiodi natalibus illustris. Unde dictus est *Ascræus*. Hesiodum tamen alii in urbe Æolica, Cuma dicta, natum volunt, tantumque illum *Ascra*, quo parentes ejus propter æs alienum vertere solum coacti migraverant, educatum. *Ascræum* porrò *nemus* dicit Poëta stilum suum mollem, scribendique genus Elegiacum, quo de rebus amatoriis, & muliebribus agitur; vel quia, ut refert Dion Chrisostomus, de Heroidibus mulierumque virtutibus, mediocri tenore cedit Homero, qui de Heroibus grandiori stilo ante scripsisset; vel quia, quanquam rarò assurgit Hesiodus, datur tamen illi palma in illo medio genere dicendi, ut testatur Quintilian. Lib. 10. Institut. Orator. cap. 1.

5. *Pieria quercus*.] *Pierius* mons est Thessaliæ, qui etiam aliquando dictus est Thraciæ, à quo dicta est *Pieria* regio, & Musæ *Pierides*. Alludit autem ad Orphei carmina, quibus olim dicitur arbores, feras, saxaque ipsa ad se traxisse. Ovid.

Carmine dum tali silvas animosque ferarum
Threicius vates, & saxa sequentia traxit;

6. *Ismariâ valle*.] *Ismarus* mons fuit Thraciæ, oppidumque ad montis radices; quibus in locis Orpheus canere solitus erat Unde Virgil. Eclog. 6.

Nec tantum Rhodope miratur & Ismarus Orphea.

Sed magis ut nostro stupefiat Cynthia versu.
  Tunc ego sim Inachio notior arte Lino.
Non ego sum formæ tantùm mirator honestæ,
  Nec si qua illustres fœmina jactat avos.
Me juvat in gremio doctæ legisse puellæ,
  Auribus & puris scripta probasse mea.
Hæc ubi contigerint, populi confusa valeto
  Fabula; nam dominâ judice tutus ero.
Quæ si fortè bonas ad pacem verterit aures;
  Possum inimicitias tunc ego ferre Jovis.
Quandocumque igitur nostros mors claudet ocellos,
  Accipe quæ serves funeris acta mei.
Nec mea tunc longâ spatietur imagine pompa,
  Nec tuba sit fati vana querela mei.
Nec mihi tùm fulcro sternatur lectus eburno,
  Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.

INTERPRETATIO

potiùs ut meis Carminibus obstupescat Cynthia. Tùm ego esse possum canendi facultate clarior Lino Inachio. Non sum ego solùm admirator ingenuæ & pulchra figura; neque tantùm quæro an *aliqua puella majores virtute inclytos habere se glorietur. Delectat me in sinu erudita puella versus recitare, ipsosque sinceris ejus auriculis approbare. Quando hæc evenerint, plebis confusa fabula opinioque facessite; herâ enim* meâ *judice securus ero. Ipsa verò si forsan faciles & benignas aures adverterit ad concordiam; ego tunc Jovis ipsius iras queam sustinere. Cum ergo mors mea lumina occludet, audi quam mearum exequiarum legem observes. Tùm funus meum non procedat longâ cum serie imaginum, neque etiam adsit buccina inanis querimonia mortis meæ; neque mihi tum columine eburneo torus apparetur, neque meum cadaver in Attalico lecto exponatur:*

ANNOTATIONES.

8. *Inachio notior arte Lino*] *Linus* Poëta insignis, & Musicus excellens fuit præceptor Orphei. Dicitur autem *Inachius*, quia apud Argos, ubi primus regnavit *Inachus*, natus est & educatus; unde etiam dictus est Argivus.

19. *Nec spatietur imagine pompa.*] Non vult Propertius in funebri sua pompa adhiberi majorum suorum imagines, ritu Romanorum, apud quos funera gentilia comitabatur lentè & graviter procedens non solùm totius familiæ defuncti cœtus, sed etiam longa series imaginum ex ordine singulis suis loculis, seu armariis dispositarum.

20. *Nec tuba sit fati.*] In potentiorum funeribus, non autem plebeiorum adhibebatur *tuba*, quæ querulum quiddam & triste sonitu referre videbatur. Ut jam vidimus hoc Lib supra Elegiâ 7.

Tibia funestâ tristior illa tubâ.

22. *Attalico toro.*] Lecto funebri ornato aulæis, & peristromatis, quæ dicebantur *Attalica*, quia *Attalus* Rex Pergami ditissimus vestibus & aulæis aurum intexere primus dicitur excogitasse.

Desit odoriferis ordo mihi lancibus ; adsiht
Plebeii parvæ funeris exequiæ.
Sat sit magna mei si tres sint pompa libelli,
Quos ego Persephonæ maxima dona feram.
Tu verò nudum pectus lacerata sequare,
Nec fueris nomen lassa vocare meum,
Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
Quum dabitur Syrio munere plenus Onyx.

INTERPRETATIO.

non mihi fercula odorifera ordine ferantur ; sed solùm *sit meum funus exiguum, ut mortui plebeii. Satis equidem numerosa erit mea pompa, si tres mei tantùm libri adsint, quos ipse Persephonæ tanquam maxima munera offeram. Tu porrò* ô Cynthia. *nudatum pectus tundens funus prosequaris , neque defessa fueris nomen meum inclamare : tu quoque mihi dabis ultima oscula in frigidis labris , quando Onyx repletus unguento Syro effundetur in rogum.*

ANNOTATIONES.

23. *Odoriferis lancibus.*] *Lances* hoc in loco sunt vasa rebus divinis & sacrificiis apta. Virgil. Lib. 12 Æneid.

—— *Cumulatque oneratis lancibus aras.*

Unguenta porrò funeribus adhibita fuisse apud Romanos testantur quotquot ferè sunt Latini Scriptores. Non solùm autem mortuorum corpora ungebantur ; sed etiam odores acervatim in rogum, dum cadavera cremarentur, conjiciebantur. Plinius Lib. 12. cap. 18. loquens de Arabia. *Beatam illam*, ait, *fecit hominum etiam in morte luxuria, qua Diis intellexerat genita adhibens urendis defunctis. Periti rerum asseverant non ferre tantùm annuo fœtu, quantum Nero Princeps novissimo Poppææ suæ die concremaverit. Æstimentur postea toto orbe singulis annis tot funera . unguentaque acervatim congesta honori cadaverum, quæ Diis per singulas micas dantur.*

Virgil. Lib. 6. Æneid.

—— —— *Congesta cremantur*
Thurea dona , dapes , fuso crateres olivo.

Juvenalis Satyr. 4 ad hæc alludens.

Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera. ——

Odores etiam & unguenta fuisse cineribus & sepulchris, postquam cremata fuissent corpora mortuorum , affusa testatur noster Propertius infra Lib. 3. Eleg. 15.

Afferet huc unguenta mihi , sertisque sepulchrum
Ornabit custos ad mea busta sedens.

24. *Parvæ funeris exequiæ.*] *Plebeiorum* , seu tenuiorum hominum *funera* minori curabantur impensà, idque per Vespillones , qui vespertino tempore mortuos efferebant , quorum funebris pompa propter inopiā duci non poterat.

26. *Persephona.*] *Proserpina* seu *Persephona* & Hecate Inferorum dea est, quæ etiam dicitur in Cœlo Luna, in terris Diana . Trivia &c. Huic sese significat Libros suos amatorios oblaturum Propertius.

29. *Osculaque.*] Apud Veteres in more positum fuisse non solùm morientes osculari , sed etiam jamjam mortuis & sepultis suavia, *osculaque* figere, testatur etiam Tibullus noster Lib. 1. Eleg. 1. v. 75.

Flebis & arsuro positum me Delia lecto,
Tristibus & lachrymis oscula mista dabis.

Ovid. Lib. 4. Fast.

Osculaque applicuit posito suprema feretro.

30. *Syrio munere plenus Onyx.*] Onyx vas unguentarium ex *Onyche* lapide confectum , de quo in nostris ad Catullum Annotationibus ad illud Carm. de Coma Berenices.

Quam jucunda mihi munera libet Onyx.

Syrium porrò *munus* est odorum, unguentorumq, cumulus è *Syria* advectus.

Deinde ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula testa meos;
Et sit in exiguo laurus super addita busto,
Quæ tegat extincti funeris umbra locum.
Et duo sint versus, Qui nunc jacet horrida pulvis,
Unius hic quondam servus Amoris erat.
Nec minùs hæc nostri notescet fama sepulchri,
Quàm fuerant Phthii busta cruenta viri.
Tu quoque, si quando venies ad fata, memento
Hoc iter, ad lapides cana veni memores.

INTERPRETATIO.

Tùm postquam subjectus ignis in pulverem me redegerit, meos cineres contegat urnula testea; addaturque insuper meo sepulchro laurus, quæ locum obumbret mei monumenti: scribanturque quoque duo hi versiculi: Ille qui modò putidus cinis hoc in loco situs est, unius olim amoris minister fuit. Neque minùs ista mei tumuli illustris erit gloria, quàm fuit ducis Phtii sepulchrum cruore respersum. Tu etiam cùm semel ad mortem pervenies, recordare hujus via, ac tunc anus ad meum tumulum tui non oblitum accede.

ANNOTATIONES.

32. *Parvula testa.*] Urna fictilis & exigua, quia ossa in cineres redacta & minuta faciè minori vase tegebantur, Ovid. Lib. 3. Trist. Eleg. 3.

Ossa tamen facito parvâ referantur in urnâ.

Itemque,

Vix manet è toto parva quod urna capit.

33. *Laurus superaddita busto.*] Quæ tumulo immineat, locumque umbrâ suâ opacet. *Laurus* enim Phœbo, Poëtisque sacra erat; & sicut alii sibi Obeliscos, Pyramides, Arcus, & alia sepulchralia ædificia erigi curabant, Propertius *Laurum* solummodò sibi poni cupit, quæ significet Poëtam eodem in loco jacere.

36. *Unius amoris servus.*] Uni tantùm puellæ addictus ac mancipatus fuit. *Amor* autem dicitur servitium, quia inimicus est libertatis, unde & dominas suas vocant puellas amicas amatores. Ut noster Poëta Eleg. 5. Lib. 1.

Tùm grave servitium nostra cogere puella
Discere. ———

Uni potiò Cynthiæ se fuisse addictum profitetur Propert. ut suprà vidimus,

Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

38. *Phtii busta cruenta viri.*] *Phtius vir* dicitur Achilles, quia ipsi *Phtia* patria fuit. Horat. Lib. 4. Od. 6.

——— *Et Troja prope victor alta*
Phtius Achilles. ———

Dicitur potiò tumulus Achillis *cruentus*, utpotè qui fuit Polyxenæ ad eumdem mactatæ sanguine respersus. Catull. in nuptiis Pelei & Thetidis.

Alta Polyxenâ madefient cæde sepulchra.

39. *Quando venies ad fata.*] Quò omnibus veniendum est, nullus enim, qui semel vitam est ingressus mortem evitabit.

40. *Ad lapides memores.*] Ad monumentum meum tui non oblitum. semper enim manes mei tui recordabuntur, ut Eleg 19. Libri primi.

Non adeò leniter nostris puer hæsit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet.

Vel *lapides memores* tumulus dicitur, quia nempè titulus versibus inscriptus in memoriam revocabit Cynthiæ amicum ipsius Propertium, ut dixit suprà;

Et duo sint versus &c.

Interea cave, sis nos aspernata sepultos,
Non nihil ad verum conscia terra sapit.
Atque utinam, primis animam me ponere cunis
Jussisset quævis de tribus una soror.
Nam quid tam dubiæ servetur spiritus horæ?
Nestoris est visus post tria sæcla cinis.
Si tam longævæ minuisset fata senectæ
Gallicus Iliacis miles in aggeribus;
Non ille Antilochi vidisset corpus humati,
Diceret aut, ô mors, cur mihi sera venis?
Tu tamen, amisso, nonnunquam flebis, amico.
Fas est præteritos semper amare viros.
Testis, qui niveum quondam percussit Adonem
Venantem Idalio vertice durus aper.

INTERPRETATIO

Interim vide, ne nos mortuos contemnas, aut derideas; humus enim ipsa Manes sentiens intelligit etiam id quod justum est. O quàm vellem, ut aliqua de tribus sororibus animum me reddere coegisset in primis cunabulis. Quorsum enim vita hora adeò incerta retineatur? Post trecentos annos Nestoris etiam conspectum est funus. Si verò miles Gallicus contraxisset tam diuturnæ vitæ Nestoris *cursum in aggeribus Iliacis, ille non spectavisset cadaver Antilochi, neque etiam dixisset, ô letum, quare adeò mihi tardum ades? Tu nihilominus interdum, adempto amico tuo, licet* sis ferrea, *lugebis. Justum enim & pium est mortuos homines perpetuò diligere. Testis est sævus aper qui candidum Adonidem in Idalio monte feras sectantem occidit.*

ANNOTATIONES.

42. *Conscia terra sapit.*] Ipsi etiam telluri, quæ manes defunctorum & reliquias continet sensus est, ac rectè intelligit quænam sint justorum, seu funerum jura.

44. *De tribus una soror.*] Parcæ tres sunt, quæ dicuntur sorores, quæque mortalium omnium vitæ stamina dicuntur ducere, aut secare, ut libet. Dicuntur etiam Fata; unde illud, *Fata sinunt, Fata vetant.*

46. *Nestoris est visus cinis.*] Tandem post trecentos annos mortem obiit Nestor, & crematus est, in cineremque redactus.

48 *Gallicus Iliacis miles.*] *Gallicus* est Trojanus, ut sensus sit: si miles Trojanus vitam ac fata Nestoris contraxisset ipsum interimendo, dum Troja oppugnaretur à Græcis, non ille vidisset Antilochi filii sui rogum &c Trojanus porrò *miles* seu Phrygius dicitur *Gallicus*, vel à Gallo Phrygiæ fluvio Trojæ vicino; vel à *Gallis*, qui quondam in Asiam transivère, sedesque ibidem fixère; sed sanè nonnisi diu post ætatem Nestoris Asiam Galli occupaverunt.

49. *Antilochi.*] *Antilochum* filium habuit Nestor, cujus mortem in bello Trojano ægerrimè tulit, unde etiam præ nimio dolore vitam sibi longiorem esse conquestus est.

53. *Percussit Adonem.*] Fulmineo dente vulnus gravissimum in femore inflixit aper *Adonidi*, cujus fabula pluribus verbis scripta est ab Ovid. Lib. 10. Metamorphos. *Adonis* autem Myrrhæ filius fuit, Veneris deliciæ, quem Aper venantem occidit, cujus mortem vehementer doluit Venus, ejusque cruorem mutavit in florem, quem nominant *Adonium*, quique æstate seritur.

Illis formoſum laviſſe paludibus , illuc
Diceris effuſâ , tu Venus , iſſe comâ.
Sed fruſtrà mutos revocabis , Cynthia , manes ;
Nam mea quid poterunt oſſa minuta loqui.

INTERPRETATIO.

O Venus , tu diceris pulchrum juvenem *illis paludibus abluiſſe , paſſiſque ac ſolutis capillis illuc acceſſiſſe. At verò incaſſum ,* ô Cynthia, *mutos manes clamore tuo ad vitam reducere conaberis ! Quid enim oſſa mea in cinerem redacta, ac tenuis umbra valebunt reſpondere ?*

ANNOTATIONES.

54. *Idalio vertice.*] *Idalium* oppidum eſt, & mons , & nemus Veneri ſacrum in Inſula Cypro, ubi Venus præcipuè celebratur.

56. *Diceris effuſâ tu Venus iſſe comâ.*] Adonidis corpus à Venere fuiſſe unctum , & ab Amoribus lotum finxit Moſchus ; ipſum verò laviſſe Venerem, effuſiſque & ſolutis crinibus ploraviſſe noſter teſtatur Propertius, cui concinit illud Ovidii Lib. 1. de Arte amandi.
——— *Veneri ploratus Adonis.*

ELEGIA XIV.

LÆTATUR PROPERTIUS potitus Amicâ.

NON ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est,
    Quum caderent magnæ Laomedontis opes;
Nec sic errore exacto lætatus Ulysses
    Quum tetigit caræ littora Dulichiæ.
Nec sic Electra salvum quum aspexit Oresten,
    Cujus falsa tenens fleverat ossa soror.

INTERPRETATIO.

HAUD est adeò lætatus Atrides Dardaniâ victoriâ, quando superbum Laomedontis regnum evertebatur; neque tam gavisus est Ulysses, quando confectis peregrinationibus suis dilecta sibi Dulichia oras attigit; neque tam exultavit Electra, quando Oresten incolumem sospitemque conspexit, cujus ossa ficta tenens soror ploraverat;

ANNOTATIONES.

1. *NOn ita Dardanio.*] Gaudia cum amica sua collecta gaudiis omnium, qui unquam verum, sincerum, ac intimum gaudium aliquando gavisi sunt, anteponit.

Dardanio.] Trojano, quia *Troja Dardanus auctor.*

Atrida.] Uter? Duo namque fuerunt Atridæ, Agamemnon nimirùm, major, & Menelaus, minor. Sed videtur intelligi Agamemnon, qui ut rex regum bello Trojano præfuit, quamvis illud ob Menelai causam, cujus uxorem Helenam Paris rapuerat, susceptum fuerit.

2. *Laomedontis opes*] *Laomedon* filius Ili rex Trojanorum fuit & quasi conditor, qui de Trojanæ urbis mœnibus extruendis cogitans Apollini Neptunoque pactus est mercedem, quam se juravit ipsis daturum, si id negotii strenuè confecissent, verùm absolutis mœnibus, juramenti immemor pretium promissum noluit dare, Deosque fraudavit; quamobrem ipsi calamitatibus innumeris urbem Trojam affecerunt. Unde Virgil.

Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ.

3. *Errore exacto lætatus Ulysses.*] Erroribus diuturnisque & longinquis peregrinationibus insignis Ulysses, de quibus Homerus viginti-quatuor Odyss. Libros scripsit.

4 *Caræ Dulichiæ.*] Ulysses non tam gavisus est cum finitis erroribus reversus in patriam est, quantùm amicæ consortio lætatus est Propertius. *Dulichia* porrò insula est maris Jonii, non procul ab Ithaca Ulyssis patria, cujus fumum videre tandiu exoptavit, tantus est amor hominum in patriam suam. Ovid.

Haud dubia est Ithaci, sed tamen optat
Fumum de patriis posse videre focis.

5. *Nec sic Electra.*] *Electra* filia fuit Agamemnonis & Clytemnestræ, quæ cùm patrem Agamemnonem ab Ægistho, adjuvante etiam Clytemnestrâ, occisum videret, metuens, ne etiam ab eodem Ægistho frater Orestes occideretur, ipsum in Phocidem ablegavit; ut tandem aliquando vir factus patris mortem ulcisceretur. *Electra* verò decepta falsis rumoribus de morte Orestis, quem in Pythicis certaminibus occubuisse mentiebantur, simulatos etiam in urna fratris defuncti cineres comploraverat: cùm tandem post annos viginti frater Orestes ad *Electram* Argos reversus sorori sese aperit, quam summâ lætitiâ inopino reditu afficit, ac simul ambo necem Agamemnonis patris ulciscuntur, Ægistumque & Clytemnestram interficiunt.

Nec sic incolumem Minoïs Thesea vidit,
Dædaleum lino quum duce rexit iter :
Quanta ego præteritâ collegi gaudia nocte ;
Immortalis ero , si altera talis erit.

* * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * * *

Hæc mihi devictis potior victoria Parthis.
Hæc spolia , hæc reges , hæc mihi currus erunt.

INTERPRETATIO.

neque tanto cum gaudio Minois Theseum suum *salvum aspexit , quando viam Dædaleam filo lineo direxit : quantam ego superiori nocte percepi lætitiam : ego fiam immortalis , si mihi nox altera similis aderit.* * * *

* *

Ista mihi victoria plus videtur facienda , quàm si Parthos domuissem. Ista puella mihi præda , ista mihi reges devicti , ista mihi currus triumphalis erit.

ANNOTATIONES.

7. *Minois Thesea vidit.*] Ariadne nimirùm *Minois* regis Cretæ filia , quæ tanto amore Theseum deperiit , ut relictis parentibus & patriâ, eum Athenas navigantem secuta sit.

8. *Dædaleum iter.*] Viam labyrinthi à Dædalo constructi flexuosis anfractibus inextricabilem , ducente filo ab Ariadna dato , facilem reperit & rectam Theseus, ut vidimus apud Catullum in nuptiis Pelei.

Errabunda regens tenui vestigia filo.

23. *Devictis victoria Parthis.*] *Parthi* populi fuerunt Asiæ bellicosissimi , qui vel fugientes hostibus plurimùm detrimenti afferebant. Hi fuerunt olim Romani nominis hostes infensissimi , qui Crassum insidiis circumventum cum exercitu validissimo ad unum oppresserunt. De his primus Romanorum triumphavit Ventidius, sub idem ferè tempus , quo hæc Propertius scribebat; ad cujus victoriam forsassis alludit. Ad mentem Propertii ferè est illud Ovidii Lib. 2. Amor. Eleg. 12.

Hæc est præcipue victoria digna triumpho,
In qua quæcumque est , sanguine præda caret.

Magna

Magna ego dona tuâ figam, Cytherea, columnâ,
Taleque sub nostro munere carmen erit.
Has pono ante tuam tibi, Diva, Propertius ædem
Exuvias totâ nocte receptus amans.
* * * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * * *

INTERPRETATIO.

O Cytherea, ego ingentia munera columnis tuis appendam; & subter donis meis hic Versus scribetur. O Dea, iste tibi ego Propertius amator integrâ nocte benè exceptus offero spolia apud tua templa. * * * * * * * * * * *

ANNOTATIONES.

25. *Dona tuâ figam, Cytherea, columnâ.*] *Cytherea* Venus est, ad quam sermonem advertit; in cujus templo, triumphantium ritu, vult suspendere spolia. Diis porrò *donaria columnis* templorum appendebantur aut figebantur. Virgil. Lib. 12 Æneid.

—— *Ubi figere dona solebant*
Laurenti divo, & votas suspendere vestes, &c.

* * * * *

* * * *

Errat, qui finem vesani quærit amoris;
  Verus amor nullum novit habere modum.
Terra priùs falso partu deludet arantes,
  Et citiùs nigros Sol agitabit equos,
Fluminaque ad caput incipient revocare liquores,
  Aridus & sicco gurgite piscis erit,
Quàm possim nostros alio transferre calores:
  Hujus ero vivus, mortuus hujus ero.

* * * * *

* T * *

Qualem si cuncti vellent decurrere vitam,
  Et pressi multo membra jacere mero;

INTERPRETATIO.

* * * * *

* * * *

Fallitur qui modum amoris insani facere cupit; verus & sincerus amor nullum modum ac finem habere potest. Tellus agricolas potiùs fætu mendaci frustrabitur, ac potiùs atros equos sol aget, & fluvii priùs ad fontes aquas reducere instituent, priusque pisces arescent in mari exsiccato, quàm meos queam amores ad aliam puellam convertere: istius Cynthiæ *meæ ero, dum vivam, istius etiam ero vitâ defunctus* *

Si hujusmodi vitæ rationem vellent omnes instituere & vino multo onerati corpus somno reficere; * *

* * * * *

* * * *

ANNOTATIONES.

30. *Verus amor.*] Idem dixit Lib. 1. Eleg. 19.

Trajicit & fati littora magnus amor.

Ibidem.

Non satis est ullo tempore longus amor

31. *Terra prius.*] Spem Agricolarum fallet, editis pro semente dissimilibus rebus, & forsan zizaniis & lolio,

Pro molli viola, pro purpureo narcisso
Carduus, & spinis surgat paliurus acutis,
Infelix lolium, & steriles dominentur avenæ.

Ac ut ait Ovid. Lib. 3. Amor. Eleg. 9.

Irrita decepti vota colentis erunt.

33. *Ad caput incipient revocare.*] *Caput* aquæ locus est, ex quo nascitur, unde si ex fonte nascatur, fons est *caput* &c. Vide Ulpian. L. 1. 5. caput aquæ

Horat. Lib. 1. Od. 29.

——— Quis neget arduis
Pronos relabi posse rivos
Montibus, & Tiberim reverti.

Ovid. Epistol. Oenones.

Cum Paris Oenone poterit spirare relictâ,

Non ferrum crudele esset, neque bellica navis,
Nec nostra Actiacum verteret ossa mare.
Nec toties propriis circum oppugnata triumphis
Lassa foret crines solvere Roma suos.
Hæc certè meritò poterunt laudare minores,
Læserunt nullos pocula nostra Deos.
Tu modò, dum licet, hunc fructum ne desere vitæ;
Omnia si dederis oscula, pauca dabis.
Ac veluti folia arentes liquêre corollas,
Quæ passim calathis strata natare vides;
Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,
Forsitan includet crastina fata dies.

INTERPRETATIO.

non esset noxius ferri usus, neque esset navis ad bellum instructa, neque Actiacum æquor corpora nostra huc illuc volveret; neque tam sæpè propriis triumphis lacessita Roma suos capillos effundere & lacerare suos lugendo Cives *fatigaretur. Ista equidem & jure posteri laudare poterunt. Nostri verò calices nulla violarunt Numina. Tu nunc, ô* Cynthia, *donec fas est, istius vitæ fructum ne sperne, aut omitte; pauca basia feres, omnia si tuleris. Et quemadmodum frondes, quas undequaque quasillis sparsas cernis discurrere serta siccata deseruêre; ita forsan nobis, qui jam amore ardentes spem ingentem concipimus, crastina lux ultimam claudet horam.*

ANNOTATIONES.

Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.

41. *Actiacum mare.*] Quod nempe promontorium *Actium* in mare Jonium promineus allabitur, unde mare *Actium* pars est maris Jonii. Alludit autem ad pugnam *Actiacam* Antonium inter & Cæsarem Augustum, qui multi Romani tùm telis hostium, tùm naufragio perierunt, qui undas maris pro sepulchris habuerunt.

45. *Propriis oppugnata triumphis*] Bellis civilibus oppressa, quando nempe Romani potentiores conversi sunt in proprios suos Cives, quasi in propria viscera, tunc Roma dicitur triumphis propriis oppugnata, ad propriam scilicet ruinam.

Horat, Lib. Epod. Od. 16.

Altera jam teritur bellis civilibus ætas,
Suis & ipsa Roma viribus ruit.

48. *Læserunt nullos pocula nostra Deos.*] Nulla offendimus in conviviis nostris Numina perjuriis, aut impiis verbis. Tibullus Eleg. 1. Lib. 3

Non dicta in sanctos impia verba Deos.

54. *Includet crastina fata dies.*] Quæ includuntur, non sinuntur ultra progredi. Eodem ferè sensu Propert. Lib. 3. Eleg. 18.

Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.

ELEGIA XVI.

AD CYNTHIAM.

PRÆTOR ab Illyricis venit modò, Cynthia, terris,
Maxima præda tibi, maxima cura mihi.
Non potuit saxo vitam posuisse Cerauno;
Ah, Neptune, tibi qualia dona darem!
Nunc sine me plenâ fiunt convivia mensâ;
Nunc sine me totâ janua nocte patet.
Quare si sapis, oblatas ne desere messes,
Et stolidum pleno vellere carpe pecus.
Deinde ubi consumpto restabit munere pauper;
Dic alias iterùm naviget Illyrias.
Cynthia non sequitur fasces, nec curat honores;
Semper amatorum ponderat illa sinus.

INTERPRETATIO.

O Cynthia, nuper Prætor ab Illyricis regionibus rediit Romam, *tibi quidem maxima præda, mihi verò maxima sollicitudo.* Tam durus est, *ut saxo Ceraunio lucem amittere nequiverit; heu ô Neptune, quanta tibi munera offerrem,* si hoc evenisset! *Iam modò absque me lautâ & splendenti mensâ convivia apparantur sumptuosa; Iam absque me tuæ fores noctibus integris apertæ sunt. Quamobrem, si sapis,* ô Cynthia *oblatas messes ne rejice, aut sperne, stultumque eundem copioso vellere attonde: cùm verò postrà, absumptis opibus, remonstret vacuus, jube, ut rursùs alias nave repetat Illyrias. Cynthia non sectatur fasces, neque tangitur honoribus; sed semper ipsa crumenam amatorum explorat, an gravis sit.*

ANNOTATIONES.

1. *PRætor ab Illyricis.*] Elegiam hanc indignabundus Poëta scripsit in Cynthiam, quæ sese, suosque amores Prætori diviti, & opulento ex Illyrico venienti accommodaverat, idemque excusus dolet Cynthiam pecunias solùm spectare, divitiasque tantùm sectari instar puellarum, quarum pudicitia venalis & emptitia est.

Illyricum. Regio fuit ad oram maris Adriatici, Italiæ opposita, cujus fines ab aliis ampliores, ab aliis angustiores circumscribuntur. Pomponius Mela totum maris Adriatici tractum à Tergesto ad Ceraunios usque montes Illyrico attribuit, Danubiumque inter ejus fluvios numerat.

Saxo Cerauno.] *Cerauni* montes seu *Ceraunii*, qui & Acroceraunii dicuntur, in Epiro sunt ad Ionium usque mare protensi, à fulminibus, quibus frequentissimè feriuntur, sic vocati. Ovid Lib. 2. de Ponto Eleg. 6.

Cum poteram recto transire Ceraunia velo,
Ut fera vitarem saxa monendus eram.

Horat. Lib. 1. Od. 5.

Qui vidit mare turgidum, &
Infames scopulos Acroceraunia.

11. *Cynthia non sequitur fasces*] Quia Prætori adhæsit, lepide non esse ambitiosa, sed avara dicitur; non enim Imperii insignia sectatur, Prætorisque fasces, sed ejus tantùm crumenam, quâ exhaustâ, ipsum relinquet, sicut reliquit & Poëtam. Rapacis & avaræ mulieris ingenium apprimè noverat Propertius.

12. *Amatorum ponderat illa sinus.*]

At tu nunc nostro, Venus ô succurre dolori,
Rumpat ut assiduis membra libidinibus.
Ergo muneribus quivis mercatur amicam?
Jupiter, indigna merce puella perit.
Semper in Oceanum mittit me quærere gemmas,
Et jubet ex ipsa tollere dona Tyro.
Atque utinam Romæ nemo esset dives, & ipse
Graminea posset dux habitare casâ.
Nunquam venales essent ad munus amicæ,
Atque una fieret cana puella domo.
Non quia septenas noctes sejuncta cubaris,
Candida tam fœdo brachia fusa viro:
Non quia peccaris, testor te, sed quia vulgo
Formosis levitas semper amica fuit.

* * * *
* * * *

INTERPRETATIO.

Tu vero, ò Venus meo malo fer opem, oro, ut continuis suis libidinibus corpus elidat. Donis igitur & pretio quilibet amicam emere nunc potest? O Juppiter, turpi ac infami merce de puella perditur! Perpetuo me lapillos & uniones in Oceanum, ire me sibi jubet expiscatum, muneraque ex ipsa sibi Tyro afferre me præcipit: & utinam nullus Romæ esset opulentus, ac ipse Imperator in tugurio stramine tecto habitaret; nusquam tunc puella donis forent venalitia, nec emptitia, sed in eadem domo fœmina senesceret. Nec ideo te increpo, quod septem noctibus succubueris, circumfusis tua hiis amplectens tam turpem & spurcum hominem; nec quod peccaveris; verùm quod plerumque pulcris puellis *inconstantia perpetuò placuerit*, fueritque grata mutatio.

* * * *
* * * *

ANNOTATIONES.

Ut exploret loculos, & sentiat an gravis sit *æra crumena*. Ex *sinu* enim Veteribus pendebat crumena, unde frequens mentio *sinus* in condenda pecunia.

Ovid. Lib. 1. Amot. Eleg. 10.

Quid puerum Veneris pretio prostare jubetis?
Quo pretium condat non habet ille sinum.

18. *Tollere dona Tyro.*] *Tyros* Phœniciæ civitas conchyliis, & purpura nobilis; unde afferri sibi vult à Propertio Cynthia purpureas vestes.

20. *Straminea casa.*] Erant tales Priscorum domus.

Ovid. Eleg 9. Lib. 2. Amor.

Roma nisi immensum vires promosset in orbem,
Stramineis esset nunc quoque tecta casis.

Euryalus autem Hyperbiusque fratres primi dicuntur lateritias domos ædificasse, cum ante non esset pudor *in stipula placidam cepisse quietem.*

22. *Cana puella domo.*] Hoc duplici sensu potest intelligi; vel quod senesceret puella intra eandem domum nunquam ex ea egrediens, si non essent divitiæ & opes; vel quod puellæ canescerent, efficerenturque vetulæ unico amatore contentæ, nec subinde novos quotidie quærerent.

Aſpice quid donis Eriphyla invenit amaris,
  Arſerit & quantis nupta Creuſa malis.
Nullane ſedabit noſtros injuria fletus?
  An dolor hic vitiis neſcit abeſſe ſuis?
Tot jam abiere dies, cum me nec cura theatri,
  Nec tetigit Campi, nec mea Muſa juvat.
Ah pudeat certe, pudeat: niſi forte, quod aiunt,
  Turpis amor ſurdis auribus eſſe ſolet.
Cerne ducem, modo qui fremitu complevit inani
  Actia damnatis æquora militibus.
Hunc infamis amor verſis dare terga carinis
  Juſſit, & externo quærere in orbe fugam.
Cæſaris hæc virtus, & gloria Cæſaris hæc eſt.
  Illâ quâ vicit, condidit arma manu.
Sed quaſcunque tibi veſtes, quoſcunque ſmaragdos,
  Quoſve dedit flavo lumine chryſolithos.

INTERPRETATIO.

Conſidera, ô Cynthia, *quid ſibi muneribus Eriphyle funeſtu paraverit, & quantis doloribus Creuſa nupta male perierit. An nulla meas injuria compeſcet lacrymas? An dolor iſte ſeparari non poteſt à vitiis ſuis? Tot modo dies effluxere, ex quo me neque ſtudium theatri, neque* Campi *me movit, neque etiam me mea muſa delectat. Ah pudeat, profecto pudeat, ſi non forſan, ut vulgo dicunt, ſurdis auribus eſſe conſuevit fœdus amor. Vide ducem illum, qui vano nuper terrore, damnatis militibus, replevit Actium mare. Illum amor turpis, navibus ſubverſis, fugere coëgit, ac in regione peregrina & barbara perfugium quærere. Illa hæc eſt Cæſaris virtus, illa Cæſaris eſt gloria, eâdem illâ manu, quâ ſuperavit hoſtem, arma recondidit. At utinam omnes illas veſtes, omnes ſmaragdos, & gemmas, omnes chryſolithos aureo ſplendore, quos ille tibi donavit; iſta, inquam,*

ANNOTATIONES.

29. *Donis Eriphyle invenit amaris.*] Eriphyle ſoror fuit Adraſti. & uxor Amphiarai, quæ accepto à Polynice aureo monili maritum ſuum prodidit, qui ſeſe occultaverat, ne ad bellum Trojanum proficiſci cogeretur, in quo ſeſe periturum exploratum habebat. Itaque *Eriphyle* pluris fecit illud monile, quam conjugis ſui vitam, qui in expeditione Trojana terræ hiatu abſorptus eſt. Sed hujuſmodi munus fuit *Eriphylæ* exitio ſum, nam obiit a filio Alcmæone interempta eſt.

Nupta Creuſa malis.] *Creuſa* Creontis Corinthiorum Regis filia fuit, quam Jaſon, repudiatâ Medeâ, duxit uxorem: quare indignata Medea ignem ſuis carminibus inextinguibilem cum donis nuptialibus in ſcrinio incluſum ad *Creuſam* miſit. *Creuſa* vero nihil mali ſuſpicata ſcrinium aperuit, unde continuo evolavit ignis, qui *Creuſam*, totamque Creontis regiam combuſſit. Ovid. Lib. 1. de Arte amandi

Cui non defleta eſt Ephyrea flamma
  Creuſa

Fuit & Crëuſa alia filia Priami & Hecubæ, Æneæ uxor, & mater Aſcanii, quæ periit in Trojæ excidio. Sed non de hac nunc Propertius.

37. *Cerne ducem.*] M. Antonium intelligit, cujus exemplum profert, ut oſtendat magnos etiam duces indignis & fœdis amoribus eſſe mancipatos. Antonius enim Cleopatram Ægypti Reginam efflictim deperiit, qua eâdem comite cum Auguſto Cæſare ad *Actium* ingenti prœlio decertavit, unde ſubinde fugitus cum ſua Cleopatra turpiter in Ægyptum ſe recepit.

Hæc videam rapidas in vanum ferre procellas,
Qua tibi terra, velim, qua tibi fiat aqua.
Non semper placidus perjuros ridet amantes
Juppiter, & surdâ negligit aure preces.
Vidistin' toto sonitus percurrere cœlo?
Fulminaque æthereâ desiluisse domo?
Non hæc Pleiades faciunt, neque aquosus Orion,
Nec sic de nihilo fulminis ira cadit,
Perjuras tunc ille solet punire puellas,
Deceptus quoniam flevit & ipse Deus,
Quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis:
Ut timeas, quoties nubilus Auster erit.

INTERPRETATIO.

omnia utinam aspiciam violentas tempestates in aerem & inane auferre, quæ tibi tanquam pulvis & aqua sint. Non perpetuò pacatus & facilis Juppiter pejerantes amantes ludum, jocumque putat, nec semper eorum vota surdis auribus respuit, aut aspernatur. An aspexisti fragores per totum cœlum discurrere, ac fulmina è cœlestibus repente tectis decidisse. Ista non faciunt Pleiades, nec nimbosus Orion, neque ita sine causa fulminis violentia desilit. Tùm Juppiter consuevit pœnis suppliciisque afficere fœminas infideles, ac perfidas; quandoquidem ille ipse etiam Deus ab iis delusus olim doluit. Itaque ne tam magni facias Sidonias vestes; ut inde metuas, quotiescunque nebulosus Auster flabit.

ANNOTATIONES.

46. *Qua tibi terra velim.*] Similis omnino imprecatio est apud Tibullum nostrum Lib. 1. Eleg 10.

Muneribus meus est captus puer; at Deus illa
In cinerem & liquidas munera vertat aquas.

47. *Periuros rides amantes.*] Attamen Ovidius contra mentem Propertii Lib. 1. De Arte amandi ait.

Juppiter ex alto periuria ridet amantum,
Et jubet Æolios irrita ferre notos.

Tibullus noster Eleg. 4 Lib 2.

Ne jurare times Veneris periuria venti
Irrita per terras & freta summa ferunt.

51. *Pleiades.*] Dicuntur & Latinè Vergiliæ, suntque septem stellæ inter os Tauri, caudamque Arietis positæ. De his jam supra diximus.

Aquosus Orion.] Sidus est procellosum. Unde Plin. Lib. 18. Cap. 28. *Tempestates ab horridis sideribus exeunt, ut Arcturo, Orione, Hædis &c.* Virgil. Lib. 4. Æneid.

Dum pelago desævit hyems, & aquosus Orion.

Deceptus flevit.] Aliquando etiam Juppiter delusus mulierum perfidiam conquestus est.

Sidonia vestis.] Purpurea: *Sidon* enim civitas est Phœniciæ vicina Tyro, cujus conchylium & purpura celebratur.

ELEGIA XVII.

ELEGIA XVII.

DE EXCLUSIONE.

MENTIRI noctem, promissis ducere amantem,
Hoc erit infectas sanguine habere manus.
Horum ego sum vates, quoties desertus amaras
Explevi noctes, fractus utroque toro.
Vel tu Tantaleâ moveare ad flumina sorte,
Ut liquor arenti fallat ab ore sitim:
Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
Difficile ut toto monte volutet onus:
Durius in terris nihil est quod vivat amante,
Nec, modo si sapias, quod minus esse velis.
Quem modo felicem invidia admirante ferebant,
Nunc decimo admittor vix ego quoque die.
Nunc jacere è duro corpus juvat, impia, saxo,
Sumere & in nostras trita venena manus.

INTERPRETATIO.

Noctem polliceri fidemque fallere, promissionibus vacuis amatorem lactare, istud erit fœdatas cruore manus habere; ista ego explorata habeo, qui toties exclusus à te tristes exegi noctes utrâque lecti spondâ fractus. Quamvis autem tu aut tangaris miserâ Tantali in aquis conditione, quomodo nempe *aqua ab ore ejus sicco* fugiens *sitim frustretur, vel quamvis cum stupore, nec sine miseratione consideres Sisyphias pœnas, quomodo tantum pondus integro monte volvat: Nihil tamen est quod vivat in mundo miserius amatore, neque quod minus esse cupias, si bene mentis sis compos. Iam ego ægrè admodum qualibet decima die ad amicam introducor, quem nuper, obstupescente etiam livore ipso, beatum prædicabant. Iam mihi animus est, ô perfida, me ex abrupta rupe dejicere præcipitem, aut manibus propriis mixta veneni pocula bibere.*

ANNOTATIONES.

1 *Mentiri noctem.*] Significat summum esse scelus in fœmina, delictumque parricidio simillimum, promissis non stare; nihilque esse ostendit amatore infelicius, cujus miserias Tantali tormentis, Sisyphique laboribus majores esse dicit.

4. *Fractus utroque toro.*] Per utramque lecti partem versatur, qui dormire non potest, noctemque ducit insomnem, quod accidere solet ægris, & dolentibus, atque etiam amantibus. Ut ait Ovid.

Lassaque versati corporis ossa dolent.

5. *Tantalea sorte.*] De *Tantalo* jam supra pluribus egimus. Hic torqueri dicitur in inferis perpetuâ fame & siti in mediis aquis, quibus mento tenùs immergitur, & quæ os ejus effugiunt, & in mediis pomis capiti ipsius imminentibus, quæ tamen non potest attingere.

7. *Sisyphios labores.*] De Sisypho etiam jam supra. Hic filius fuit Æoli, qui cum Atticam latrociniis infestaret, à Theseo occisus est: dicitur autem eo genere supplicii apud inferos plecti, ut ingens saxum in montis cujusdam verticem volutet, quod cum ad summum magno molimine pœne extulerit, subito deorsum relabitur.

Vide Hygin. Fab. 60. Ovid Lib. 3. Metamorph. Lucret Lib. 3.

Nunc licet in triviis ficcâ requiefcere Lunâ,
Aut per rimofas mittere verba fores.
Quod quamvis ita fit, dominam mutare cavebo;
Tum flebit, quum mi fenferit effe fidem.

INTERPRETATIO.

Iam coger in compitis aridâ lunâ jacere, vel voces immittere per rimosam puellæ meæ *januam. Quæ quamquam sic se habent, hiram tamen & amores cavebo, ne commutem: tunc enim* puella mea, *dolebit, quando mihi esse sinceram fidelitatem cognoverit.*

INTERPRETATIO

15. *Siccâ requiescere lunâ.*] In triviis pernoctare interdum solent amantes. *Sicca* porro *luna* dicitur à pluribus *luna decrescens*, quia tunc ventus magis ac fortius spirare solet.
Horat. lib. 1. Od. 25.

Thracio bacchante magis sub interlunia vento.

Plin. Lib. 17. cap. 9. *Quæcumque tempore facere, curandum ut ab occasu æquinoctiali flante vento fiat, lunâque decrescente ac siccâ.*

ELEGIA XVIII.

AD CYNTHIAM.

ASSIDUÆ multis odium peperere querelæ.
  Frangitur in tacito fœmina sæpe viro.
Si quid vidisti, semper vidisse negato,
  Aut si quid doluit forte, dolere nega.
Quid si jam canis ætas mea candeat annis?
  Et faceret scissas languida ruga genas?
At non Tithoni spernens Aurora senectam
  Desertum Eoâ passa jacere domo est.
Illum sæpe suis decedens fovit in ulnis,
  Quam prius adjunctos sedula lavit equos.
Illum ad vicinos cum amplexa quiesceret Indos,
  Maturos iterum est questa redire dies.

INTERPRETATIO

Continua plurimis odium querimonia pararunt: sæpius enim in taciturno, omniaque patiente homine puella vincitur. Si vero tu conspexeris aliquid, dic perpetuo te non id conspexisse, vel si forsan aliquid tibi molestum fuit, illud tibi dic non fuisse molestum. Quid si mea ætas jam præ senio canescat? At flaccida ruga proscindat faciem meam? Sed neque Aurora aspernata Tithoni senectutem permisit ipsum solû in Eoa domo dormire. Hæc ipsum frequenter abire parata sua inter brachia calefecit, antequam festinãs equos suos dejunctos ablueret. Cum ipsum complectens apud Indos proximos requiesceret, sæpe doluit citiùs celeres rursùm oriri dies.

ANNOTATIONES.

1. *Assidua querelæ.*] Illum hominem amatorem dicit fore amicæ gratiosiorem, qui plurima dissimulando tacebit, neque sæpius de perfidia, levitate, & inconstantia muliebri conqueretur, cum multos amantes hujusmodi querelarum genera effecerint odiosos, & invisos.

2. *Frangitur.*] Deponit iram ac placatur, fitque mansuetior fœmina quando vir non est jurgiosus, nec assiduè querulus, sed multa dissimulat. Ut vidimus supra Eleg. 5. hujus libri.

Omne in amore malum, si patiare, leve est.

7. *Tithoni spernens Aurora senectam.*] Exemplo Tithoni, quem licet senem *Aurora* adamavit, ostendit senes non esse contemnendos, nec abjiciendos. *Tithonus* autem filius fuit Laomedontis Troianorum Regis, qui ab Aurora dicitur adamatus, raptusque ob formæ præstantiam, curruque devectus in Æthiopiam, ubi Memnonem ex ea genuit. Hujus fabulæ meminit. Ovid. Lib. 9. Metamorph. tu videsis.

8. *Eoa jacere domo.*] In Orientali regia, *Eous* enim idem est ac Orientalis, ut dictum est sæpius.

10. *Lavit equos.*] Equi tribuuntur Auroræ atque etiam currus, dicitur autem vehi modo bigis, modo quadrigis. Virgil. 6. Æneid.

Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis
Jam mediam æthereo cursu trajecerat orbem.

Idem Lib. 7. Æneid. ——— *& æthere ab alto*
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

11. *Ad vicinos quiesceret Indos.*] Apud Indos in extremo Oriente positos fingitur requiescere, ac regiam habere Auroræ, quia solem ac diem præveniens semper inde exoritur.

Illa Deos currum conſcendens dixit iniquos,
  Invitum & terris præſtitit officium:
Cum majora ſenis Tithoni gaudia vivi,
  Quam gravis amiſſo Memnone luctus erat.
Cum ſene non puduit talem dormire puellam,
  Et canæ toties oſcula ferre comæ.
At tu etiam juvenem odiſti me perfida, cum ſis
  Ipſa anus haud longâ curva futura die.
Quin ego diminuo curam, quod ſæpe Cupido
  Huic malus eſſe ſolet, cui bonus ante fuit.
Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
  Ludis & externo tincta nitore caput.
Ut natura dedit, ſic omnis recta figura;
  Turpis Romano Belgicus ore color.

INTERPRETATIO.

Ipſa ſæpe currum ſuum aſcendens Deorum iniquitatem conqueſta eſt, ac invita mundo ſuum exhibuit miniſterium: ipſique vetuli Tithoni viventis deliciæ & amores longè fuerunt jucundiores, quam fuit acerbus dolor de Memnone extincto. Cum vetulo tam formoſam Deam requieſcere non puduit, ac toties baſia dare ſenili capiti. Tu vero, ô crudelis, me etiam juvenem non amas, quamvis ipſa mox curvata vetula ſis futura. Imo etiam ego ægritudinem meam levo, quod frequenter Cupido contrarius eſſe ſolet ipſi, cui prius fuerat propitius. Modo etiam pictos, ô inſana, æmularis Britannos, peregrinoque colore, & fuco caput habens infectum hominibus illudis: ſed omnis forma honeſta eſt & pulcra, quæ nativa eſt *& à natura conceſſa: color Belgicus Romanam faciem non decet.*

ANNOTATIONES.

16. *Amiſſo Memnone.*] *Memnon* filius fuit Auroræ & Tithoni, qui maxima cum Orientalium populorum copia in auxilium venit Priamo, dum Troia ab Græcis oppugnaretur, eumque in bello fuiſſet occiſus; ejus mortem ſummo luctu & dolore proſecuta eſt mater Aurora.

17. *Cum ſene non puduit.*] Turpis eſt ac pudendus ſenis amor.
Ovidius.

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.

Idem quoque Tibullus.

Iam ſubrepet iners ætas, nec amare decebit.

20. *Anus curva futura.*] Senectus enim incurvat, corpuſque inflectit. Unde Plauti locus in Curcul. Act 1. Sc. 2. de vetula anu annis & ſenio curvata & bibente. *Bibit arcus; pluet, credo, hodie.*

21. *Diminuo curam.*] Iſta duo Poëtam noſtrum ſolantur, quod nempe Cynthia brevi futura ſit anus, unde pœnas dabit; & quod ſint ſæpius in Amore vices & mutationes, quibus viciſſim faſtus & ſuperbia Cynthiæ punientur.

23. *Infectos imitare Britannos.*] *Britanni* populi ſunt *Britanniæ* inſulæ, quæ & Albion dicta eſt, qui ſibi faciem cæruleo colore pingebant; ut teſtatur Cæſar Lib. 5. de bello Gallico.

Omnes ſe Britanni glaſto inficiunt, quod cæruleum efficit colorem.

26. *Belgicus ore color.*] *Color Belgicus*, Britannicus eſt, ſeu Cæruleus ille fucus, quo ſe pingebant Britanni. *Belgas* autem poſuit pro Britannis ob viciniam.

Illi sub terris fiant mala multa puellæ,
   Quæ mentita suas vertit inepta comas.
De me, mi certe poteris formosa videri;
   Mi formosa satis, si modo sæpe venis.
An si cæruleo quædam sua tempora fuco
   Tinxerit, idcirco cærula forma bona est?
Quum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus:
   Frater ego, & tibi sim filius unus ego.
Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus,
   Nec nimis ornatâ fronte sedere velis.
Credam ego narranti, noli committere, famæ;
   Et terram rumor transilit, & maria.

INTERPRETATIO.

Illi fœmina apud inferos multa irrogentur supplicia, quæ suos crines mentita fuco & arte demens mutavit. Quantum ad me attinet, mihi profecto pulcra videri poteris: mihi nempe *sat pulchra eris, dummodo ad me sæpius ventites. Numquid ideo color cæruleus pulcher est, omnibusque probandus, si aliqua fœmina comas aut faciem cæruleo pigmento infecerit? Quandoquidem vero neque habes fratrem, neque ullos liberos, ego solus tib sim & frater & filius. Ipse tuus torus perpetuo tibi sit tutela, neque nimium compto vultu cupias apparere. Cave, ne tua culpâ facias, ut ego fidem adhibeam famæ garrulæ; fama namque terras ac maria percurrit, ac trajicit.*

ANNOTATIONES.

35. *Sit custodia lectus.*] *Lectus* hoc in loco sumitur pro fide lecto conjugioque promissa. Ut supra; *felix lectus Ulyssis*, pro conjugio.

ELEGIA XIX.

AD CYNTHIAM.

ETSI me invito discedis, Cinthia Roma,
Lætor, quod sine me devia rura colis.
Nullus erit castis juvenis corruptor in agris,
Qui te blanditiis non sinat esse probam.
Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras,
Nec tibi clamatæ somnus amarus erit.
Sola eris, & solos spectabis, Cynthia, montes;
Et pecus, & fines pauperis agricolæ.
Illic te nulli poterunt corrumpere ludi:
Fanaque peccatis plurima causa tuis,
Illic assiduè tauros spectabis arantes,
Et vitem doctâ ponere falce comas.

INTERPRETATIO.

O Mea Cynthia, quamquam me reluctante Romam relinquis, gaudeo tamen quod absque me in agros desertos te confers. Nemo enim juvenis corruptor erit pudico ruri, qui te suis illecebris non patiatur esse castam; nec ullum ante tuas fenestras excitabitur jurgium, nec tibi sæpius cum clamore vocatæ sopor erit inquietus, aut inter turbatus. O Cynthia, tu solitaria eris, desertosque & incultos montes tantum conspicies, ac greges, ac terminos inopis coloni. Ibi nulla te poterunt corrumpere spectacula, neque templa, quæ tuis libidinibus fuerunt occasio frequentissima. Ibidem perpetuo cernes boves terram exercentes, vineamque peritâ falculâ summitatem deponere.

ANNOTATIONES.

1. *ET si me invito*] Lætatur quod relictâ urbe rus secedat Cynthia, cujus consuetudine licet non fruatur, gaudet tamen eam in agris non posse ab insidiatoribus alienæ pudicitiæ corrumpi. Cupit tandem Poëta noster cum sua Cynthia rusticari.

2. *Devia rura.*] *Devia* dicuntur, quæ sunt à via remota, & solitarii.

5. *Nulla nec ante tuas fenestras.*] Duæ negationes pro una, ut apud Virgil. Eclog. 5. ———

——— *Nulla neque amnem*
Libavis quadrupes. ———

9. *Ludi.*] Theatra, Circus, spectacula, unde libidinum innumeræ occasiones, & corruptelæ puellarum. Ovid. de arte Amandi Lib. 1.

Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsæ.
Ille locus casti damna pudoris habet.

10. *Fanaque peccatis.*] Templa erant plurimis olim, sicut etiam sæpius nunc accidit, nequitiæ occasio, cauponæ, & diversoria, juxta illud Satyr.

——— *Nam quo non prostat fœmina templo.*

Lætatus igitur Propertius quod nulla templa ruri poterunt Cynthiam corrumpere, quæ Romæ illius pudicitiæ maxime nocebant.

Atque ibi rara feres inculro thura facello,
Hœdus ubi agreſtes corruet ante focos.
Protinus & nudà choreas imitabere ſurâ,
Omnia ab exrerno ſint modo tuta viro.
Ipſe ego venabor. Jam nunc me ſacra Dianæ
Suſcipere, & Veneri ponere vota juvat.
Incipiam captare feras, & reddere pinu
Cornua, & audaces ipſe monere canes.
Non tamen ut vaſtos auſim tentare leones,
Aut celer agreſtes comminus ire ſues.
Hæc igitur mihi ſit lepores audacia molles
Excipere, & ſtricto figere avem calamo:
Qua formoſa ſuo Clitumnus flumina luco
Integit, & niveos abluit unda boves.
Tu quories aliquid conabere, vita, memento
Venrurum paucis me tibi luciferis.

INTERPRETATIO.

Illic etiam exigua thura delubris aggreſtibus offeres, ubi caper ad aras ruſticas mactabitur. Aliquando etiam nudato poplite choreas Nympharum *æmulaberis: tantummodo à peregrino homine cuncta ſint ſecura. Ego vero ipſe venabor: modo enim ſine mora mihi animus eſt ſacrificia Dianæ facere, ac vota Veneri offerre. Immanes belluas capere ego inſtituam, ac pinui ſolvere cornua, animoſoſque canes incitare in feras. Nec ita attamen ut magnos audeam aggredi leones, vel agilis feros porcos propius figere. En ergo mihi ſit audacia lepores imbelles adoriri, volucreſque excuſſo calamo captare, iis ſcilicet in partibus in quibus Clitumnus amœnas aquas ſaltu ſuo prætexit, ſuoque fluvio tauros albos lavat. O mea lux, quotieſcumque rem aliquam aggredieris, recordare me intra paucos dies ad te adventurum.*

ANNOTATIONES.

13. *Inculto ſacello.*] *Sacellum*, locus eſt parvus, Deo conſecratus cum arâ, quaſi ſacra cella. Unuſquiſque autem in præſidio ſuo *ſacellum* quoddam Deo, aut Deæ cuidam ſacrum habebat. Ut teſtatur Cenſorin. de die Natal.

19. *Reddere pinu cornua.*] Cervorum, aliarumque ferarum *cornua* arboribus à venaroribus affigebantur; ut teſtatur Apuleius Florid. Lib. 1. *Aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus redimita.* Catullus.

Cornigeram ſudanti cortice pinum.

24. *Figere avem calamo.*] Aucupatorios calamos ſignificat, quibus viſcatis capiuntur aves. Alii putanr intelligi de ſagitta ab arcu excuſſa, qua figebantur aves.

25. *Clitumnus.*] Fluvius eſt agri Mevanienſis Propertii Patriæ in Umbria, cujus aqua pota boves candidos efficit. Servius in Lib. 2. Georgic. Silvius etiam.

Et lavat ingentem perfundens flumine ſacro
Clitumnus taurum.

De fonte porro *Clitumni* jam diximus ſupra pluribus. Videſis Plin. Lib. 8. Epiſtol. 8. ad Romanum.

28 *Paucis Luciferis.*] Soles & *Luciferi* pro diebus ſumuntur. Ovid Lib. 2. Faſtor.

Quintus ab æquoreis nitidum jubar extulit undis
Lucifer. ———

Itemque ibidem.

Nec tamen hoc ultra quam quot de menſa ſuperſunt
Luciferi.

Sic me nec solæ poterunt avertere silvæ,
Nec vaga muscosis flumina fusa jugis:
Quin ego in assidua mutem tua nomina lingua;
Absenti nemo non nocuisse velit.

INTERPRETATIO.

Itaque neque deserta nemora, neque fluvii è muscosis collibus effusi prohibere me poterunt, quominus ego nomen tuum habeam in continuo sermone: Absenti namque omnes cupiunt obesse.

ELEGIA XX.

ELEGIA XX.

AD CYNTHIAM.

QUID fles abductâ gravius Briseide? quid fles
  Anxia captivâ tristius Andromachâ?
Quidve mea de fraude Deos, vesana, fatigas?
  Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?
Non tam nocturnâ volucris funesta querelâ
  Attica Cecropiis obstrepit in foliis.
Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
  Sollicito lacrymas depluit à Sipylo.

INTERPRETATIO.

CUr luges vehementius quam Briseis captiva? Cur, inquam, acerbius doles, ac lamentaris mœstior Andromache in Graciam abductâ? Aut cur, ô demens, propter meam infidelitatem divos querelis tuis obtundis? Cur doles meam omnino fidelitatem periisse? Haud adeo Attica avis infausta querulo clamore, quem noctu edit exululat in arboribus Cecropiis. Neque Niobe arrogans fl·nde ad duodecim liberorum suerum tumulos tam magnam lacrymarum vim effudit ab anxio Sipylo.

ANNOTATIONES.

1. *QUid fles.*] Suam Poëta solatur Cynthiam, quæ sese ab ipso relictam putans vehementer angebatur, significatque eidem se fore semper in amore constantissimum, suamque fidem nunquam ipsi defuturam.

Abductâ gravius Briseide.] *Briseis* filia fuit *Brisa*, quam Lyrnesso urbe captâ ac eversâ captivam Achilles abduxit, vehementerque propter insignem corporis formam adamavit; quæ postea cum fuisset ab Agamemnone Achilli surrepta, multum doluit, Achillemque suum lugens in lacrymas & ejulatus effusa est; ut videre est apud Ovid. Epistol. Briseid. ad Achillem.

Hei mihi discedens oscula nulla dedi.
At lacrymas sine fine dedi, rupique capillos:
Infelix iterum sum mihi visa rapi.

2. *Andromacha.*] *Andromache* fuit uxor Hectoris, quam post Troiæ excidium Pyrrhus Achillis filius captivam uxoremque duxit, ex eaque Molossum suscepit; hæc autem captivitatem indignissime tulit, unde Poëtæ omnes eam inducunt valde querulam. Homer. Iliad. Lib. 22. & 24. Euripid. in Andromacha. Ovid. Eleg. 3. Lib. 4. Trist. Virgil. Lib. 3. Æneid.

5. *Nocturnâ volucris funesta querela.*] *Funesta volucris Attica* sine dubio est noctua, quæ fuit insigne Atheniensium, & cujus cantus ferale aliquid sonat; unde funestus habetur.

6. *Cecropiis foliis.*] *Cecropia folia* dicuntur Atticæ arbores à *Cecrope* Atticæ rege primo, qui multitudinem Atticam in duodecim civitates digessit, quarum una dicta est *Cecropia*.

7. *Niobe bis sex ad busta.*] Non tantam lacrymarum copiam effudit *Niobe* ad monumenta duodecim liberorum in saxa mutata apud montem Sipylum, quantum Cynthia conquerens de fide sibi à Propertio violata. Dicuntur autem *Niobes* duodecim liberi fuisse, licet alii, ut Ovidius, dicant fuisse quatuordecim, septem nempe mares, septemque fœminas. Fuit autem *Niobe* Tantali filia ac Pelopis soror, uxorque Amphionis Thebanorum regis, quæ propter tot liberos feliciter ex Amphione susceptos, ac educatos, animo elata Latonæ se præferre ausa est; unde Apollo, Dianaque, maternam ulciscentes injuriam, filios filiasque ipsius sagittis omnes interfecerunt. *Niobem* vero conquerentem convitiantemque raptam ad Sipylum montem in saxum transformavit Latona, cujus etiam conjux Amphion præ dolore mortem sibi conscivit. Quæ pluribus narrat. Ovid. Lib. 6. Metamorph.

8. *Sipylo.*] *Sipylus seu Sipylum* urbs & mons Phrygiæ in Asia Minori ad

Me licet æratis adſtringant brachia nodis,
  Sint mea vel Danaes condita membra domo:
In te ego & æratas rumpam, mea vita, catenas,
  Ferratam Danaes tranſiliamque domum.
De te quodcunque ad ſurdas mihi dicitur aures,
  Tu modo ne dubita de gravitate mea.
Oſſa tibi juro per matris, & oſſa parentis
  (Si fallo, cinis, heu, ſit mihi uterque gravis)
Me tibi ad extremas manſurum, vita, tenebras.
  Ambos una fides auferet, una dies.
Quod ſi nec nomen, nec me tua forma teneret,
  Poſſet ſervitium mite tenere tuum.
Septima jam plenæ deducitur orbita Lunæ;
  Quum de me, & de te compita nulla tacent.
Interea nobis non nunquam janua mollis,
  Nonnunquam lecti copia facta tui.
Nec mihi muneribus nox ulla eſt empta beatis:
  Quicquid eram, hoc animi gratia magna tui.

INTERPRETATIO.

Quamvis me catenis æneis hominum *brachia conſtringant, corpuſque meum in turri etiam Danaës incluſum teneatur; ut ad te adeam, ô mea lux, ærea vincula ſolvam, ac Danaës ferream domum perfringam. Quidquid de te mihi narratur, ſurdis auribus narratur: jam tu de mea conſtantia & fide ne ambigas. Tibi juro per oſſa mei patris ac genitricis meæ me ad ultimas uſque tenebras tuum, ô mea lux, ſemper futurum; ſi autem mentitus ſim, ah, utriuſque manes fiat mihi moleſti: ambo nos pariter eadem ac mutua fides, eademque dies abripiet. Quod ſi vere neque fama, neque me pulchritudo tua captum retineret, poſſet me ſervitium tuum ſuave ac jucundum capere, ac retinere. Nunc ſeptimus luna completo curſus conficitur, ex quo de me & de te nulla compita ſilent. Interim mihi interdum fores tuæ ſunt apertæ, interdum etiam tori tui copia data eſt. Nulla vero mihi nox empta eſt donis pretioſis; quodcumque ego fui, illud ingens animi tui ac liberalitatis beneficium fuit.*

ANNOTATIONES.

quem rapta à Latona Niobe ejulans & plorans liberorum mortem mutata eſt in ſaxum; lacrymiſque ejus etiam nunc marmora manant; ut canit Ovid. Hygin. Fab. 63. Ovid. Lib. 4. Metam.

10. *Danaes condita membra domo.*] Nota eſt fabula *Danaës* quæ filia fuit Acriſii regis Argivorum, à quo fuit incluſa turri æneâ. Hujus autem amore captus Juppiter in imbrem aureum ſeſe convertit, ac per tegulas in ſinum Danaës puellæ ſeſe demiſit, ex qua Perſeum genuit. Horat. Lib. 3. Od. 16.

17. *Ad extremas tenebras.*] Intelligitur vel etiam apud Orcum, & inferos, vel uſque ad mortem, & nigram horam, ut illud Tibulli.

Jam veniet tenebris mors adoperta caput.

18. *Ambos auferet una dies.*] Uterque pari fide, conſtantia, & fato nos amantes ambo ſimul unica die efferemur.

21. *Septima plena orbita luna.*] Septimus menſis ſignificatur.

Quum te tam multi peterent, tu me una petisti,
 Possum ego naturæ non meminisse tuæ?
Tunc me vel tragicæ vexetis Erynnes, & me
 Inferno damnes, Æace, judicio:
Atque inter Tityi volucres mea pœna vagetur,
 Tumque ego Sisyphio saxa labore geram.
Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis.
 Ultima talis erit, quæ mea prima fides.
Hoc mihi perpetuo jus est, quod solus amator
 Nec cito desisto, nec temere incipio.

INTERPRETATIO.

Quando te tam numerosi proci *cupiebant, tu me solum cupivisti; egone benignitatis tua queam non recordari? Si hoc eveniat, opto, ut eo tempore me, ô vos tristes Erinnyes, excrucietis, tuque, ô Æace, infernali me judicio condemnes, ac inter aves Tityi supplicium meum huc illuc versetur, ac cruciatu Sisyphio rupes provolvam. Neque etiam tu precantibus verbis mihi velim supplices, talis erit extrema fides mea, qualis fuit prima. Istud mihi semper proprium jus est, quod ego* inter alios *unus amans, neque sine ratione amore capior, neque statim amare desino.*

ANNOTATIONES.

29. *Erinnyes.*] Furiæ sunt, aliter Eumenides dictæ, quæ apud inferos crines serpentibus implicitos habere, damnatosque torquere dicuntur à Poëtis; has Hesiodus in Theogonia Telluris & Cæli filias facit. Sensus autem poëtæ hoc in loco est, ut si unquam Cynthiæ bonitatis, facilitatisque erga se oblitus fuerit, vexetur à furiis sævientibus, damneturque Æaci judicio ad pœnas inferorum subeundas.

30. *Æace judicio.*] *Æacus* Jovis fuit filius ex Europa, quam rapuerat: Rex fuit Æginæ insulæ. Hic vero tantæ justitiæ dicitur fuisse, ut apud inferos delectus sit à Plutone judex animarum cum Minoë & Rhadamantho, ut peccantium delictis pœnas pro meritis inferat.

Ovid. Lib. 13. Metamorph.

Æacus huic pater est, qui jura silentibus umbris,
 Reddit, ubi Æolides saxum grave Sisyphus urget.

31. *Inter Tityi volucres.*] *Tityus* Jovis fuit filius ex Elara Orchomeni filia, qui cum Junonis instinctu Latonæ stuprum inferre voluisset, Jovis fulmine ictus, vel, ut alii volunt, Apollinis sagittis confixus est, & ad inferos detrusus, ubi humi prostratus novem terræ jugera dicitur occupare, jecurque suum perpetuò cum luna simul renascens vulturi, aut, ut placet Hygino, serpenti exedendum præbere.

32. *Sisyphio labore.*] *Sisyphus* Æoli filius, à Theseo occisus, quem ob latrocinia in inferis eo tormenti genere plecti fingunt, ut saxum ingens in montis præalti cacumen provolvere conetur, quod ubi pœne ad summum elatum est; statim rursus præceps deorsum elabitur.

ELEGIA XXI.

AD CYNTHIAM DE PANTHO.

AH quantum de me Panthi tibi pagina finxit,
Tantum illi Pantho ne sit amica Venus.
Sed tibi jam videor Dodonâ verior augur:
Uxorem ille tuus pulcher amator habet.
Tot noctes periere. nihil pudet? adspice, cantat
Liber. Tu nimiùm credula sola jaces.
Et nunc inter eos tu sermo es. Te ille superbus
Dicit se invito sæpe fuisse domi.
Dispeream, si quicquam aliud, quam gloria de te
Quæritur. Has laudes ille maritus habet.
Colchida sic hospes quondam decepit Jason:
Ejecta est; tenuit namque Creusa domum.
Sic à Dulichio juvene est elusa Calypso;
Vidit amatorem pandere vela suum.

INTERPRETATIO.

HEu! ô Cynthia, quantùm tibi de me liber Panthi mentitus est, tantùm eidem Pantho sit inimica Venus. At tibi jam videor vates etiam Dodonâ certior: conjugem habet bellus iste tuus amasius. Tot tibi noctes sine fructu consumpta sunt: nec tamen te pudet? Vide, canit amore, & curis vacuus: tu vero nimis credula deserta jaces. Jamque apud ipsos fabula es: jactator iste prædicat sese venientem frequenter domum tuam adiisse. Ego emoriar, si quid aliud de te, quam fama insignis expetatur: istam gloriam vir uxoratus refert. Ita quondam Jason advena Colchidem fefellit, quæ deinde repudiata est: familiam enim ejus possedit Creusa. Ita quoque decepta est Calypso à viro Dulichio; ipsa suum amasium vela ventis explicare conspexit.

ANNOTATIONES.

1. *AH quantum de me,*] Panthus apud Cynthiam fuerat calumniatus Propertium, scriptisque famosis ipsum infamare tentaverat; nunc quoque vicissim Panthum Cynthiæ odiosum efficere conatur Propertius.

Panthi tibi pagina.] Quis fuerit iste *Panthus* incertum est; hoc tantum habemus exploratum, quod nimirum fuerit Propertii nostri rivalis.

3 *Dodonâ verior augur.*] Veracior, inquit, sane divinator, quam oraculum ipsum Jovis *Dodones*. Fuit autem *Dodona* civitas & Nemus Chaoniæ in Epiro, ubi Jovis *Dodonæi* templum & oraculum, inter ea, quæ apud Græcos fuerunt, vetustissimum simul & celeberrimum. In eo oraculo columbas & quercus fuisse fabulantur, quæ consulentibus responsa darent. Inde *Dodonæus* Juppiter dicitur, qui in Dodonæo templo ac nemore colebatur.

7. *Inter eos tu sermo es.*] *Inter* maritum Panthum nempe & Panthi uxorem fabula & risus es.

11. *Colchida sic decepit Jason.*] *Jason* Medeam, quam è Colchide abduxerat optime de se meritam deseruit, ductâ uxore Creusâ; quo Poëta docet exemplo eos non esse in amore fideles, qui uxorem habent.

14. *Sic à juvene Dulichio est elusa Calypso.*] *Dulichius juvenis* Ulysses dicitur à *Dulichio* Insula Ithacæ vicina,

Ah nimium faciles autem præbere puellæ,
Discite desertæ non temere esse bonæ.
Huic quoque, qui restat, jam pridem quæritur alter.
Experta in primo stulta cavere potes.
Nos quocunqne loco, nos omni tempore tecum
Sive ægra pariter, sive valente sumus.

INTERPRETATIO.

Ah puella nimis cito credula discito sola velicta esse prudenter faciles & benigna vestris amatoribus. Istsetiam, qui superest, jamdudum alius qui succedat à te inquiritur; sed ò demens, quandoquidem experta es unius perfidiam, cauta subinde esse potes; ego vere omni tempore, omni in loco, semper & ubique tecum sum, seu ægrotes, seu bene valeas.

ANNOTATIONES.

unaque ex iis, quibus imperavit. *Calypso* vere Nympha fuit filia Oceani & Thetyos, vel, ut nonnulli volunt, Atlantis, quæ in Insula Ogygia regnavit, Ulyssemque naufragum hospitio excepit, & thalamo; hanc tamen reliquit Ulysses propter uxorem.

18. *Experta in primo.*] Amens etiam ac stulta postquam experta es unius perfidiam, discere potes alius non amplius esse fidendum.

ELEGIA XXII.

AD DEMOPHOONTEM.

SCis here mi multas pariter placuiſſe puellas,
  Scis mihi, Demophoon, multa venire mala.
Nulla meis fruſtra luſtrantur compita plantis:
  O nimis exitio nata theatra meo.
Sive aliquis molli deducit candida geſtu
  Brachia, ſeu varios incinit ore modos.
Interea noſtri quærunt ſibi vulnus ocelli,
  Candida non tecto pectore ſi qua ſedet.
Sive vagi crines puris in frontibus errant,
  Indica quos medio vertice gemma tenet.
Quæ ſi forte aliquid vultu mihi dura negavit,
  Frigida de tota fronte cadebat aqua

INTERPRETATIO.

TU probè noviſti, ô Demophoon, mihi plures heri formoſas viſas fuiſſe fœminas; tu non etiam ignoras plura mihi mala eveniſſe. Nulla compita meis pedibus incaſſum teruntur. Proh ſpectacula ad meam perniciem facta! ſeu quis blando geſtu nitida brachia diverſas in partes movet, ſive diverſos cantus ore modulatur. Interim namque oculi noſtri ſibi plagas inquirunt, malumque arceſſunt, ſi forſan formoſa aliqua puella nudato ſinu in Theatro *conſidet; ſeu errantes capilli, quos media in capitis ſummitate lapis pretioſus retinet, nitida & ſerena ſuper fronte huc illud vagantur. Si quid vero forſan aliqua* puella *mihi ſæva renuit dare, gelidus ſtatim mihi ſudor de tota facie manabat.*

ANNOTATIONES.

1. SCis *here mi multas*; &c.] Demophoonti ſignificat ſe præ cæteris à natura ad amorem adeo eſſe comparatum, ut ubique amare cogatur, nec una amica contentus eſſe poſſit. Quis autem fuerit ille Demophoon, incertum plane. Hinc tamen illum fuiſſe amicum, aut Poëtæ noſtri æmulum exploratum habetur.

Here mi.] *Herè*, pro heri, ſicut veſperè & veſperi dicitur.
Ovid. Lib. 1. Amor. Eleg. 8.

Seu herè te, mea lux, juveni placuiſſe beato.

4. *Exitio nata theatra meo.*] In meam ruinam reperta *theatra*, quia nempe *theatra*, ac ſpectacula in primis frequentabantur à puellis ludorum cauſa, quos avidiſſime venabantur.

Ut ait Ovid.

Sed tu præcipuè curvis venare theatris
Hæc loca ſunt voto fertiliora tuo.

6. *Incinit ore modos.*] Tibicinum eſt proprium *incinere*; canit enim ore tibicen, dum inflat tibias, ſed & manus etiam ac digitorum miniſterium adhibendum eſt.

Indica gemma.] Quia nimirum apud *Indos* gemmæ, lapides pretioſi, ac uniones, cæteraque ejus generis leguntur.

12. *Fronte cadebat.*] Ingens æſtuantis animi indicium.
Ut illud Virgil. Lib. 5. Æneid.

Tum gelidus toto manabat corpore ſudor

Alius autem ſudor eſt ab externo calore, alius ab æſtu animi, ac tremore nimio & ægritudine.

Quæris, Demophoon, cur ſim tam mollis in omnes?
Quod quæris, quare non habet ullus amor?
Cur aliquis ſacris laniat ſua brachia cultris?
Et Phrygis inſanos cæditur ad numeros?
Unicuique dedit vitium natura creato:
Mi fortuna aliquid ſemper amare dedit.
Me licet & Thamyræ cantoris fata ſequantur;
Nunquam ad formoſas, invide, cæcus ero.
Sed, tibi ſi exiles videar tenuatus in artus,
Falleris. Haud unquam eſt culta labore Venus.

* * * * *
* * * * *
* * * *
* * * * *

INTERPRETATIO.

Tu rogas, ô Demophoon, quare ſim adeo facilis erga omnes? At cur nullus amor habet id, quod rogas? Quare nonnulli ſibi brachia diris cultellis lacerant, laniantŭrque ad modulos Phrygis inſaniam ciẽntes? cuilibet homini natura ſuum indidit vitium: mihi vero fortuna perpetuo aliquid amare dedit. Quamvis autem feri etiam Thamyræ Citharœdi me maneat, nuſquam tamen, ô æmule, ad pulchras puellas cæcutiam. At quanquam tibi videar in macilenta ac exigua membra amore *extenuatus, erras; nunquam enim mihi difficili opere Venus exculta eſt.*

* * *
* * *
* * *
* * * *
* * * *

ANNOTATIONES.

14. *Non habet ullus amor.*] Reddi non poteſt ratio; cum nulla ſit in amore. Omnes enim amantes vitam rationis expertem ducunt, nulloque vivunt conſilio, & ſenſu.
Ut vidimus ſupra Lib. 1. Eleg. 1. & Lib 2. Eleg. 12.

——— *Sine ſenſu vivere amantes.*

Ad Phrygis inſanos numeros.] Fanaticis, & Bellonariis, ac Gallis Cybeles ſacerdotibus mos olim fuit ſeſe cultris & gladiis diſſecare, ſicque numinibus ſuis ſanguine proprio ſacrificare.
Ut teſtatur Tibull Eleg 4 Lib 1.

Et ſecet ad Phrygios vilia membra modos.

Sacra porro iſta peragebant diſcurrentes & ſaltantes ad modulos tibicinis cantu ſuo inſaniam, ac lymphaticum tripudium concitantis.
Juxta illud Lucretii Lib. 2.

Et Phrygio ſtimulat numero cava tibia mentes.

Phryx autem ponitur pro tibicine, quia nempe tibia, illudque cantus, tripudii, ac ſacrorum inſanum genus à *Phrygibus* inventa ſunt.

19. *Thamyræ cantoris.*] *Thamyras* Philammonis filius fuit, qui canendi peritia nimium ſuperbiens Muſas ad certamen cantus provocare auſus eſt; quod Muſæ graviſſime ferentes omnem illi cantandi, ac pulſandæ citharæ facultatem abſtulerunt, oculiſque orbatum reliquerunt.

* * * *
* * * * * *
* * * * *
* * * * * *
* * * * *
* * * * * *
* * * * *
* * * * * *
* * * * *

INTERPRETATIO.

* * * *
* * * *
* * * *
* * *
* * *
* * * *
* * * *

* * * *
* * * *
* * * *
* * * *
* * * *
* * * *
* * * *

ELEGIA XXIII

ELEGIA XXIII.

DE AMORIS SERVITUTE.

CUI fuit indocti fugienda hæc semita vulgi,
  Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.
Ingenuus quisquam alterius dat munera servo,
  Ut commissa suæ verba ferat dominæ?
Et quærit toties, quænam nunc porticus illam
  Integit? & campo quo movet illa pedes?
Deinde ubi pertuleris, quos dicit fama labores
  Herculis, ut scribat, muneris ecquid habes?
Cernere uti possis vultum custodis amari,
  Captus & immundâ sæpe latere casâ.
Quàm carè semel in toto nox vertitur anno!
  Ah pereant, si quos janua clausa juvat!
Contra rejecto quæ libera vadit amictu,
  Custodum & nullo septa tumore, placet:
Cui sæpe immundo Sacra conteritur via socco,
  Nec sinit esse moram, si quis adire velit.

INTERPRETATIO

IPsa jam mihi suavis est aqua è lacu hausta, cui ista fuit vitanda multitudinis imperita via publica. Estne aliquis honesto loco natus, qui præmia donet alieno servo, ut credita ad amicam arcana, perferat, ac tam sæpe roget, quanam modo porticus ipsam habeat? Et quonam in campo nunc ipsa deambulat? Postea vero quando omnes Herculis, quos fabula refert, labores sustinueris; quidnam tibi præmii est? Quamvis puella tibi scribat, & possis intueri faciem avarè custodis, ac deprehensus queas frequenter delitescere in gurgustiolo impuro. Quam grandi pretio unica nox per integrum annum semel ducitur! Ad pereant illi, quos ejectos fores clausa delectant. Contra vero ista mihi puella jucunda videtur, quæ reductâ veste, sui juris & libera, nulloque custodum fastu aut metu stipata incedit: cui frequenter Via Sacra calceolo lutulento calcatur, neque patitur moras afferri, si forsan aliquis ipsam cupiat convenire.

ANNOTATIONES.

1. *CUi fuit indocti.*] Quanta sint in matronarum, ac ingenuarum fœminarum amoribus incommoda expertus Poëta vulgares in imposterum puellas amare se velle significat.

Semita vulgi.] Via publica multitudinis, ac plebis ineptæ.

2. *Petita lacu.* Hoc est turbida, immunda, ac limosa.

5. *Quanam porticus.*] Variæ fuerunt Romæ *Porticus*, in quibus spatiabantur, & deambulabant Romani, *ut Porticus* Phœbi, infra Eleg. 31. *Porticus* Pompeia, Eleg. 32. *Porticus Livia*, & Octa*via* apud Ovid. Lib. 1. De Arte amandi. *Porticus Agrippa*, &c.

6. *Campo quo movet illa pedes.*] Fuerunt itidem Romæ plures *Campi. Campus Martius*, *Campus Esquilinus*, *Calimontanus*, *Viminalis*, *Flaminius*; *Campus Agrippo*, &c.

14. *Custodum septa tumore.*] Matronæ quondam apud Romanos non publice incedebant nisi custodum veluti vallo & aggere cinctæ, qui amatores arcerent.

15. *Sacra via.*] Illa *via* fuit Romæ *sacra* vocitata, quod in ea ictum sit

ELEGIA XXIV.

DE CYNTHIA IN ÆMULUM.

TU loqueris, cùm ſis jam noto fabula libro,
Et tua ſit toto Cynthia lecta foro.
Cui non his verbis aſpergat tempora ſudor,
Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor?
Quòd ſi jam facilis ſpiraret Cynthia nobis;
Non ego nequitiæ dicerer eſſe caput.
Nec ſic per totam infamis traduceret urbem,
Ureter & quamvis, nomine verba darem.
Quare ne tibi ſit mirum me quærere viles.
Parcius infamant. Num tibi cauſſa levis?
Et modò pavonis caudæ flabella ſuperbæ,
Et manibus durâ frigus habere pilâ,
Et cupit iratum talos me poſcere eburnos,
Quæque nitent ſacrâ vilia dona viâ.

INTERPRETATIO.

TU etiam loqueris, quamvis vulgata jam libro ſis totius populi fabula, tuaque Cynthia frequenti fere lecta fuerit. Cui non ad ejuſmodi ſermones faciem non perfundat ſudor, vel pudor ingenuus, vel ſilendus amor? Quod ſi tam propitia mihi Cynthia faveret, ego non traducerer eſſe dux nequitiæ; neque ita per totam urbem turpiter infamarer, quamvis amore arderem, ac Cynthiæ *nomine verba darem. Itaque ne mireris me puellas ignobiles & vulgares ſectari; nam minus famam lædunt. Videturne tibi iſta ratio parvi momenti? Ipſa nunc cupide expetit habere muſcaria cauda ſuperbientis pavonis, nunc duram in manibus pilam ad frigus, nunc vult iratum me talos petere eburneos, cæteraque abjecta munera, quæ in via ſacra proſtant.*

ANNOTATIONES.

1. *TU loqueris.*] Sub alienâ perſonâ, alteriuſque nomine ſeſe videtur objurgare, ſignificatque ſe Cynthiæ causâ factum eſſe famoſum, & per totam urbem eſſe ludibrio. Dicit tandem ſe ſemper ſuam Cynthiam conſtanter amaturum, ſeſeque ab ea nunquam diſceſſurum.

7. *Infamis traducitur.*] *Traduci* eſt duci trans aliquem locum, derideri, & ad infamiam oſtentari. Sumptum eſt à ſervis ſontibus & furciferis, qui per vias ducuntur ad infamiam ſimul & ſupplicium.

8. *Nomine verba darem.*] Sub ficto ac ſuppoſititio nomine Cynthiæ amorem meum, qui lateret, diſſimularem; & ita homines deciperem. Quod quidem reverâ fecit Propertius. Non enim ejus amica vero nomine Cynthia, ſed Hoſtia vocabatur. Ut teſtatur Apuleius Apolog.

12. *Frigus habere pila.*] Alii volunt ſignificari *pilam* Criſtallinam, quam puellæ manibus ad æſtum refrigerandum tenerent: alii *pilam* luſoriam intelligunt, qua etiam puellas aliquando luſitaſſe teſtatur Virgilius in Ciri de Scylla puella.

Cum lapſa è manibus fugit pila ——

14. *Sacrâ vilia dona viâ.*] De *Sacrâ viâ* diximus ad Elegiam ſuperiorem vi-

Ah peream, si me ista movent dispendia; sed me
 Fallaci dominæ jam pudet esse jocum.
Hoc erat in primis, quod me gaudere jubebas?
 Tam te formosam non pudet esse levem?
Una, aut altera nox nondum est in amore peracta,
 Et dicor lecto jam gravis esse tuo.
Me modò laudabas, & carmina nostra legebas.
 Ille tuus pennas tam citò vertit amor?
Contendat mecum ingenio, contendat & arte,
 In primis unâ discat amare domo.
Si libitum tibi erit, Lernæas pugnet ad hydras,
 Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat.
Tetra venena libens, & naufragus ebibat undas,
 Et nunquam pro te deneget esse miser.

INTERPRETATIO.

Ah! moriar ego, si ista me moveat fama damnat verùm me pudet à puella perfida tamdiu fuisse delusum. Istudne erat cur me maxime lætari volebas? non erubescis esse inconstans, cum tam pulchra sis? necdum modo una vel altera nox in amore tuo exacta est, jamque dicor molestus esse tuo toro. Tamox me laudibus efferebas, versusque meos legebas. Tausue amor iste adeò repente suas alas alterſum convertit? Ingenio mecum ac industria decertet, ac ante omnia discat amare unica in domo. Si vero tibi placuerit ad hydras Lernæas dimicet, tibique ab Hesperio dracone poma afferat. Sponte suâ atra toxica sumat, ac naufragium passus mare epotet, neque unquam propter te recuset esse, infelix.

ANNOTATIONES.

dimusque rusticanas merces, poma, cæteraque fructuum genera in *viâ sacrâ* fuisse venalia.

Ovid Lib. 1. Amor. Eleg. 8.

Munera preterea videat, quæ miserit alter,
Si tibi nil dederit, sacra roganda via est.

18. *Formosam non pudet esse levem.*] *Formositatis* semper fuit comes levitas & inconstantia; ut vidimus suprà Eleg. 16.

Formosis levitas semper amica fuit.

25. *Lernæas pugnet ad Hydras.*] *Lerna* fuit Palus in Argivorum regione, in qua fuisse fabulantur hydram multis capitibus formidolosam, cujus uno abcisso capite tria succrescebant. Hercules autem dicitur eam interemisse. Vicinæ porrò regioni adeo erat infesta, ut inde ductum sit proverbium *Lerna malorum*, ad significandam summam calamitatem.

26. *Hesperio dracone*] *Hesperides* puellæ dicuntur in Libya habuisse nemus auriferum à vigili dracone servatum, quem fabulantur Herculem olim interfecisse, & poma aurea inde ad Eurystheum detulisse. Plinius autem & Solinus narrant hortos Hesperidum curvo flexuosoque maris meatu fuisse cinctos, qui visentibus procul draconis præbebat speciem, unde draconem custodis instar fuisse interpretantur. *Hesperius* autem *draco* dicitur ab Hesperidibus quæ tres filiæ Atlantis Mauritaniæ regis fuisse referuntur. *Hesperides* etiam dicuntur ab *Hespero* seu *Vespero* stella quæ prima ad occasum post solis abcessum lucere cernitur.

Quos utinam in nobis, vita, experiare labores,
Jam tibi de timidis iste protervus erit.
Qui nunc in tumidum jactando venit honorem;
Dissidium vobis proximus annus erit.
At me non ætas mutabit tota Sibyllæ,
Non labor Alcidæ, non niger ille dies.
Tu mea compones, & dices, Ossa, Properti;
Hæc tua sunt; eheu tu mihi certus eras!
Certus eras eheu! quamvis nec sanguine avito
Nobilis, & quamvis non ita dives eras.
Nil ego non patiar, nunquam me injuria mutat.
Ferre ego formosam, nullum onus esse puto.
Credo ego non paucos istâ periisse figurâ:
Credo ego, Sed multos non habuisse fidem.
Parvo dilexit spatio Minoida Theseus,
Phyllida Demophoon, hospes uterque malus.

INTERPRETATIO.

Quos velim labores, ô mea lux, ut in me experiaris, tunc ille insolens in numero timidorum erit, qui modo jactando se in superbum honorem evectus est; annusque vobis proxime sequens afferet discordiæ causam. Sed me neque etiam tota ætas Sibyllæ mutabit, neque Alcidæ labores, neque illa nigra mortis dies ultima. O Cynthia, tu meos cineres tumulo inferes, dicesque; ista sunt ossa tua, ô Properti, heu! tu mihi fidus eras; Eheu! tu mihi fidus eras, licet neque genere prisco inclitus, licetque non adeo opulentus esses. Omnia ego perferam. Nulla unquam me injuria mutat. Ego pulchram pati puellam nullum onus esse reor. Existimo complures istâ pulcritudine captos periisse, compluresque etiam fidelitate & constantia caruisse. Theseus pauco temporis spatio Minoidem adamavit, Demophoonque Phyllidem; uterque hospes fuit nequam & perfidus.

ANNOTATIONES.

33. *Ætas tota Sibyllæ.*] Profitetur se fore in amore constantissimum, adeo etiam, ut nec ulla sæculorum serie, nec ullis laboribus, nec ipsa quidem morte dimoveri possit ab Cynthiæ amore. De Sibyllæ ætate jam supra vidimus Eleg. 2. præsentis Lib. 2.

34. *Non labor Alcidæ.*] *Alcides* dicitur Hercules ab Alcæo patre Amphitryonis, vel ab Alcæo monte, vel ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, à fortitudine. De laboribus porro Herculis nota est fabula.

43. *Minoida Theseus.*] *Minois* dicitur Ariadne Minois regis Cretæ filia, cujus integram historiam vidimus apud nostrum Catullum in nuptiis Pelei. Hanc Theseus, è Creta discedens abduxit, eamque in Insula Naxo deseruit.

44. *Phyllida Demophoon.*] *Phyllis* Lycurgi Regis Thraciæ filia *Demophoontem* Thesei filium ex bello Troiano redeuntem hospitioque, lectoque excepit proprio, eâ lege, ut domi compositis rebus sese uxorem duceret. Profectus itaque Demophoon, cum ultra tempus statutum negotiis domesticis detineretur, Phyllis amoris impatientiâ, dolorisque impulsu, se credens spretam laqueo vitam finivit, ac deorum commiseratione conversa est in amygdalum. Postea vero reversus *Demophoon* re cognitâ truncum amplexus est, qui adventum veluti sentiens sponsi

Jam tibi Jasoniâ nota est Medea carinâ,
Et modò servato sola relicta viro.
Dura est, quæ multis simulatum fingit amorem,
Et se plus uni si qua parare potest.
Noli nobilibus, noli conferre beatis;
Vix venit, extremo qui legat ossa die.
Ii tibi nos erimus: sed tu potius, precor, ut me
Demissis plangas pectora nuda comis.

Interpretatio.

Modo tibi cognita est Medea nave Iasoniâ abducta, brevique post deserta ab homine per ipsam *à morte liberato. Illa crudelis est, quæ fictum amorem pluribus dissimulat, seque ornare sustinet pluribus quam uni. Tu noli me comparare nobilibus, neque divitibus; ex iis enim agrè reperitur unus, qui supremâ die cineres* amicè *colligat. Tales tibi nos præstabimus*; ut tua ossa sepeliamus. *At vero, ore ego te potius ut solutis crinibus & effusis, nudatoque sinu me mortuum lugeas.*

Annotationes.

statim folia emisit. Extat Phyllidis ad *Demophoontem* epistola inter Ovidianas.

45. *Iasoniâ nota est Medeâ carina.*] Cognita nempe est Medea ob navem Jasoniam, quæ est navis Argo, quâ ab Jasone abducta est eadem Medea è Colchide in Græciam; quæ tamen postea relicta est, & repudiata ab ipso Jasone, qui Creusam duxit uxorem; Ut vidimus præsentis hujus libri Eleg. 21.

46. *Servato viro.*] Incolumem nempe præstitit Jasonem Medea adversus tauros ignivomos & draconem; Ut videre est apud Ovid. Lib. 7. Metamorphos.

52. *Demissis plangas comis.*] Solebant lugentes mulieres mortuorum funera prosequi solutis ac dispersis capillis, ac nudato pectore. Ut testis est Petron. *Non contexta vulgari more funus passis prosequi crinibus, aut nudatum pectus in conspectu frequentia plangere.* Item quoque Ovid. in Epistol. Ariadnæ.

Aspice demissos lugentis more capillos.

ELEGIA XXV.

AD CYNTHIAM.

UNICA nata meo pulcherrima cura dolori;
Excludit quoniam ſors mea ſæpe, veni.
Iſta meis fiet notiſſima forma libellis,
Calve, tuâ veniâ, pace Catulle tuâ.
Miles depoſitis annoſus ſecubat armis:
Grandævique negant ducere aratra boves;
Putris & in vacua requieſcit navis arena:
Et vetus in templo bellica parma vacat.
At me ab amore tuo deducet nulla ſenectus,
Sive ego Tithonus, ſive ego Neſtor ero.

INTERPRETATIO.

O Tu, unica & ſingularis puella formoſiſſima ad me veni, quandoquidem mea fata à te me frequenter excludunt. Hac tua pulchritudo libris meis clariſſima evadet, cum bonâ tuâ veniâ, ô Catulle & pace tua, ô Calve. Miles acceptâ militia vacatione grandævus ſolus & ſeorſum cubat, boveſque annoſi aratra trahere renuunt, naviſque vetus quieſcens in littore putreſcit, ac annoſus clypeus militaris in templo otiatur; ſed vero me ab amore tuo nulla dimovebit ſenectia, ſeu ego Tithonus, ſeu Neſtor fuero.

ANNOTATIONES.

1. *UNica nata meo.*] Poſtquam ſæpius à Cynthiæ foribus fuit excluſus Poëta, ipſam rogat, ut ad ſe venire dignetur, ſignificatque ſe nunquam ad mortem uſque ab amore Cynthiæ receſſurum; Rivalem denique ſuum monet, ne nimium puellæ credat illecebris, quandoquidem ipſe etiam illi fuit aliquando quolibet alio gratioſior, nullaque fere fœmina in amore conſtans perſeverat.

4. *Calve, tuâ veniâ.*] *Calvus* Poëta fuit Catulli æqualis & amicus; Ut ex Catulli 14 carmine, quod ipſi inſcribitur, videre eſt.

Ni te plus oculis meis amarem
Iucundiſſime Calve ———

Pace, Catulle, tuâ] Duos Poëtas temporum ſuorum celebratiſſimos conjungere voluit, Catullum nempe & Calvum, qui ut ſuas amicas & amores carminibus ſuis decantarunt; ita ipſorum exemplo ſeſe quoque Cynthiam libris ſuis & verſibus celebraturum, clariſſimamque effecturum ſignificat. De Calvo & Catullo noſtro, Horat. Lib. 1. Serm. Sat. 10.

Nil præter Calvum, & doctus cantare Catullum.

5. *Miles depoſitis armis.*] Impetratâ nimirum miſſione, & acceptâ rude. Auguſtus ad annos viginti totum militiæ tempus retraxit; cum antea viginti quinque ſtipendia merenda eſſent antequam vacatio daretur. *Secubat* hoc in loco dicitur de milite, qui miſſionem habet à contubernio liberam.

10. *Sive Tithonus, ſive ego Neſtor.*] *Tithonus* & *Neſtor* diutiſſimam vitam duxiſſe dicuntur.

Non ne fuit satius duro servire tyranno,
  Et gemere in tauro, sæve Perille, tuo?
Gorgonis & satius fuit obdurescere vultu;
  Caucasias etiam si pateremur aves?
Sed tamen obsistam. Teritur rubigine mucro
  Ferreus, & paruo sæpe liquore silex.
At nullo dominæ teritur sub limine amor, qui
  Restat, & immeritâ sustinet aure minas.
Ultrò contemptus rogat, & peccasse fatetur
  Læsus, & invitis ipse redit pedibus.
Tu quoque, qui pleno fastus assumis amore;
  Credule, nulla diu femina pondus habet.

INTERPRETATIO.

Nonne fuit melius sævo tyranno obedire, ac in tauro tuo, ô Perille crudelis, perire? Nonne etiam melius fuit lapidescere ad Gorgonis aspectum? Nonne etiam melius nobis *fuit si Caucaseas volucres perferremus. Verum nihilominus obsistam. Cuspis dura redditur atrâ rubigine: frequenter quoque lapis exiguâ aquâ cavatur. Sed ille qui mihi superest amor nullo modo hera mea limine deteritur, ac iras non meritas aure excipit, ac patitur. Sponte etiam spretus; & injuriâ affectus precatur veniam, atque offensus errasse se confitetur, ac ipse pedibus reluctantibus revertitur. Tu etiam, qui nimis facile puellæ credens ad satietatem prospero amore superbis*, scito, quod *nulla puella longo tempore constans est.*

ANNOTATIONES.

11. *Sæve Perille.*] *Perillus* faber fuit Atheniensis ingeniosissimus, qui Phalaridi Agrigentinorum tyranno taurum ex ære fabricavit, in quo cùm inclusi homines subditis ignibus torrerentur, tauri mugitum, non hominum vocem videbantur emittere. Cujus tormenti pœnam expertus est primus ipsius auctor & artifex *Perillus*, qui cum præmium ab Phalaride pro invento suo postularet, tauro ille æneo includi jussus ac suppositis ignibus exustus est. Plin. Lib. 34. Cap. 8. *Perillum nemo laudat sæviorem Phalaride tyranno, qui taurum fecit mugitus hominis pollicitus igne subdito & primus eum expertus est cruciatum.*

Ovid. Lib. 1. de Arte amandi.

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit; infelix imbuit auctor opus.

13. *Gorgonis & vultu.*] Fabula Gorgonis Medusæ nota est, quæ solo tantum aspectu homines in saxa & lapides convertisse dicitur. Hanc Perseus dicitur interfecisse, ejusque caput abscissum Minervæ donasse. Vide Apollodor. Lib. 2. & Ovid. Lib. 4. Metamorphos. Nicol. Comitem Mythol. Lib. 7. cap. 11. & 12.

14. *Caucaseas aves.*] Sensus Poëtæ est, Satius esse servire tyranno Phalaridi, ejusque tauro torreri, & verti in saxum visa Gorgone, & lancinari ab aquilâ instar Promethei, quam amori servire, & puellæ mancipari, quæ ita dura & crudelis est, ut nunquam flectatur ad amatoris vota. Dicitur autem Prometheus, quod ignem è cælo in terras asportasset, in monte Caucaso ad saxum religatus, in quo jecur ipsius continuo renascens aves depascuntur.

15. *Sed tamen obsistam.*] Ego omnia sufferam, & quasi adversus dolorem, offensam, & injuriam pugnabo.

22. *Nulla diu fœmina pondus habet.*] In hanc sententiam supra Eleg. 9. hujus Libri.

Non sic incertæ mutantur flamine Syrtes,
  Nec folia hiberno tam tremefacta Noto;
Quam citò fœmineâ constat fœdus in irâ,
  Sive ea causa gravis, sive ea causa levis.

An quisquam

An quisquam in mediis persolvit vota procellis?
 Cum sæpe in portu fracta carina natet?
Aut prius infecto deposcit præmia cursu,
 Septima quam metam triverit ante rota?
Mendaces ludunt flatus in amore secundi;
 Si qua venit serò, magna ruina venit.
Tu tamen interea, quamvis te diligat illa,
 In tacito cohibe gaudia clausa sinu.
Namque in amore suo semper sua maxima cuique,
 Nescio quo pacto, verba nocere solent.
Quamvis te persæpe vocet, semel ire memento:
 Invidiam quod habet, non solet esse diu.
At, si sæcla forent antiquis grata puellis,
 Essem ego quod nunc tu; tempore vincor ego.

INTERPRETATIO.

An aliquis in mediis tempestatibus vota reddit, cum etiam in portu navis confracta mergatur? Aliquisne etiam exigit sibi dari præmia non confecto circi curriculo, antequam metam septima rota attigerit? Prosperi venti in amore fallaces sæpius nos frustrantur. Quacumque clades tardè evenit, magna est. Tu vero interim licet illa puella te modo amet, in pectore tuo lætitiam inclusam comprime: nescio enim quomodo semper obesse cuilibet superbi sui sermones consueverunt. Etsi te sæpius ad se venire jubeat, ipsam tamen semel adire recordare; illud enim quod invidiâ laborat, non consuevit per longum temporis spatium durare. Sed vero si exstarent tempora jucunda puellis antiquis, ego essem id quod nunc tu es: Per tempus inferior sum rivali meo.

ANNOTATIONES.

23. *In mediis persolvit vota procellis.*] Nemo Diis marinis pro salute suâ gratias & vota persolvit, priusquam navem in portum securitatemque deduxerit.

26. *Septima rota.*] Agitatores ludis Circensibus septem curricula seu spatia unoquoque missu decurrebant, antequam victori palma tribueretur. Ut significat Seneca Epistola 30. *Quemodo manifestior notari solet agitatorum lætitia cum septimo spatio palmæ appropinquant.* Sueton in Domitiano cap. 4 *Singulos missus à septenis spatiis ad quina corripuit.*

Ovid Fragment. Halieutici.

Seu septem spatiis circo meruere coronam.

Meta dicitur à metando, vel metiendo, quia nempe erat Circi spatium definitum. Isidor. Lib. 8. Cap 26. *Ornamenta Circi ova, meta, obeliscus, carceres.* Circa *metas* in Circo equi currebant. Olim *Metæ* fuerunt ligneæ, sed auratas fecit Claudius Imperator; ut testatur Sueton. in Claudio cap. 21. Aurigarum porro flexus circa *metas* erat periculosus; unde Nestor apud Homerum Iliad. 23. Antilochum filium monet: ut ita ad *metam* veniat, ut tamen vitet lapidis tactum, ne equos vulneret, & frangat currum; unde & Horat. *Metaque fervidis evitata rotis.*

30. *Tacito gaudia clausa sinu.*] *In sinu gaudere*, de his dicitur, qui suæ lætitiæ alios participes volunt facere; quæ namque volumus occultare, in sinu sæpius recondimus. Scribit tamen Festus, nec sinui aut gremio, nec mulieri credi oportere.

34. *Invidiam quod habet.*] Quæ *invidia* obnoxia sunt, diu durare nequeunt.

35. *At si sæcla forent.*] Mores puellarum sui temporis corruptos tribuit ætati suæ, suoque sæculo imputat.

Non tamen ista meos mutabunt sæcula mores.
  Unusquisque suâ noverit ire viâ.
At vos, qui officia in multos revocatis amores,
  Quantum sic cruciat lumina vestra dolor?
Vidistis pleno teneram candore puellam,
  Vidistis fusco, ducit uterque color.
Vidistis quandam Argivâ prodire figurâ,
  Vidistis nostras, utraque forma rapit.
Illaque plebeio, vel sit sandicis amictu:
  Hæc, atque illa mali vulneris una via est.
Cùm satis una tuis insomnia portet ocellis,
  Una sit & cuivis fœmina multa mala.

INTERPRETATIO.

Attamen hæc mala tempora mores meos non mutabunt; quilibet sciat viâ suâ solita pergere. Sed vos qui vestra officia refertis ad plures amores, quantopere hoc modo vestros oculos torquet dolor? Si conspexistis mollem perfectò nitore vel fusco colore puellam; delectat & capit uterque color. Si spectavistis quamdam Argivâ facie & ornatâ puellam incedere, si quoque nostras spectavistis. Utraque formositas illa animo ad se allicit, ac puella sive populari, sive purpureâ veste induatur; utraque caussa est eadem mali perniciosi. Quandoquidem autem una sola ex iis affatim nimiumque oculis tuis somnia affert, una quoque cuilibet homini puella sit multa mala.

ANNOTATIONES.

39. *At vos qui officia.*] Apostrophe ad hos qui plures habent amicas, quos majori dolore affici significat, quam si unicâ tantùm contenti essent; cum una fœmina satis superque sit ad hominem perdendum, vitamque calamitosam faciendam.

42. *Ducit uterque color.*] Candidus, & fuscus color gratus & jucundus est. Ovid. Lib. 2. Amor. Eleg. 4.

Candida me capiet, capiet me flava puella,
Est etiam in fusco grata colore Venus.

43. *Argiva figura.*] Quales scilicet fuerunt heroïdes *Argivæ* seu Græcæ, quas jam supra memoravimus. Potest etiam intelligi de habitu seu vestitu Græcanico.

45. *Vel sit Sandicis amictu.*] Coloris rubri genus est *Sandix*, quod ex æqua sandarachæ & rubricæ commistione componitur, ut testatur Plin. Lib. 35. cap. 6. Galenus vero Lib. 9. Simplic. ait colorem esse cerussâ vehementius adustâ fieri solitum. Alii putant Sandicem esse herbam, cujus flos similis est cocco. Quidquid tandem sit, *Sandix* hic sumitur pro rubro purpureo; Gallicè, *vermillon, ou couleur de feu.* Ad mentem fere Propertii Tibullus Lib. 4. Eleg. 2.

Urit seu Tyriâ valuit procedere pallâ.
Urit seu niveâ candida veste venit.

ELEGIA XXVI.

AD CYNTHIAM.

DE INSOMNIO NAUFRAGII.

VIDI ego te in somnis fractâ, mea vita, carinâ
Ionio lassas ducere rore manus,
Et quæcunque in me fueras mentita, fateri,
Nec jam humore graves tollere posse comas;
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
Aurea quam molli tergore vexit ovis.
Quàm timui, ne fortè tuum mare nomen haberet,
Atque tuâ labens navita fleret aquâ.
Quæ tum ego Neptuno, quæ tum cum Castore fratri,
Quæque tibi excepi jam dea Leucothoë?

INTERPRETATIO.

O Mea lux, visus sum mihi inter dormiendum te conspicere in mari Ionio quassatâ nave fessas manus agitare, ac omnia confiteri, quæ in me fueras mentita, teque tunc erigere non posse *capillos madidâ aquâ pendentes.* Vidi, inquam, te talem, *qualis fuit Helle cæruleis undis jactata, postquam eam tulit aries auratus molli dorso. Heu! quam metui, ne forsan nomen tuum æquor illud retineret, & nauta per mare tuum currens casus tuos lamentaretur. Qualia tunc ego vota Neptuno, qualia Castori, germanoque ejus, & qualia tibi, ô diva Leucothoë, nuncupavi.*

ANNOTATIONES.

1. *Vidi te in somnis.*] Somnium narrat eleganter; per quietem, ac dum dormiret, fingit se vidisse, seu potiùs somniasse Cynthiam naufragium fuisse passam.

2. *Ionio rore.*] *Ionium* mare illud est, quod Adriatico connectitur Græciam versus, unde sæpiùs *Ionium* mare pro mari Adriatico sumitur apud auctores. De hoc jam supra sæpiùs.

5. *Agitatam fluctibus Hellen.*] *Helle* Athamantis regis Thebarum & Nepheles filia fuit, quæ minas insidiasque novercales, seu Ino, quam Athamas superinduxerat uxorem, fugiens arietem aureum vellus habentem cum fratre Phryxo conscendit; cum autem Pontum vellet trajicere magnitudine periculi conterrita in mare decidit, cui immersa nomen dedit, quod nunc etiam retinet, vocaturque Hellespontus. Phryxus autem cum in Colchicam regionem pervenisset, arietis pellem auream, seu vellus aureum in templo Martis posuit, postquam eidem Deo arietem ipsum immolasset. Vide Hygin. fab. 1. 2. & 3. Apollodor. lib. 1. Diodor. Sicul. & alios.

6. *Aurea vexit ovis.*] Aries nempe auratus, quem dono dedit Athamas liberis suis Hellæ & Phryxo, quique mactatus à Phryxo dicitur a Jove inter sidera relatus.

9. *Cum Castore fratri.*] Castor & Pollux fratres gemini dicuntur navigantibus prosperi, unde invocabantur a Propertio. De his jam supra.

10. *Leucothoë.*] Matuta dicta est Latinis. Hæc autem, ut fabulantur Poetæ, filia fuit Cadmi, quæ vocabatur Ino, nupsitque Athamanti Thebarum & Thessaliæ regi; cumque aliquando furoribus ipsi à Junone immissis agitaretur, filium suum Melicertam ferens

At tu, vix primas extollens gurgite palmas,
Sæpe meum nomen jam peritura vocas.
Quòd si fortè tuos vidisset Glaucus ocellos,
Esses Ionii facta puella maris;
Et tibi ob invidiam Nereïdes increpitarent,
Candida Nisæe, cærula Cymothoë.
Sed tibi subsidio Delphinum currere vidi,
Qui, puto, Arioniam vexerat antè lyram.

INTERPRETATIO.

Sed tu agrè summas manus tollens ex undis, meum frequenter nomen mox moritura appellabas. Si verò forsitan Glaucus tuos oculos aspexisset; facta fuisses Dea maris Ionii, tibique invidentes Nereides, formosa nempe Nisae, & cærulea Cymothoë conviciarentur. At tibi in auxilium festinare conspexi Delphinum eumdem, ut arbitror, qui Citharam Arionam prius portaverat.

ANNOTATIONES.

scopulum conscendit, ex quo se una cum filio in mare præcipitem dejecit, ipsa verò Deorum miseratione facta est Dea marina *Leucothëa* Græcis, Latinis verò Matuta vocitata. Filius verò ejus dictus est Palæmon. Ovid. lib. 4. Metamorphos.

12. *Nomen meum vocas.*] Nomine meo me invocas? Naufragi namque in extremo discrimine positi sibi caros licet absentes compellare solebant. Virgil. lib. 4. Æneid.

— *Et nomine Dido*
Sæpè vocaturum. — —

Ovid. lib. 11. Metamorphos.

— *Sed plurima nantis in ore*
Alcyone conjux; illam meminitque
refertque.

Ipse etiam Propert. lib. 3. Eleg. 7.

Paete quid ætatem numeras? quid cara natanti
Mater in ore tibi est? —

15 *Vidisset Glaucus ocellos.*] Marinus Deus est *Glaucus* ex piscatore, qui in Deum conversus est gramine gustato, ut refert Ovid. lib. 13. Metamorphos. Hujus igitur loci sensus est: si te *Glaucus* Deus Marinus vidisset, te amasset, Deamque maris effecisset. Fuit & alius *Glaucus* Sisyphi filius, quem narrat Virg. 3. lib. Georgic. ab equabus discerptum. Fuit & alius *Glaucus* Antenoris Trojani filius, quem Agamemnon interfecit, ut refert Dictys Cretensis.

15. *Nereides increpitarent.*] Nymphæ maris dictis contumeliosis, & conviciis lacesserent tuæ invidentes felicitati. *Nereides* porrò fuisse dicuntur Doridis & Nerei filiæ humanam effigiem referentes. Vide Hesiodum in Theogon. & alios.

16. *Candida Nisæ, cærula Cymothoë.*] Nomina sunt præcipuarum Nereïdum.

18 *Arioniam Lyram.*] De servato per Delphinum *Arione tibicine* nota est historia, seu fabula, apud Herodot. Plinium, Solin. ac Ovid. sed maximè Gell. lib. 15. sub finem. Fuit autem *Arion* Citharœdus inclytus, qui cum ex insula Lesbo Corinthum ad Periandrum navigaret, à nautis ipsius pecuniæ inhiantibus jussus est in mare præceps desilire; cumque impetrasset, ut sibi liceret funebre carmen canere, priusquam mortem obiret, ita mirabiliter modulatus est, ut, cùm fuisset in profundum dejectus, statim a Delphine ipsius cantu illecto dorso exceptus sit, ac in Tænarum Laconiæ portum devectus incolumis, antequam nautæ illuc appulissent. Tunc verò relicto ibidem Delphine *Arion* Corinthum properavit, remque, ut gesta fuerat, Pe-

Jámque ego conabar summo me mittere saxo,
Cùm mihi discussit talia visa metus.
Nunc admirentur, quòd tàm mihi pulchra puella
Serviat, & totâ dicar in urbe potens.
Non, si Cambysæ redeant, & flumina Crœsi,
Dicat, de nostro surge poëta toro.
Nam mea cùm recitat, dicit se odisse beatos;
Carmina tam sanctè nulla puella colit.
Multùm in amore fides, multùm constantia prodest;
Qui dare multa potest, multa & amare potest.
Seu mare per longum mea cogitet ire puella,
Hanc sequar, & fidos una aget aura duos.

INTERPRETATIO.

Tumque ego nitebar praecelsâ ex rupe me dejicere, quando timor mihi hujusmodi insomnia dispulit. Jam modò mirentur, quòd tam formosa puella amet me, & per omnem civitatem felix habear; adeò ut illa quamvis opes Cambysæ, Crœsique fluvii iterùm fluerint, dicere non valeat; ô Vates, è meo cubili surge. Cùm enim mea scripta legit; asserit se divites non amare; nulla fœmina adeò religiosè versus veneratur. Plurimùm fidelitas valet, plurimam habet vim constantia. Quicumque plura largiri potis est, ille etiam plura diligere valet. Sive etiam hera mea meditetur navigare per mare remotum, ipsam comitabor, idemque ventus nos amba simul invicem fideliter amantes impellet.

ANNOTATIONES.

riandro narravit; qui tamen verbis Arionis dicitur minimè credidisse, donec etiam ab ipsis nautis historiam habuisset compertam. Dixit autem hic Propertius *Arioniam lyram*, sicut anteà dixit Amphioniam. Eleg. 9. lib. 1.

23. *Cambysæ redeant & flumina Crœsi.*] Ita me amat, inquit, Cynthia mea, ut nec opibus Persicis, nec Crœsi divitiis, seu auro Lydio corrumpi possit, ut me à se excludat.

Cambyses porrò rex fuit Persarum opulentissimus, qui Cyri patris imperio cùm adjecisset Ægyptum, in Deos etiam grassatus, cum aliquando equo descenderet, ense suo vulneratus interiit. De hoc vide Herodot. Justin. & alios.

Crœsus rex fuit Lydiæ in Asiâ minore longè ditissimus; unde finxerunt habuisse ipsum in regno suo fluvios Pactolum, ac Hermum qui ramenta aurea traherent. Scribit autem Strabo lib. 14 ingentes opes Crœsi provenisse ex metallis aureis, quæ in Lydiâ quondam fuisse dicuntur.

25. *Dicit se odisse beatos.*] Dùm mea carmina legit Cynthia, divites divitiasque flocci facit.

28. *Qui dare multa potest.*] Quicumque dives est, ac munificus, multas puellas amare potest. Ut enim Ovid. ait lib. 3. Amor. Eleg. 7. nulla ferè puella donis ac muneribus resistit, sed potiùs:

Imperat ut capta, qui dare multa potest.

Quintilianus declamatione 15. ait: *Divitiis est opus, ne simus in amore miseri, & impotentissimi mali difficultates, illi fortasse non sentiant, quos contrà fastidia cæteresque contemptus explicet felicitas magna pecuniæ.*

29. *Seu mare per longum.*] Nullum se periculum, nullum incommodum recusaturum esse pro suâ Cynthiâ testatur; sed eam quocumque migrare voluerit, secuturum se pollicetur.

30. *Unum litus erit.*] Eodem in litore cum Cynthiâ suâ sub eâdem arbore

Unum littus erit sopitis, unaque tecto
Arbor, & ex unâ sæ è bibemus aquâ.
Et tabula una duos poterit componere amantes,
Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit.
Omnia perpetiar, sævus licet urgeat Eurus,
Velaque in incertum frigidus Auster agat,
Quicunque & venti miserum vexastis Ulyssem,
Et Danaûm Euboïco littore mille rates,

INTERPRETATIO.

Idem littus quiescentes nos pariter habebimus, eadem arbor nobis erit pro tecto, ex eodemque frequenter liquore & poculo bibemus; unicaque tabula ambos nos amantes poterit continere, sive mihi prora, sive puppis lectus erit. Omnia patiar, quamvis furens Eurus instet, ac carbasa gelidus Auster in incertum huc, illuc impellat. vosque omnes flatus quicumque infelicem Ulyssem exagitastis, milleque Danaorum naves in Euboico mari jactastis, & qui duo

ANNOTATIONES.

quieturum, ex eodem fluvio aut fonte bibiturum se promittit Propertius. His porrò significat periphrasticωs se semper cum sua Cynthia in eadem domo, sub eodemque tecto mansurum, iisdemque cibis usurum, adeò ut semper ambos in amore certos ac constantes idem ventus impellet.

32. *Et tabula.*] Hic *tabula* pars est exigua navis, quæ sanè ex tabulis compacta est.

34. *Sævus urgeat Eurus.*] Eurus ventus est spirans ab Oriente æquinoctiali, oppositus Zephyros dicitur etiam Subsolanus Latinis, Græci verò vocant Apelioten.
Ovidius lib. 1. Metamorphos.

Eurus ad Auroram Nabathæaque regna recessit.

Vocatur autem à nostro Poëtâ *sævus Eurus*, ut à Virgilio violentus, præceps & animosus, quia ciet procellas ac tempestates in mari præsertim mediterraneo.

35. *Frigidus Auster.*] Ventus est *Auster* flans à meridie, Boreæ oppositus, qui dicitur *frigidus*, madidus ac pluviosus, quòd maximè pluvias & nimbos inducat. Unde Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Aut gelidas hibernus aquas cùm fuderit Auster

Virgil. lib. 4. Georgic.

Frigidus ut quondam silvis immurmurat Auster.

Auster porrò Græcis dicitur νότος, Latinè Notus apud Virgil. lib. 1. Æneid.

Tres Notus abreptas &c.

37. *Venti vexastis Ulyssem.*] Sæpiùs apud Homerum legitur *Ulysses* à ventis tempestatibusque vehementer agitatus. Homerus enim lib. 5. Odyss. narrat atrocissimam à Neptuno fuisse concitatam in *Ulyssem* ventis omnibus cum furenti impetu ruentibus, ac undosum mare vehementer agitantibus tempestatem; adeò ut, fracto navigio, vix Deæ Leucothoës ope, & auxilio exitium evaserit.

Idem etiam Homerus lib. 10. Odyss. ait ventos omnes utre conclusos ab Æolo fuisse datos *Ulyssi* hospiti, ut faciliùs in patriam remearet; sed utrem cum Ulyssis socii spe prædæ thesaurum esse putantes solvissent, reflantibus undique ventis, magna concitata tempestas est, quâ jactatus *Ulysses* denuò à littoribus Ithacæ patriæ in Æoliam repulsus est. Denique lib. 12. Odyss. dicitur à Jove tanta ventorum in invicem sævientium excitata tempestas, ut vix *Ulysses* incolumis enataverit. Porrò de hoc verbo *vexastis*, vide Gell. lib. 2. cap. 6.

38 *Danaum mille rates.*] Danai Græci sunt, à *Danao* Beli filio sic dicti. *Mille* porrò dicuntur ad Trojam expu-

Et qui movistis duo littora, cùm rudis Argus
Dux erat ignoto missa columba mari.
Illa meis tantum non unquam desit ocellis,
Incendat navem Juppiter ipse licet.

Interpretatio.

littora concurrere fecistis, quando columba dux Argûs inexperta in aquore incognito omissa est. Dummodo ipsa Cynthia ab ocullis meis saltem nusquam absit, tunc Iuppiter, si vult, comburat navem.

Annotationes.

gnandam isse Græcorum naves; qui quanquam numerus non fuit forsan ad amussim complexus, ita tamen loqui Solent Poëtæ, ut Virgil. lib. 2. Æneid.

Non anni domuêre decem, non mille carina.

Homerus autem lib. 2. Iliad. mille centum octoginta & sex naves Græcorum in Trojam proficiscentium numerat. Dares verò mille centum & quadraginta, Dio mille & ducentas, Euripidis Scholiastes mille centum & septuaginta fuisse affirmat.

Euboico littore.] Vel Aulidis ad Euboeam insulam portum intelligit, ubi diu classem Græcorum adversa tempestas detinuit, ut testatur Ovid. lib. 13. Metamorphos.

Aulidaque Euboicam complerunt mille carina.

Vel Caphareus Euboëæ insulæ promontorium significatur, quia nimirum ibi classis Græcorum post deletam Trojam in patriam redeuntium, Nauplii dolo, naufragium fecit. Cùm enim propter Cassandram ab Aiace Oileo fœde in Minervæ templo stupratæ spurcissimam in Græcorum è Troja redeuntium classem immulisset tempestatem; id sentiens Nauplius Palamedis pater filium Ulyssis operâ miserè interemptum dolens, ejusdemque filii mortem ulcisci cupiens, Græcis tempestate laborantibus ex Caphareo monte, seu promontorio ignem ostendit tanquam signum, quod sequi deberent. Græci verò credentes portum esse tutissimum, illuc adnavigarunt, ac sic inter cautes scopulosque asperrimos naufragium fecerunt plurimique miserabiliter perierunt. Propertius noster Eleg. 1. lib 4.

Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Graeia pressa suis.

Virgil. lib. 11. Æneid.

——— Sic triste Minerva
Sidus, & Euboica cautes, ultorque Caphareus.

39. *Movistis duo littora.*] Id est concurrere fecistis duas rupes in utroque littore positas, quæ Symplegades, seu Cyaneæ dicuntur. Sunt autem Symplegades, seu Cyaneæ duæ insulæ, seu potiùs duo scopuli, qui in Ponti Euxini faucibus ad Bosphorum Thracium dispositi sunt, ut ex adverso venientibus gemini cernantur, paululùm verò in alterum latus deflexâ acie in unum coire, adeoque concurrere invicem videantur.

Cum rudis Argûs.] Cum nempe primùm Argo navis disceret navigare. Tunc enim erant navigationis rudimenta, cùm nulla navis anteà fuisset experta mare. Lucanus lib. 3.

Inde lacessitum primum mare, cum rudis Argo
Miscuit ignotas temerato littore gentes.

Valerius autem Flaccus lib. 4. Argonauticon, scribit Argonautas; cùm ad Symplegadas, seu Cyaneas venissent, ancipiti discrimine fuisse vexatos, magnumque fuisse passuros infortunium, nisi Pallas & Juno scopulos illos continuissent.

40. *Dux erat columba*] Argonautis columba dux itineris est data, quæ viam monstraret, præcipiente Phineo.

42. *Incendat navem Jupiter.*] Alludit

Certè iisdem nudi pariter jactabimur oris.
Me licet unda ferat, te modò terra tegat.
Sed non Neptunus tanto crudelis amori,
Neptunus fratri par in amore Jovi.
Testis Amymone, latices cùm ferret in arvis
Compressa, & Lernæ pulsa tridente palus.
Jam Deus amplexu vorum persolvit; at illi
Aurea divinas urna refudit aquas.

INTERPRETATIO.

Nos simul unà profectò easdem in oras tempestate agitabimur; non mihi durum erit si mare me absorbeat, dummodò te, ô Cynthia, *terra servet. At Neptunus tam magno amori non erit sævus, Neptunus,* inquam, qui *germano suo Jovi in amore par est. Testis est Amymone* ab ipso *stuprata, dùm in agros aquam portaret, ac Lerna palus tridente percussa. Iam Deus ille vota persolvit optatis potitus; sed ipsi urceus aureus aquas divinas effudit.*

ANNOTATIONES.

Poëta ad navem Ajacis Oilei, quam patris Jovis fulmine Pallas incendit, cùm post excidium Trojæ rediret in patriam, quod is, captâ Trojâ, Cassandram virginem, Priami filiam, vaticinandi munere insignem in ipsius Palladis templo vitiavisset. Virgil. lib. 1 Æneid.

——— *Pallasne exurere classem*
Argivûm potuit, atque ipsos submergere Ponto,
Unius ob noxam & furias Ajacis Oilei?

Homerus tamen lib 4. Odyss. refert Ajacem Oileum à Neptuno fuisse submersum, quod invitis Diis se è fluctibus, & procellis evasurum impudenter jactasset.

Forsan etiam hoc loco intelligitur Ulyssis ipsius navis, quam eodem suo fulmine ita Juppiter afflixit, ut vix solus Ulysses evaserit, ob interfectas ab ejusdem Ulyssis sociis boves Solis; ut idem narrat Homerus Odyss lib. 12.

Significat porrò Propertius, modò simul unà cum suâ Cynthiâ sit in eâdem navi, se libenter omnes illos ventos ac tempestates perpessurum, quibus Ulysses, classis Græcorum, ac Argonautæ quondam vexati sunt.

46. *Neptunus fratri par, &c.*] Non pateretur, inquit, Neptunus nos amantes naufragio perire, cùm ipse faveat amantibus, Jovisque germani sui, qui maximus est amator mulierum, vestigiis insistat.

47. *Testis Amymone.*] Amorum Neptuni ponit exemplum. Fuit autem Amymone Danai filia, quæ in sylvâ quærens aquam, quòd Neptunus iratus Inaccho siccavisset aquas & fontes, imprudens Satyrum dormientem jaculo percussit, qui sic à somno excitatus, puellæque amore captus, ipsam violare conabatur, cùm Neptunus adveniens, fugato Satyro, eam compressit, eique fontem indicavit, quem Amymonem vocari voluit. Ex hoc autem complexu natus dicitur Nauplius Palamedis pater. Sed hanc fabulam omninò falsam esse contendit Strabo lib. 8.

48. *Lerna pulsa tridente palus.*] Narrat Hyginus fab. 169. Neptunum, postquàm Amymonem vitiasset, terram fuscinâ, seu tridente suo percussisse, unde profluxerit fons, qui *Lernæus* dictus est, ex quo etiam *Lerna* palus in Argivorum agro.

50. *Urna refudit aquas.*] Hoc est, pro illâ aquâ effusâ, quam Amymone gestabat in urnâ, Neptunus illi divinas aquas, fontem scilicet procreando, Lernamque paludem restituit.

Crudelem

Crudelem & Boream rapta Orithyia negavit.
Hic Deus & terras & maria alta domat.
Crede mihi nobis mitescet Scylla, nec unquam
Alternante vorans vasta Charybdis aquâ.
Ipsaque sydera erunt nullis obscura tenebris;
Purus & Orion, purus & hœdus erit.

INTERPRETATIO.

Orithyia quoque rapta Boream fuisse sævum non questa est. Iste Deus & terras & profunda æquora imperio suo subjicit. Fidem habe mihi, placida nobis erit Scylla, neque usquam ingens Charybdis alterno gurgite cuncta absorbens nobis occurret. Astra etiam nulla caligine, nullisque tenebris obscurabuntur, nobisque erit serenus Orion, serenusque etiam Caper.

ANNOTATIONES.

51. *Crudelem Boream.*] Boreas Strymonis filius Orithyiam Erictbei Athenarum regis filiam rapuit, in Thraciamque transtulit, ex quâ Zethen & Calaim suscepit, qui cum cæteris Argonautis in Colchidem navigantes Harpyias fugaverunt.

Significat porrò Propertius Boream etiam ventum non sævire solere in amantes, cùm ipse amaverit, rapueritque Orithyiam, quæ ipsum raptorem suum non est experta *crudelem*, nec de ipsius sævitia conquesta est; nam ut ait Ovidius:

Vim licet appellent, grata est vis ista puellis.

52. *Hic Deus & terras &c.*] Tantæ namque virtutis ac potentiæ Deus est Cupido, seu Amor, ut omnia domet, sibique subjiciat. Juxta illud Virgil. Eclog.

Omnia vincit Amor; & nos cedamus Amori.

53. *Mitescet Scylla.*] *Scylla*, inquit, mitior fuit, & Charybdis, quia & ipsæ amarunt. De *Scylla* jam suprà dictum est pluribus. Scopulus est in freto Siculo, quod Mamertinum dicitur, valdè prominens, procul intuentibus speciem præbens humanam, infra verò scopulos invicem divisos habens, in quibus cavernosi sunt recessus, in quos irruentes, illisique fluctus undarum ingenti sonitu canum latratum, luporumque ejulatum, aliorumque animalium voces referre, ac imitari videntur; unde Poëtæ commenti sunt *Scyllam* fœminam fuisse, quæ pube tenus canibus, aliisque feris esset succincta. Nonnulli scripserunt *Scyllam* fuisse meretricem, quæ cum suos amatores degluberet, indignatione Deorum in maris monstrum conversa sit. Alii aliud fabulari sunt.

54. *Vasta Charybdis.*] Gurges est *Charybdis* scriptoribus celebratissimus, navigantibus infestissimus, ex adverso Scyllæ in eodem freto Siculo positus, contrariis ac reciprocis modò fluctuum concursibus in miram altitudinem assurgens, certis modò temporum vicibus naves, ac obvia quæque absorbens, iterumque evomens. Unde Virg. lib. 3. Æneid

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat undâ.

Fabulantur autem fœminam fuisse *Charybdim* rapacissimam, quæ cùm Herculis boves surripuisset, à Jove fulminata in hanc voraginem fuit commutata. De Scylla porrò & *Charybdi*, si plura desideras, vide Pausaniam in Corinthiac.

56. *Purus & Orion.*] Ipsa, inquit, sidera, quæ suaptè naturâ procellosa sunt ac nimbosa, nobis navigantibus

Quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita,
  Exitus hic nobis non inhonestus erit.

INTERPRETATIO

Si verò pro te vita mihi sit profundenda; iste vitæ finis mihi non erit inglorius, nec indecorus.

ANNOTATIONES.

erunt purissima, tersissima, ac lucidissima, quia favent amantibus quorum amores vident furtivos; ut supra vidimus, *sidera sunt testes*. Eleg. 9. hujus libri.

Orion autem sidus est nimbosum ac procellosum, quod exortu suo gravés dicitur excitare tempestates. De hoc jam suprà pluribus.

Purus & Hœdus erit.] Sidus etiam est in cœlo, ad cujus ortum etiam dicuntur concitari tempestates. Duo autem esse dicuntur Hœdi, de quibus Servius lib. 1. Georgic ait: *Auriga signum in humeris fert capram, quæ bovem alvit, & sinistra Hœdos, quorum & ortu, & occasu concitatur tempestas.* Virg. lib. 9. Æneid.

Quantum ab occasu veniens pluvialibus Hœdis
Verberat imber humum, ——

ELEGIA XXVII.

QUOD INCERTA SIT HORA MORTIS.

AT vos incertam mortales funeris horam
  Quæritis, & quâ sit mors aditura viâ.
Quæritis & cælo Phœnicum inventa sereno,
  Quæ sit stella homini commoda, quæque mala.
Seu pedibus Parthos sequimur, seu classe Britannos,
  Et maris & terræ cæca pericla viæ.
Rursus & objectum fletis capiti esse tumultum;
  Cùm Mavors dubias miscet utrinque manus.

INTERPRETATIO.

Sed vos, ô homines, dubiam horam inquiritis, quâque ratione & modo sit eventura mors. Vos etiam inquiritis Phœnicum commenta, puro cælo, quodnam sidus sit homini faustum & amicum, quodnam infestum; Sive pedibus Parthos sive bello navali Britannos persequamur, & maris & terræ itineris ignota sunt æquè & obscura discrimina. Præterea etiam doletis oblatam fuisse duci prælii occasionem, quando Mars dubius ex utraque parte copias incitat & confundit.

ANNOTATIONES.

1. *AT vos incertam.*] Multi, cum Scaligero cum superiore Elegiam hanc conjungunt, unamq; faciunt. Significat autem Poëta mortalium vota esse vana, qui ab astrologis & mathematicis quærunt quando, & quo mortis genere sint morituri. Dicit autem solos amatores esse, qui noverint, quando, & quo sint fato perituri, mortemque cæteris omnibus incertam esse.

3. *Phœnicum inventa*] Astrologiam scilicet, quam dicuntur *Phœnices* invenisse, ut refert Strabo lib. 16. qui testatur à Phœnicibus ad Græcos litteras, Astronomiam, & Arithmeticam manasse. Plinius etiam lib. 5. cap. 12. ait. Ipsa gens *Phœnicum*, quæ Syriæ adjacet, *in magna gloria est litterarum inventionis, & siderum navaliumque & bellicarum artium.* Refert autem Eusebius lib. 9. præparat. Evangel. *Phœnices* ab Abrahamo Chaldæo didicisse siderum cursus & Astrologiam, quam posteà cæteris gentibus communicarunt.

4. *Quæ sit stella homini commoda.*] Dicunt Astrologi quædam sidera hominibus esse benigna, felicia, ac benefica, quædam verò gravia, inimica, ac infesta. De his videndus est Ptolomæus [illegible]. & Macrob. in somnium Scipionis, ubi latè disseritur, cur stellarum aliæ maleficæ, aliæ salutares esse dicantur.

5. *Seu pedibus Parthos sequimur.*] *Parthi* populi sunt Asiæ bellicosissimi, Persis vicini, qui fugientes etiam detrimenti plurimum jacula dexteritate mira vibrando hostibus afferebant. Alludit autem Propertius ad expeditionem Augusti in *Parthos* quos cum Britannis conjungit, quod utrosque populos Augustus armis lacessiverit.

Seu classe Britannos.] Sive bellum terrestre cum *Parthis*, sive navale cum Britannis aggredimur. *Britanni* populi sunt Britanniæ insulæ ad Solem occidentem in Oceano Septentrionali positæ, quæ nunc Anglia dicitur, incolæ.

8. *Cum Mavors.*] Cùm Mars copias, manus conferere jubet, & dimi-

Præstereà domibus flammam, domibusque ruinam
Neu subeant labris pocula nigra tuis.
Solus amans novit quando periturus, & à qua
Morte, neque hic Boreæ flabra, neque arma timet;
Jam licet & stygia sedeat sub arundine remex,
Cernat & infernæ tristia vela ratis;
Si modo clamantis revocaverit aura puellæ
Concessum nullâ lege redibit iter.

INTERPRETATIO.

Insuper etiam timeris *ne tectis inferatur ignis & ruina, & ne subrepant in os tuum potiones venenatæ. Solus amator scit, quando moriturus sit, & quo* genere *mortis* sit ipsi occumbendum; *nec ipso Borea flatus nec bella metuit Quamvis etiam jam remex ad stygias arundines sedeat, ac tartareæ cymbæ atra carbasa conspiciat; tunc* tamen *si solummodo flatus vocis puellæ clamantis* ipsum *in vitam redire jusserit*, ille statim *viam repetet nullâ fatorum lege permissam.*

ANNOTATIONES.

care incerto & ancipiti rerum eventu. Martem porrò Deum belli præsidem *Mavortem* nominabant antiqui.

10. *Pocula nigra.*] Tetra venena, & ut suprà dixit pocula Phædræ, & *lurida aconita.*

12. *Boreæ flabra.*] Hoc est flantes ventos nullo modo timet. De Borea vento Septentrionali jam sæpiùs & pluribus dictum est.

13. *Stygia sedeat sub arundine remex.*] Vario modo varii locum hunc interpretantur. Alii volunt *Arundinem Stygiam* Charontis inferorum portitoris cymbam intelligi; quod nimirùm antiquitùs ex arundinibus navigia conficerentur; ut refert Plin. lib. 16 cap. 36. atque etiam Diodorus, Solinus, & Mela, adeò ut Propertii sensus sit. Si amator jam sedeat *remex* in Cymba *Stygia* Charontis, & remo verrat undas Acherontis; si tamen illum lenissima puellæ conquerentis voculæ aura revocaverit ad vitam, statim redibit. Dicunt enim umbras mortuorum Acherontem transire cupientes in Cymba Charontis sedere, remigisque officio fungi; unde Virgil. lib. 6. Æneid.

—— *Illa remis vada livida verrunt.*

Alii per *arundinem Stygiam* intelligi volunt & calamos, & arundines ad ripam Stygis paludis forsan crescentes, ubi sedere dicuntur animæ mortuorum cymbam Charontis expectantes juxta illud Virgilii lib. 4. Georgic.

Quos circùm limus niger, & deformis arundo
Cocyti, tardâque palus innabilis undâ.
Alligat.

14. *Vela ratis infernæ.*] Stygiam Cymbam vocat Virgilius lib. 4 Georgic. de qua etiam noster Poëta Elegia proximè sequenti.

Una ratis fati nostros portabit Amores,
Cærula ad infernos velificata lacus.

16. *Concessum nulla lege.*] Mortis ac inferorum iter est irremeabile, neque ullâ lege conceditur ad redeundum; unde noster Catullus carm. 3. v. 11.

—— *It per iter tenebricosum,*
Illuc, unde negant redire quemquam.

ELEGIA XXVIII.

AD JOVEM

PRO AMICA ÆGROTANTE.

JUPPITER affectæ tandem miserere puellæ;
Tam formosa tuum mortua crimen erit.
Venit enim tempus, quo torridus æstuat aër,
Incipit & sicco fervere terra cane.
Sed non tam ardoris culpa est, neque crimina cœli;
Quam toties sanctos non habuisse Deos.
Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante puellas,
Quicquid jurarunt ventus & unda rapit.

INTERPRETATIO.

O Juppiter, aliquando demum graviter ægrotantis amicæ meæ miserescito: si tam pulcra puella *moriatur, tuum erit flagitium. Adest namque tempestas, quâ fervidus aër ardet, ac tellus incipit æstuante Caniculâ torreri. At,* si puella ægrotat, *non tam caloris, nec aëris est crimen; quàm tam sæpè sancta Deorum numina violasse. Istud nunc perdit, sicut & olim perdidit infelices & scelestas puellas: quodcumque juraverunt, ventus & aqua auferunt.*

ANNOTATIONES.

1. *JUppiter affecta.*] Precatur Jovem, ut opem ferat graviter ægrotanti Cynthiæ, eamque a morbo servet incolumem, cujus morbi causam esse *puellarem* superbiam, Deorumque contemptum significat. *Affecta*, id est periculosè & graviter ægrotanti seu languenti. Sueton. in Tiber. cap. 21. *Affectum reperit & tamen adhuc spirantem.* Celebris ac solemnis Cornel. Celso hujusmodi locutio, qui sæpiùs ait. Ubi *lien affectus est: renes ubi affecti sunt: pulmo totus afficitur.*

4. *Fervere terra cane.*] *Siccus* dicitur *canis*, seu *sicca canicula*, quòd agros & terras *siccas* & arentes efficiat. Quemadmodum mors dicitur pallida & frigida, æstas torrida, & tremula senectus, ab affectibus quos producunt. *Canis* autem seu *canicula*, Græcis Procyon, sidus est, quod dum percurrit Sol, graviores excitantur calores.

6. *Sanctos non habuisse Deos.*] Ille *sanctos habet Deos*, qui sibi violandos eos non esse statuit. *Sanctum* enim illud est, quod ab hominum injuria defensum atque munitum est. Dicit autem Propertius non tàm nimios tempestatis æstus, cælique intemperiem esse causam ægrotationis Cynthiæ suæ, quam irreligiositatem, seu Deorum contemptum.

8. *Ventus & unda rapit.*] In hanc etiam sententiam noster Catullus:

Mulier cupido quod jurat amanti
In vento & rapidâ scribere oportet aqua.

Ita etiam Plautus in Amphit. *Mulier et, audacter jurat. Ventus rapit. Autant en emporte le vent.*

Andromede monstris fuerat devota marinis,
Hæc eadem Persei nobilis uxor erat.
Calisto Arcadios erraverat ursa per agros;
Hæc nocturna suo sydere vela regit.
Quod si fortè tibi properarint fata quietem,
Illa sepulturæ fata beata tuæ.
Narrabis Semelæ quo sit formosa periclo,
Credet & illa suo docta puella malo.
Et tibi Mœonidas, interque Heroïdas omnes
Primus erit nullâ non tribuente locus.

INTERPRETATIO

Andromede fuerat monstro marino exposita; illa tamen ipsa fuit posteà Persei conjux illustris. Callisto in ursam conversa per arva Arcadica pervagata fuerat; nunc ista eadem naves noctu navigantes suo sidere dirigit. Quod si forsan tibi Parca placidam mortem accleraverint; felix illa mors tua sepulturæ erit; tu Semelæ referes quanto periculo sit pulcra; ipsa verò tibi credet suo malo experta formosas non carere *periculo. Tibi etiam princeps locus inter Mœonias Heroïnas omnibus sine controversia consentientibus dabitur.*

ANNOTATIONES.

nupsisset, Phryxum & Hellem privignos, Nephelesque ex eodem Athamante liberos novercalibus odiis eo compulit, ut conscenso aureo ariete sibi fugâ consulerent; unde per Junonem furiis agitata multas regiones cùm peragravisset, in mare cum Melicerte filio sese dedit præcipitem, ac Deorum miseratione Dea facta est marina *Leucothoë* dicta, apud Græcos, apud Latinos verò Matuta.

21. *Andromede.*] Cephei regis Æthiopum, & Cassiopes filia fuit, quæ cùm ob matris superbiam, quæ Nereides omnes pulcritudine & formâ superare se gloriabatur, a Nymphis marinis saxo alligata fuisset, ac monstro marino exposita, ut devoraretur, à Perseo illàc iter faciente liberata est, ac ipsi in uxorem data.

23 *Callisto.*] Lycaonis Arcadiæ regis filia fuit. quæ ex Jove, qui ipsam adamavit, Arcadem filium peperit. Cùm autem fuisset aliquando à Junone in Ursam conversa, Jovis miseratione & ope in cœlo collocata est, ac vocata Major Ursa; Græcis Helice dicta est, qui maximè eam in navigando observabant. Unde Ovid, ad mentem Propertii:

—— *Helicen Graia carina notat.*

27. *Semela.*] Fingit Propertius in campis Elysiis confabulari ad invicem mortuos, suosque amores & casus commemorare. *Semele* porrò filia fuit Cadmi Thebarum regis, ex qua Juppiter Bacchum genuit. Diodorus scribit *Semelen* ultimam fuisse fœminam, cum qua Juppiter concubuerit.

28. *Credet & illa.*] O Cynthia, inquit, si fortè morieris, narrabis Semelæ matri Bacchi, quanto formosæ puellæ sint obnoxiæ periculo, à quo nec propter formam servantur incolumes; quod etiam ipsa credet experta suam formositatem excidium sibi peperisse, quando nempè fulmine Jovis extincta est; ut narrat Ovidius Lib. 3. Metamor.

29. *Mœonias inter Heroïdas.*] Hoc est, Asiaticas, Lydias scilicet, Phrygias, & Trojanas. *Mœones* enim populi sunt iidem qui Lydi, Phrygibus maximè vicini. Alii volunt per *Mœonias Heroïdas* intelligi fœminas omnes, quas celebravit Homerus, qui *Mœonides* dicitur.

Si non unius, quæso miserere duorum:
  Vivam, si vivet; si cadet illa, cadam.
Pro quibus optatis sacro me carmine damno,
  Scribam ego, per magnum est salva puella Jovem.
Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit,
  Narrabitque sedens longa pericla sua,
Hæc tua Persephone maneat clementia, nec tu
  Persephones conjux sævior esse velis.
Sunt apud infernos tot millia formosarum;
  Pulcra sit in superis scilicet una locis.
Vobiscum est Iope, vobiscum candida Tyro,
  Vobiscum Europe, nec proba Pasiphaë.
Et quot Troja tulit, vetus & quot Achaïa formas,
  Et Phœbi, & Priami diruta regna senis.

INTERPRETATIO.

O Juppiter, *oro, si non solius* Cynthiæ, *saltem amborum* nostri *miserere*: *salvam oro, si salva erit; si ipsa moriatur, ego quoque moriar. Propter quæ vota sancto me tibi versu devoveo: ego semper & ubique scriptis prædicabo*, quod *amica mea* Cynthia *per magnum Jovem salva est & incolumis. Ipsa etiam ante tuos pedes operto capite provolvetur, ibique residens plura discrimina, quæ te opitulante, evasit, commemorabit. Ista tua mansuetudo, ô Persephone, permaneat, neque tu, ô* Pluto, *Persephones sponse, velis esse immitior. Sunt* enim *in Inferis tot pulcrarum puellarum millia: sine, ut ista formosa* Cynthia *remaneat in* nostris *regionibus superis. Est vobiscum Iope; est & formosa Tyro, est vobiscum Europe, ac etiam improba Pasiphaë.* Sunt etiam illæ, *vobiscum, quascumque* quondam *Troja, & Achaja antiqua, ac Theba, ac regna eversa longævi Priami habuerunt.*

ANNOTATIONES.

43. *Me carmine damno.*] Ad illud me tibi carmen faciendum obligo, quod nempe sequitur:

——— *Per magnum est salva puella Jovem*;

quemadmodum suprà dixit Eleg. 14. Libri præsentis.

Taleque sub nostro nomine carmen erit.

47. *Hæc tua, Persephone.*] Ad Proserpinam, quæ Græcis *Persephone* dicitur. & ad Plutonem ejus conjugem apostrophe; ut Cynthiæ velint ignoscere, quod si fecerint, magnum clementiæ ac benignitatis suæ dabunt monimentum.

51. *Vobiscum est Iope.*] Quænam est *Iope* nusquam reperio: puto autem per *Iopen* Andromedem intelligi, quæ reverà fuit Palæstinæ, in qua regione est *Iope* civitas, quod nomen forsan habuit ipsa Andromede, *Iope* etiam dicta, vel ab ejus matre Cassiope. Alii legunt *Iole*, quæ fuit Euryti regis Oechaliæ filia, quam Hercules adamavit.

Candida Tyro.] De *Tyro* Salmonei regis filia jam suprà diximus. De qua etiam cecinit Ovid.

Criminis est Tyro fabula vana tui.

52. *Europe.*] Agenoris Phœniciæ regis filia, quam Juppiter rapuit versus in taurum, ac in Cretam transvexit, ex eaque Minoëm regem Cretæ genuit, v. de Ovid. Lib. 2. Metamorph.

Pasiphae.] Solis filia, Minoïs Cretensium regis uxor, de qua jam suprà pluribus dictum est. *Pasiphaes* etiam fabulam narrat infrà Propert. Eleg. 32. hujus Libri.

53. *Achaja.*] Nobilis & antiqua Græciæ regio cujus caput fuit Corinthus. Formæ hîc ponuntur pro mulieribus insigniter formosis, quibus olim abundavit Græcia.

54. *Et Phœbi & Priami regna.*] Trojam urbem significat, cujus, ut ait Virg.

Et quæcumque erat in numero Romana puella,
Occidit, has omnes ignis avarus habet.
Nec forma æternum, haud cuiquo, est fortuna perennis;
Longiùs, aut propiùs mors sua quemque manet.
Tu quoniam es mea lux magno demissa periclo,
Munera Dianæ debita reddo choro.
Redde etiam excubias divæ nunc, ante juvencæ,
Votivas noctes & mihi solve decem.

INTERPRETATIO.

Occubuerunt etiam, quotquot erant in pretio Romanæ fœminæ; istas omnes obsumpsit avida rogi flamma: Neque pulcritudo bonum est perenne, neque est ulli fortuna æterna; serius, citiusve quemlibet sua mors manet. Tu verò, ô mea vita, quandoquidem magno periculo liberata es; offer dona Dianæ choro promissa; persolve quoque vigilias decem. Deæ, quæ quondam fuit vacca; mihi denique redde etiam decem noctes votivas.

ANNOTATIONES.

gilius, *Cynthius auctor*, & Rex Priamus. Alii legunt: *Et Thebæ & Priami*, &c. quod benè etiam potest convenire.

56. *Ignis avarus.*] Ignis Tartareus & infernus, cui nihil unquam satis est; vel potiùs insatiabilis rogi flamma, de qua dixit Ovid.

Effugiunt avidos carmina sola rogos

57. *Nec forma æternum.*] De pulcritudine & *forma* omnium elegantissimè dixit Domitianus apud Suetonium. *Scias nec gratius quicquam decore, nec brevius.* De hac etiam eleganter suo more Tibullus.

Crudeles divi ———
Forma non ullam fata dedêre moram.

60. *Munera Dianæ.*] Præmia salutis tuæ, donaque Dianæ promissa. *Choros* autem ducere solebant in sacris Deorum, quorum laudes in votis persolvendis canebant.

61. *Excubias Divæ, &c.*] In sacris Isidis, quæ fuit olim vacca, excubiæ à puellis peragebantur, qualia erant Cereris pervigilia, in quibus ante fores templi jacebant, ut vidimus apud Tibullum Lib. 1. Eleg. 3.

Ut mea votivas persolvens Delia noctes
Ante sacras lino tecta fores sedeas.

62. *Votivas noctes decem.*] Quia tantumdem sacris Isidis fuerat operata Cynthia, dum pro recuperatâ salute vota persolverat.

ELEGIA XXIX.

AD CYNTHIAM.

HESTERNA, mea lux, cum potus nocte vagarer,
Nec me servorum duceret ulla manus;
Obvia nescio quot pueri mihi turba minuta
Venerat, hos vetuit me numerare timor;
Quorum alii faculas, alii retinere sagittas,
Pars etiam visa est vincla parare mihi.
Sed nudi fuerant, quorum lascivior unus,
Arripite hunc, inquit, nam bene nostis eum.
Hic erat, hunc mulier nobis irata reliquit.
Dixit, & in collo jam mihi nodus erat.
Hic alter jubet in medium propellere, & alter,
Intereat qui nos non putat esse Deos.
Hæc te non meritum totas expectat in horas,
At tu nescio quas quæris inepte fores.

INTERPRETATIO.

O *Mea vita, hesternâ nocte vino plenus cum errarem, nullaque me famulorum turba domum reduceret, parvulum agmen mihi occurrit, nescio quot puers;* (*ipsos* enim *numerare per metum non licuit;*) *quorum quidam faces, quidam verò tela tenere visi sunt, quadam quoque pars mihi catenas praeparare videbatur. At erant* omnes *nudi, quorum unus petulantior, irruit in istum* hominem, *ait, probè enim ipsum cognoscitis. Ille est*, quem quærebamus, *istum puella* Cynthia *ipsi infensa nobis constitutâ mercede* vexandum *tradidit. Ut locutus est, statim mihi collo vinculum injectum est. Ille alius praecipit socios suos in medium protrudere; alius verò dixit, pereat ille qui nos non existimat esse Deos. Ista* tua Cynthia *te tam* fida amica *indignum expectat ad quamcumque dies noctisque horam; tu verò, ô stulte, nescio qualem januam inquiris.*

ANNOTATIONES.

1. *HEsterna mea lux.*] Refert Poëta, quomodo vinolentus ac largè potus, dum solus nocturno tempore vagaretur, vinculis fuerit constrictus à Cupidinibus, ac domum Cynthiæ reductus.

2. *Servorum manus*] Puerorum multitudo, qui heris à cœna redeuntibus esse debent obvii, ut eos domum deducerent.

3. *Turba minuta.*] Cupidinum, seu Amorum agmen intelligit, qui quotquot sunt omnes pueri finguntur. Unde & Apuleius Lib. 10. *Verùm circumfusa populo lasciviorum parvulorum.*

5. *Alii faculas* &c.] Vigilantis somnium est, quo fingit Poëta numerosam esse Cupidinum multitudinem, quorum dicit alios parvis facibus, alios sagittis armatos fuisse, alios in manibus habuisse vincula, quibus ipsum illigarent. Hæc omnia etiam Ovidius Cupidinum arma esse testatur.

Altera tela arcus, altera tela faces.

9. *Hic erat*, &c.] Ponitur *erat* pro est. Verba sunt, iratarum more prolata, desuntque aliqua, ut sensus sit, Hic ipse est, quem quærendum, vexandumque suscepimus.

Quæ cum Sidoniæ nocturna ligamina mitræ
  Solverit, atque oculos moverit illa graves,
Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
  Sed quos ipſe ſuis fecit Amor manibus.
Parcite jam fratres, jam certos ſpondet Amores,
  Et jam ad mandatam venimus ecce domum.
Atque ita me injecto duxerunt rurſus amictu,
  I nunc, & noctes diſce manere domi.
Mane erat, & volui ſi ſola quieſceret illa
  Viſere, at in lecto Cynthia ſola fuit.
Obſtupui, non illa mihi formoſior unquam
  Viſa, neque oſtrinâ cùm fuit in tunicâ,
Ibat & hinc caſtæ narratum ſomnia Veſtæ,
  Neu ſibi, neve mihi quæ nocitura forent.

INTERPRETATIO.

Cùm autem iſta tua Cynthia *nocturn redimicula, ligaturaſque Sidoniæ mitra diſſolverit, ac oculos ſomno gravatos ſuſtulerit, odores aſpirabunt tibi non de meſſibus, Arabum, ſed quos Amor ipſe manibus ſuis concinnavit. Ignoſcite nunc, ô fratres, nunc fideles ac conſtantes promittit Amores; ecce etiam modo pervenimus domum, ad quam juſſi ſumus* illum hominem deducere. *Et ſic iterùm me perjectâ veſte deduxerunt. Abi modò, inquiunt, ac diſcito noctu domi remanere. Erat manè, & cupivi videre, an ſola puella cubaret; & in cubili ſola Cynthia jacebat. Ipſam ſum admiratus, intentis oculis: nunquam* enim *mihi pulcrior apparuit; neque etiam quando purpureâ tunicâ induta nitebat, atque hinc procedebat ſomnia ſua delatum Veſtæ pudicæ, ne ipſi, aut mihi aliqua obeſſent.*

ANNOTATIONES.

15. *Sidonia nocturna ligamina mitra.*] *Mitra* fuit olim muliebre capitis tegumentum, ac ornamentum, *Sidonia* porrò *mitra* dicitur purpurea, à *Sidone* Phœniciæ oppido purpureis mercibus inſigni. Ait autem Cupido Cynthiam Propertio odores ipſius Amoris manibus concinnatos aſpiraturam, ubi vittas & redimicula *mitræ* purpureæ, quam noctu geſtabat, ſolverit.

17. *Arabum de gramine.*] Myrrham intelligit; *Arabes* enim populi ſunt Aſiæ intra ſinum Perſicum, ac ſinum *Arabicum* ad Oceanum Erythræum poſiti, quorum regio, myrrha, thure, aliiſque odoribus & unguentis abundat.

19. *Parcite jam fratres.*] Alios Cupidines germanos ſuos alloquitur, quos etiam Statius *fratres* vocat Pharetratos in Epithalam. Stellæ & Violantis Lib. 1. Sylvar.

--- *Pharetrati preſſere ſilentia fratres.*

26. *Oſtrina cùm fuit in tunica.*] Cynthia Propertio viſa eſt formoſiſſima, quamvis eſſet incompta, ac inornata, nec *tunicâ* purpureâ prænitereт.

27. *Narratum ſomnia Veſtæ.*] Significat Poëta Cynthiam ad Veſtam Deam caſtiſſimam, cujus antiſtites Virgines Veſtales erant, ſomnia ſua detuliſſe, quemadmodum & Tibullus Eleg. 7. Lib. 1. verſ. 21. Deliam ſuam ſacra bonæ Deæ inviſere ſolitam fuiſſe teſtatur. Obſervabant autem diligenter veteres ſomnia, ac in templis Deorum ſæpiùs incubabant, Diiſque narrabant, ut reſponſa acciperent, aut funeſtum depellerent. Quâ de re lege Plutarchum, ac Dionyſ. Hal. nonnulli codices habent, *in caſta veſte*, quaſi in candido veſtimento ſomnia deferret Cynthia ad conjectorem, ut mos erat apud Romanos.

Talis visa mihi somno demissa recenti.
Heu quantum per se candida forma valet!
Quid tu matutinus, ait, speculator amicæ,
Me similem vestris moribus esse putas?
Non ego tam facilis, sat erit mihi cognitus unus,
Vel tu, vel si quis verior esse potest.
Apparent non ulla toro vestigia presso,
Signa voluptatis nec jacuisse duos.
Aspice ut in toto nullus mihi corpore surgat
Spiritus, admisso notus adulterio.
Dixit, & opposità propellens suavia dextrâ,
Prosilit in laxa nixa pedem solea.
Sic ego tam sancti custode recludor amoris,
Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

INTERPRETATIO.

Talis mihi visa est è sopore recenti experrefacte. Ah quàm ex natura sua, ac sine ullo cultu, & fuco pulcra forma potens est! Quare, inquit, tu matutinus explorator puellæ tuæ me moribus vestris esse similem arbitraris? Non ego sum tam levis ac mutabilis. Unicus mihi sufficit perspectæ fidei amicus; seu tu, seu si quis alius te certior ac fidelior esse potest. Attrito lecto nulla voluptatis indicia apparent, neque duos simul concubuisse. Vide, quomodo nullus mihi in toto corpore oriatur calor, aut spiritus nequitiæ commissæ conscius. Sic est locuta, manuque dexterâ abjectâ procul repellens oscula sese è lecto projicit & proripit pede incumbens calceæ soluto. Ita ego tam sacri Amoris observator nimium curiosus excludor. Ex illo vero tempore nulla mihi nox fuit fortunata.

ANNOTATIONES.

31. *Quid tu matutinus speculator.*] Verba sunt Cynthiæ Propertium objurgantis, quod curiosiùs ipsam observaret.

37. *Nullus mihi corpore toto. &c.*] Creber oris anhelitus, ac palpitatio in muliere, judicium est actus libidinosi perpetrati, qui calorem excitat & colorem; ut apud Sueton. in Augusto cap. 69. quædam fœmina nobilis narratur coram conjuge in cubiculum abducta, ac rursus in convivium rubescentibus oculis & auribus, ac incomptiore capillo reducta.

40. *Prosilit. &c.*] Sese procul prosipit pede soleæ nullis loris aut corrigiis vinctæ incumbens. Catullus ad Manlium eodem sensu ait:

Quo mea se molli candida Diva pede
Intulit, & trito fulgentem in limine plantam
Innixa argutâ constitit in soleâ.

Solea porrò, ut inquit Isidorus Lib. orig. 19. Calceorum species sunt, quibus tantùm plantæ pedum teguntur.

Aul Gell. Lib. 13. cap. 21. *Omnia fermè id genus, quibus plantarum calces tantùm infima teguntur, cætera propè nuda, & teretibus habenis vincta sunt soleas dixerunt; nonnunquam Græcâ voce crepidulas.*

Apud Horat. Lib. 2. Satyr. 8. soleas poscit qui vult surgere, & apud Plautum in Trucul. act 2 Scen. 5. v. 25. puerpera surrectura *soleas* sibi dari postulat. inde *soleati* dicuntur, qui calceati *soleis* incedunt.

ELEGIA XXX.

AD EANDEM CYNTHIAM.

QUO fugis, ah demens? nulla est fuga, tu licet usque
 Ad Tanaim fugias usque sequetur Amor.
Non si Pegaseo vecteris in aëre dorso,
 Nec tibi si Persei moverit ala pedes.
Vel si te sectæ rapiant talaribus auræ,
 Nil tibi Mercurii proderit alta via.
Instat semper Amor suprà caput, instat amanti;
 Et gravis ipse super libera colla sedet.
Excubat ille acer custos, & tollere nunquam
 Te patietur humo lumina capta semel.
Et jam si pecces, Deus exorabilis ille est,
 Si modo præsentes viderit esse preces.

INTERPRETATIO.

O Insana Cynthia, *quò vis aufugere? nullum tibi perfugium est: quamvis enim ad Tanaim usque fugias, te semper prosequetur Amor, neque* ipse *te relinquet, etiamsi tergo Pegaseo in cœlum veharis, neque etiamsi Persei talaria te volare fecerint; aut etiam si te sublimem aër sulcatus alis ferat. Nihil etiam tibi Mercurii volatus proderit. Perpetuò cervicibus imminet Amor, perpetuò urget amantem, idemque imprelius liberis capitibus insidet. Speculator indefessus iste semper vigilat, neque te usquam oculos semel à se domitos è terra finet attollere. Si verò jam peccas, ille Deus est facilis & placabilis, dummodò non tardas preces esse senserit.*

ANNOTATIONES.

1. QUò fugis, ah demens?] Cynthiæ peregrinationem, quam meditabatur, dissuadet, significans nullum esse locorum intervallum, quò possit Amor fugari, aut deponi.

2. *Ad Tanaim fugias.*] *Tanais* fluvius est Scythiæ Europam ab Asia disterminans, ac per Mœotidas paludes in Pontum Euxinum influens.

3. *Pegaseo dorso.* Etiamsi, inquit, equo alato Pegaso vecta evolares, aut Persei talaribus adjuta aërem sulcares, aut Mercurii alis fulta sublimis in cœlum rapereris, non tamen Amorem effugeres, qui nos usquequaque insequitur; ac semper instat amantium cervicibus

Pegasum. Porrò fuisse equum alatum nemo est qui nesciat, qui ex sanguine Medusæ procreatus ungulæ ictu Hippocrenen, seu fontem Caballinum in monte Helicone in Bœotia produxerit.

4. *Persei.*] *Perseus* Jovis & Danaës filius dimicaturus contra Gorgonum gentem, cujus erat regina Medusa, Talaria, Petasum, & ensem falcatum à Mercurio dicitur accepisse. Pennipes Catullo dicitur *Perseus.*

6. *Mercurii alta via.*] Per auras volatus: fingitur enim à veteribus *Mercurius* alas in pedibus & in capite habuisse: unde modò de cœlo in terras, ac etiam inferos descendisse, modò è terra in cœlum ascendisse tanquam Deorum nuntius passim legitur.

12. *Præsentes viderit preces.*] Quæ nempe peccatum statim sequantur; unde supra lib. 1. Eleg. 9. dixit, quam:

Ista senes licet accusent convivia duri,
  Nos modò propositum, vita, teramus iter.
Illorum antiquis onerentur legibus aures,
  Hic locus est, in quo tibia docta sones,
Quæ non jure vado Mæandri jacta natasti.
  Turpia cùm faceret Palladis ora tumor.
Nunc jam dura paras Phrygias nunc ire per undas;
  Et petere Hyrcani littora nota maris,
Spargereque alternâ communes cæde Penates,
  Et ferre ad patrios præmia dira Lares.

INTERPRETATIO.

Senes autem *difficiles ista convivia* nostra *vituperent*, *quantum voluerint*, *dummodò nos*, ô mea *lux*, *institutum vitæ cursum teneamus. Ipsorum aures priscis vivendi ritibus ac moribus onerentur: hoc nunc tempus est, ut cithara docta resones; quæ immeritò abjecta fluitasti in aquis Mæandri fluvii, cum bucca turgentes ac inflata Palladis faciem deformarent. Nunc jam, ô sæva, meditaris per Phrygium mare navigare, ac Hyrcani ponti celebrata littora adire, communesque Lares alternâ nece cruentare, ac execrandam prædam ad paternos Penates referre.*

ANNOTATIONES.

primùm errata fateri. Sed quomodo *viderit* preces Amor, qui cœcus ac puer fingitur? melius igitur audierit, aut senserit.

15. *Illorum aures priscis onerentur legibus.*] Severi illi senes ac morosi antiquas vivendi *leges* & ritus audiant, ac sibi canant, quantum voluerint; nos juvenes vita amœna ac jucunda decet. Simili planè sententiâ dixit Ovid. Lib. 9. Metamorphos.

Jura senes norint. & quid liceatque, nefasque
Fasque sit, inquirant, legumque examina servent.

16. *Hic locus est.*] In convivio locus & tempus est lætandi, saltandi, ac canendi, remotâ omni vitæ austeritate: Tunc est inflanda tibia, quam Pallas immeritò dicitur abjecisse in Mæandrum flumen, cùm buccas inflatas vultum sibi deformare conspexisset. Est autem ad tibiam apostrophe.

17. *Vado Mæandri.*] *Mæander* fluvius Asiæ minoris celebratissimus, ita sinuolus, ut ad fontem sæpiùs reverti credatur. Per Mysiam & Lydiam in Cariam currit, & ad decimum a Mileto stadium in mare Mediterraneum delabitur. Ut refert Plin. lib. 5. cap. 29.

18. *Turpia Palladis ora, &c.*] Referunt *Palladem* terebratâ quondam buxo tibiam effecisse, quam cùm inflaret, vidit suas sibi genas intumuisse, faciemque sibi inde turpatam; quo factum est, ut Pallas oris deformitate perculsa tibiam abjecerit in Mæandrum flumen, quam deinde Satyrus Marsias collegisse dicitur.

19. *Phrygias nunc ire per undas.*] Ad Cynthiam suam redit, quam dicit iter in Hyrcaniam aliasque longinquas regiones meditari. *Phrygiæ* porrò *undæ* sunt vel Hellespontus, vel mare illud quod ab Hellesponto Miletum versus extenditur; quod etiam Virg. Lib. 1. Æneid. *Phrygium æquor* dicitur; utpote cui adjacet Phrygia.

Bis denis Phrygium conscendi navibus æquor.

20. *Hyrcani littora nota maris.*] *Hyrcanum mare* dicitur ab *Hyrcania* provinciâ adjacente; aliò etiam nomine nunc vocatur Caspium mare.

21. *Alternâ cæde.*] Et mea nimirùm, & tua, inquit, communes Deos Pe-

Unâ contentum pudeat me vivere amicâ.
Hoc si crimen erit, crimen amoris erit.
Mi nemo objiciat, libeat tibi Cynthia mecum
Roscida muscosis antra tenere jugis.
Illic aspicies scopulis hærere Sorores,
Et canere antiqui dulcia furta Jovis.
Ut Semele est combustus, ut est deperditus Io;
Denique ut ad Trojæ tecta volarit avis.

INTERPRETATIO.

Pudeat me contentum unicâ puellâ vivere? Illud si culpa erit, Amoris erit culpa. Mihi nemo hoc exprobret. Collibeat tibi, Cynthia, mecum incolere speluncas rorantes in collibus muscosis: ibi conspicies rupibus Sorores insidere, & Jovis annosi jucundas prædas decantare. Quomodo nimirum Semeles amore exarserit, & quomodo Io deperierit, ac tandem quomodo factus ales ad Trojæ domos advolarit.

ANNOTATIONES.

nates cruentabis, quasi se factorum significet, quod supra Eleg. 8. minitatus est.

Sed non effugies, mecum morieris, oportet
Hoc eodem ferro stillet uterque cruor.

27. *Hærere Sorores.*] Musas intelligit, quas hoc in loco scopulis insidentes, ut Eleg. 15. Lib. 3. Amphionem ex Aracynthi rupe canentem fingit. Musas autem scopulis hærere ait, quia nempe in rupibus Heliconis pendulæ pingebantur.

28. *Dulcia furta Jovis.*] Dixit Propertius *antiqui Jovis furta*, per Hypallagen, pro, antiqua furta, ut supra Eleg. 2.

Juppiter ignosce pristinæ furta tua.

Porrò de *Jovis furtis* & amoribus, seu adulteriis jam suprà satis superque.

29. *Ut Semele est combustus.*] De *Semele*, cujus amore Juppiter conflagravit, quamque fulmine combussit, sæpiùs etiam, sicut & mox dictum est pluribus Eleg. 28.

Ut est deperditus Io;] Quomodo *Io* perdite amavit: hoc in loco loquitur Poëta, quomodo suprà dixit Lib. 1. Eleg. 3. *Senjus deperditus omnes*, De eodem *Io* vide etiam Eleg. 28. hujus Libri.

30 *Ad Trojæ tecta volarit avis.*] Quomodo Juppiter in avem conversus ad tecta Trojæ volaverit, ut Ganymedem raperet, cujus nota fabula est. Dicitur tamen apud alios scriptores, ut apud Horat. lib. 3. Od. 2. Ganymedes à monte Ida raptus, non ab urbe *Troja*. Virgil Lib. 5. Æneid. de Ganymede loquens, ait:

Intentusque puer frondosâ regius Ida
Veloces jaculo cervos, cursuque fatigat
Acer, anhelanti, similis, quem præpes ab Ida
Sublimem rapuit pedibus Jovis armiger uncis.

Fuit autem Ganymedes Trois Trojanorum regis filius, puer formosissimus, quem cum Juppiter deperiret in Ida monte venantem mutatus in aquilam rapuit, in cœlumque transtulit, calicibusque suis ac poculis præfecit, repudiato Hebes ministerio, quod minus cautè per lubricum inter deos cecidisset, revolutisque vestibus superis obscœna nudasset.

Quod si

Quod si nemo extat, qui vicerit alitis arma,
  Communis culpæ cur reus unus agor?
Nec tu virginibus reverentia moveris ora,
  Hic quoque non nescit quid sit amare chorus.
Si tamen Oeagri quædam compressa figura
  Bistoniis olim rupibus accubuit.
Hic ubi me prima statuent in parte choreæ,
  Et medius doctâ cuspide Bacchus erit.

INTERPRETATIO.

Si verò nullus est, qui Dei alati possit tela superare, quare ego solus publicæ culpæ reus accusor? Neque tu verecundos doctarum puellarum vultus reverearis; iste enim etiam chorus non ignorat, quid sit amare. Si tamen aliqua quondam *puella ab Oeagro compressa Bistoniis in rupibus enixa est. Quando vero ibi me chorea in priori loco constituent, mediusque aderit Bacchus docta cum hasta;*

ANNOTATIONES.

31. *Alitis arma.*] Si, inquit, nemo est, qui possit Cupidinis, qui Deus est alatus, arma vincere, quique Jovem ipsum domuit, cur reus ego solus arguor criminis, quod omnibus est commune. Fingitur autem à Poetis *alatus* Cupido, quia nimirùm ut avis advolat in animum. *Alatus*, inquit Servius, in Lib. 1. Æneid. *Fingitur Cupido, quia nihil amantibus levius, nihil mutabilius.* Ovid. Lib. 2. de Arte amandi. de Cupidine loquens, ait:

Et levis est, & habet geminas quibus evolat alas.

Horat. Lib. 3. Od. 12. dicitur Cupido *Cythereæ puer ales.* Vide Eleg. 9. Lib. 1. ac hujus Libri Eleg. 12.

33. *Nec tu virginibus, &c.*] Neque etiam tuâ præsentiâ erubescent Musæ, quamvis mecum inter ipsas veneris, neque ipsis ruborem excitabis, licet maximè sint pudibundæ, ac pudicæ; novit enim ipse etiam Musarum chorus, quid sit Amor.

35. *Si tamen Oeagri, &c.*] Probat exemplo Musarum chorum amoris etiam non fuisse expertem, neque rudem; cum Calliope Oeagrum adamarit, & ex ejus concubitu genuerit Orpheum Vide Hygin fab. 14 Apollodur. Lib. 1 Apollon. Lib 1.

36. *Bistoniis rubibus accubuit.*] Id est, *Thraciis rupibus*; Thrax enim fuit Orpheus, ac *Bistones* fuerunt gens Thraciæ, unde & *Bistones*, ac *Bistonii* Thraces dicti sunt. *Bistones* autem populos, ac *Bistonidem* civitatem, & stagnum Plinius Lib. 4. cap. 11. non procul ab Abderita locat

38. *Medius doctâ cuspide Bacchus.*] Dicitur *Bacchus medius* inter Musas ipsarum choreas ducere, tùm quia scilicet Deus est Poëtarum, sine quo, ut apud Tibullum vidimus, non benè fluunt carmina; tùm quia, dùm Bacchus in bella proficisceretur, Musæ comites ipsi adhæserunt; ut testatur Diod.

Doctam porrò *cuspidem* vocat Thyrsum quo percuti dicuntur Poëtæ, dum mens eorum Bacchi furore afflatur, ut meliùs fundant versus. Lucret. Lib. 1.

Sed acri
Percussit Thyrso laudis spes magna meum cor:
Et simul incussit suavem mi in pectus amorem
Musarum, quo nunc instinctus, mente vigenti
Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo; juvatque novos decerpere flores,

Tum capiti sacros patiar pendere corymbos,
Nam sine te nostrum non valet ingenium.

INTERPRETATIO.

tunc è capite meo *libenter sinam sanctos corymbos dependere : meum ingenium*, ô Bacche, *absque te nihil valet.*

ANNOTATIONES.

Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Musæ.

39. *Sacros pendere corymbos.*] Hoc est, tunc patiar mihi coronam ex hedera & corymbis imponi. *Corymbi* namque sunt baccæ seu fructus ex hedera nascentes, ut testatur Plin. lib. 16. cap. 34. *Racemi hederæ in orbem circumacti vocantur Corymbi.* Per *Corymbos* autem vulgò intelligitur apud Poëtas hedera, quâ Poëtæ coronantur.

40. *Sine te non valet ingenium.*] Bacchus dat animos, ac facit *ingenium*, variaque scribendi argumenta suggerit; ut canit etiam noster Poëta Lib. 4. Eleg. 3.

Ingenium potis irritet Musa Poëtis,
Bacche soles Phœbo fertilis esse tuo.

ELEGIA XXXI.

AD CYNTHIAM.

QUÆRIS cur veniam tibi tardior? aurea Phœbi
Porticus à magno Cæsare aperta fuit.
Tota erat in speciem Pœnis digesta columnis,
Inter quas Danaï fœmina turba senis.
Hic quidem Phœbo visus mihi pulcrior ipso
Marmoreus tacitâ carmen hiare lyrâ.
Atque aram circum steterant armenta Myronis
Quattuor artificis vivida signa boves.

INTERPRETATIO.

O Cynthia, *rogas, cur ad te serius, quam jusseras, accesserim? Phœbi porticus aurea patefacta fuit ab Augusto Cæsare. Tota erat ad ornatum distincta columnis Pœnis, in quibus Danai prisci fœminea multitudo* videbatur. *Ille profectò marmoreus* Phœbus *ipso Phœbo formosior mihi conspectus est silenti cithara versus hiscendo canere: stabant etiam circum altare quatuor boum armentum* quæ *signa spirantia Myronis sculptoris* opus erant.

ANNOTATIONES.

1. *QVæris cur veniam tardior?*] Serius ad Cynthiam se venisse dicit, quod detentus fuisset inspectione porticus Apollinis, quæ ab Augusto Cæsare absoluta, ac publicata fuerat, ut ab omnibus conspici posset. Hæc verò porticus est ea, quæ templo Apollinis Palatini cum bibliotheca Græca, & Latina adjuncta erat.

Scribit enim Suetonius Augustum Cæsarem templum Apollinis in palatio exstruxisse, in ea scilicet domus Palatinæ parte, quam ictam fulmine desiderari à Deo Aruspices pronuntiaverant; cui quidem templo addidit Augustus & porticum cum bibliotheca Latina, Græcaque, quo in loco jam senior sæpè senatum habuit. Videsis etiam Ovid. Lib. 1. de Arte amandi.

2. *Porticus Phœbi aperta.*] Rationem reddit, cur tardior accesserit ad Cynthiam, quia nempe *Phœbi porticus aperta fuit*, ac publicata à Cæsare, cujus inspectione retardatus est.

3. *Pœnis digesta columnis.*] Hoc est, Marmoreis *columnis* ex marmore Punico, seu Numidico factis ordine interstincta. *Pœni* namque Punici sunt, seu Numidæ, ac Carthaginienses in Africa.

4. *Danaï fœmina turba senis.*] Pro *fœminea turba*, in intercolumniis porticus illius Palatinæ depictam fuisse seu sculptam Danaidum, seu Belidum turbam, cum Propertio nostro testatur etiam Ovid. Lib. 3. Trist. Eleg 1.

Ducit ad intonsi candida templa Dei,
Signa peregrinis ubi sunt alterna columnis
Belides, & stricto stat ferus ense pater.

5. *Phœbo pulcrior ipso.*] In illa porticu *Phœbus* erat marmoreus affabrè elaboratus, ut quasi vivens, ac spirans, carmina hiscendo canere, ac ipsum Phœbum pulcritudine superare videretur.

7. *Armenta Myronis.*] Circum aram Apollinis stabant etiam quatuor boves vel tanquam, vel quia quondam fuerat Apollo. Dixitque *Armenta*, pro ar-

Tum medium claro surgebat marmore templum,
Et patriâ Phœbo carius Ortygiâ.
Auro Solis erat supra fastigia currus,
Et valvæ Libyci nobile dentis opus.
Altera dejectos Parnassi vertice Gallos,

INTERPRETATIO.

Deinde etiam pars templi media nitide, candentique marmore eminebat Phœbo etiam Ortygiâ ipsâ, *qua natale solum ipsius est dilectior. Suprà summum fastigium positus erat Solis currus ex auro conflatus: fores verò templi erant rarus & insignis labor ex dente Libyco. Illa* nimirum *referebat Gallos è monte Parnassi deturbatos*,

ANNOTATIONES.

mento, *Armentum enim*, inquit Servius, *grex est equorum & boum. quod hæc animalia apta sint armis.* Jurisconsulti porrò dicunt leg. ult. de Abigeis oves decem facere gregem, criminisque abigeatus reum esse, qui vel unum bovem, quemadmodum & qui gregem ovium abegerit: unde non mirum est hoc in loco quatuor boves *armentum* dici.

Myron porrò fuit sculptor seu statuarius peritissimus, qui multis operibus, sed his præcipuè, quæ hîc laudat Propertius, ac buculà maximè ex ære conflatà veræ vaccæ simillimà claruit. Unde Ovid. Lib. 4. Eleg. 1. de Ponto.

Ut similis vera vacca Myronis opus.

Idem Lib. 3. de Arte amandi.

Quæ nunc nomen habent operosi signa Myronis
Pondus iners quondam duraque massa fuit.

De *Myrone* etiam sic Petron. *Myron, qui pænè hominum animas ferarumque ære comprehenderat, non invenit heredem.* De hoc etiam Plin. lib. 34. cap. 8.

10. *Phœbo carius Ortygia.*] *Ortygia* dicta est etiam Delos insula Cycladum in mari Ægeo nobilissima, Apollinis ortu, temploque clarissima, quam etiam Rhenoëam vocavit Theocritus in Encomio Ptolomæi. Significat autem Poëta templum Palatinum ab Augusto dicatum Apollinem magis dilexisse, quam natale solum & patriam suam Delon.

11. *Solis suprà fastigia currus.*] *Suprà* summas templorum altitudines, seu *fastigia* Deorum simulacra curru vecta imponi solebant, ut testatur Festus in Ratumona. De *curru* porrò *Solis* Ovidium videsis Lib. 2. Metamorphos.

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summa
Curvatura rotæ, &c.

12. *Et valvæ Libyci dentis opus.*] Apollinis Palatini templi *valvæ*, quæ ex ebore Libyco, seu Africano factæ erant, egregiam artificis periti manum ostentabant. In Libya namque Elephantes etiam sicut & in India proveniunt, unde advehitur ebur, quod *dentem Libycum* vocat Propertius.

13. *Dejectos Parnassi vertice Gallos.*] In foribus eburneis templi ab Augusto constructi varia Apollinis factorum ac virtutum argumenta affabrè insculpta erant; in altera repræsentabatur historia *Gallorum*, qui de *Parnassi* vertice Apollinis numine præcipitati interierunt. Referunt autem Justin. Lib. 24. & Pausanias in Atticis. *Gallos* olim cùm in Græciam irrupissent Delphos ad diripienda Delphici templi donaria sese contulisse, duce Brenno, incolasque iis occurrisse, ac tum crebra de cælo fulmina, & divinitùs ac sponte avulsa de Parnasso saxa Gallorum aciem percussisse, quorum deinde pars in Asiam trajecit, ac Galatiæ Provinciæ nomen fecit. Propert. infrà Lib. 3. Eleg. 13. huic loco lucem affert.

Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum.
Dum petit intonsi Pythia regna Dei.

Altera mœrebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem Deus ipſe, interque ſororem
Pythius in longa carmina veſte ſonat.

INTERPRETATIO.

hac verò mortem deflebat Tantalidos. Tùm Deus Pythius ipſe matrem inter & ſororem in prolixa palla verſus canebat.

ANNOTATIONES.

At mons laurigero concuſſus vertice, duras
Gallica Parnaſſi ſparſit in arma nives.

Parnaſſus autem mons eſt Phocidis in Græcia, cujus duo vertices Helicon & Citheron eſſe dicuntur apud Plin. Lib. 4. cap. 3. Strabon. Lib. 8. Juſtin. Lib. 24.

14. *Funera Tantalidos.*] In altera autem templi illius valvarum parte deſcripta erat hiſtoria *Tantalidos*, id eſt, filiæ Tantali Niobes, ac ejus filiorum, qui omnes ad unum periciunt Apollinis ac Dianæ ſagittis confoſſi.

15. *Matrem inter & ſororem.*] Latonam nimirùm, ac Dianam; Latona namque à Jove compreſſa uno partu gemellos edidit Apollinem & Dianam in inſula Delo.

18. *Pythius.*] Deus *Pythius* dictus eſt Apollo à Pythone ſerpente, quem interfecit; ut fabulatur Ovidius Lib. 1. Metamorphoſ.

Carmina ſonat.] Ore nimirùm ſimul etiam & plectro Horat. Epod. Od. 9.

Sonante mixtum tibiis carmen lyra.

ELEGIA XXXII.

AD CYNTHIAM.

QUI videt, is peccat, qui non te viderit, ergo
　Non cupiet, facti crimina lumen habet.
Nam quid Prænestis dubias, ô Cynthia, sortes?
　Quid petis Ææi mœnia Telegoni?
Curve te in Herculeum deportant esseda Tybur?
　Appia cur toties te via ducit anum?

INTERPRETATIO.

IS peccat, qui te videt, quicumque igitur nunquam te viderit & nunquam te desiderabit. Culpam, causamque facti sustinent oculi. Cur enim, ô Cynthia, ambiguas Prænestis sortes quæris? Cur tu vis adire mures Æei Telegoni? Aut quamobrem carpenta te vehunt in Herculeum Tibur? Quare te jam vetulam tam frequenter Appia via deducit?

ANNOTATIONES.

1. *QUi videt, is peccat.*] Cum nonnullis aliis Scaliger hæc conjungit cum superioribus, licet sensu longè dissimilia sint. Hâc autem Elegiâ monet Poëta Cynthiam, ut Romæ manere velit, neque in varias regiones peregrinari mediteur; quoniam nisi sit puella præsens, ac conspiciatur, non concupiscitur.

3. *Prænestis dubias sortes.*] Auctoritatem elevat oraculi *Prænestini*, quò facilius Cynthiæ persuadeat, ut Romæ remaneat. Certum porrò est *sortes Prænestinas* in primis apud Romanos fuisse commendatas. *Præneste* verò civitas est Latii in edito loco sita, unde alta dicitur Virgil. 7. Æneid. Polystephanos olim vocata est: nunc verò *Palestrina* dicitur nominari. Habuit olim hoc oppidum insigne Fortunæ templum, unde Dea *Prænestina* apud Ovid. Lib. 6. fast. & *sortes Prænestinæ* apud Ciceron. Lib. 2. de Divinat. De quibus etiam ita Sueton. in Tiberio cap. 63. *Vicina urbi oracula etiam disjicere conatus est, sed majestate Prænestinarum sortium territus destitit, cùm obsignatas devectasque Romam non reperisset in arca, nisi relatas rursus ad templum.*

4. *Ææi mœnia Telegoni.*] Tusculum Latii oppidum significat, quod *Telegonus* Ulyssis filius condidisse dicitur, ut refert Ovid. Lib. 3. Fastor. Nunc *Frascati* vocatur.

Telegonus autem dicitur *Ææus*, id est, Circæus, a matre Circe, quæ dicebatur *Ææa* ab insula nominis ejusdem, in qua Circe habitavit. Circæus etiam mons qui quondam fuit insula dictus *Ææus* ab horrore transeuntium, quo homines mutabantur in feras, ut refert Servius in Lib. 7. Æneid.

5. *Herculeum Tibur.*] *Tibur* civitas est Sabinorum decimo sexto ab urbe lapide crebris fontibus irrigua, ac singulari cœli temperie commendata. Dicitur autem *Tibur Herculeum*, quod oppidum illud *Herculi* fuerit sacrum: hodie dicitur *Tiveli*.

6. *Appia via.*] Dicta est ab Appio Claudio Cæco, qui eam stravit, ab urbe Roma per Campaniam Brundusium usque protendebatur, inter Romanorum vias longissima ac laudatissima fuit, unde Statius ait:

Appia longarum teritur regina viarum.

Hoc utinam ſpatiere loco, quocumque vagaris
  Cynthia, ſed tibi me credere turba vetat,
Cùm videt accenſis devotam currere tædis
  In nemus, & Triviæ, lumina ferre Deæ.
Scilicet, umbroſis ſordet Pompeia columnis
  Porticus aulæis nobilis Attalicis,
Et creber pariter platanis ſurgentibus ordo,
  Flumina ſopito quæque Marone cadunt.

INTERPRETATIO.

Utinam hac tantùm in urbe divageris, ô Cynthia, quotieſcumque erit animus peregrinari. At prohibet multitudo me tibi credere, quando te voti compotem conſpicit incenſis facibus in ſilvas diſcurrere, luceſque Dea Trivia portare. Porticus nempe Pompeia inſignis tapetibus Attalicis tibi turpis & inamœna habetur cum columnis umbriferis, longaque ac denſa ſeries platanorum æqualiter ac ſimul eminentium, & aqua, qua dormiente Marone fluunt.

ANNOTATIONES.

10. *In nemus.*] Hoc eſt, Aricinum, *nemus* ad urbem Ariciam, juxta viam Appiam, in Latio prope montem Albanum, ubi Lacus eſt, qui ſpeculum Dianæ quondam dicebatur: Ovid. Lib. Faſtor.

Vallis Aricina ſilvâ præcinctus opacâ;
  Eſt locus antiquâ relligione ſacer.

Triviæ lumina ferre Deæ.] *Trivia* Latinis dicitur Diana, Varrone teſte, quod in triviis vulgò poneretur, *triviiſque* præeſſet, vel quod tres facies habere fingeretur, eſſetque in cælo Luna, in terris Diana, in inferis Hecate, ſeu Proſerpina.

Diana porrò in nemore Aricino, quod Strabo lib. 5. vocat Artemiſium, religioſiſſimè colebatur; unde Nemorenſis Diana dicta fuit, de qua Propert. infra Lib. 3. Eleg. 21. Iſtius porrò templi Sacerdos dicitur à Tranquillo rex Nemorenſis.

Huic autem Deæ vota nuncupabant mulieres, voti quæ compotes adibant nemus Aricinum faces accenſas manibus geſtantes; quibus venerari ſe Deam exiſtimabant. Quod eruditè docet Ovid Lib. 3. Faſtor. de Diana Aricina:

Sæpè potens voti frontem redimita coronis
  Fœmina lucentes portat ab urbe faces.

Hoc idem etiam ait Propertius à Cynthia factitari, non voti causâ, ſed ut ſub prætextu religionis, & caſtimoniæ libidines exerceat.

11. *Pompeja porticus.*] Arcendo Soli accommodata, platanorumque umbra inter columnas opacata, ut ait Horat. Lib. 1. Epiſtol. 10. Ibi potiſſimum æſtivo tempore matronæ Romanæ ſpatiabantur, utpote quia ad deambulationes conſtructa erat ea *porticus*.

Aulæis nobilis Attalicis.] *Aulæa Attalica* dicta ſunt ab *Attalo* Pergami rege, qui ſuum hæredem fecit populum Romanum, cujus ſupellex fuit ſplendidiſſima ac abundantiſſima, unde *aulæa Attalica* & veſtes *Attalicæ* idem ſunt ac pretioſiſſimæ, quæ primo apud Attalum ſunt inventæ.

14. *Sopito Marone.*] Vel ſenſus eſt: ſordent tibi, ſuntque faſtidioſa flumina, fonteſque Romani, quorum aquæ tam levi murmure fluunt, ut etiam *Maronem* ſomni parciſſimum ſopire poſſint; cum nempe juxta *Maronis* ædes fluat rivus. Vel de *Marone* loquitur Propertius, quòd in aquæ ductu, quâ parte ſaliebat aqua, *Maronis* eſſet ſtatua, qui videretur aquæ ſuſurro ſopiri, ſive ille Poeta fuerit, ſive *Maro* Homericus, de quo ſermo habetur Odyſſ. Lib. 9. quod vinum *Maroneum* dictum

Et leviter nymphis totâ crepitantibus urbe,
Cùm subitò Triton ore recondit aquam.
Falleris, ista tui furtum via monstrat amoris,
Non urbem, demens, lumina nostra fugis.
Nil agis, insidias in me componis inanes:
Tendis iners docto retia nota mihi.
Sed de me minùs est, famæ jactura pudicæ
Tanta tibi miseræ, quanta mereris, erit.
Nuper enim de te nostras me lædit ad aures
Rumor, & in tota non bonus urbe fuit.
Sed tu non debes inimicæ credere linguæ
Semper formosis fabula pœna fuit.

INTERPRETATIO.

molliterque Nymphis per totam urbem susurrantibus, dum Triton repentino gurgite aquam effundit. Erras, hoc iter furtivos tuos amores declarat. O insana, non effugis urbem, sed meum conspectum. Nihil proficis, contra me vanos struis dolos; ô insulsa, *laqueos mihi callido cognitos obtendis. Quantum ad me minoris est damni bonæ existimationis amissio, sed tibi infelici tam magna erit, quantâ tu digna es. Nova namque de te fabula, ad meas aures perlata me offendit, ac mala per omnem civitatem vulgata fuit. At tu non debes fidem adhibere maledicis ac invidis hominum sermonibus; vulgi rumor pulchris puellis semper fuit supplicii loco.*

ANNOTATIONES.

Ulyssi dederit, sive fuerit ille *Maro* vinitor optimus Osiridis expeditionum comes, quem Osiris ætate provectum in Thracia reliquit, ut refert Diodorus Lib. 1.

15. *Nymphis crepitantibus.*] Vel hic *Nymphæ* sumuntur pro aquis, vel pro *Nympharum* simulacris, quæ vel ore, vel mammis aquas funderent: nisi forsan scripserit Poëta, *Lymphis*, pro *Nymphis*, ut Horat. Epod. Od. 16.

Levis crepante Lympha desilit pede.

16. *Triton.*] Deus est marinus, Neptuni tibicen & filius, Poëtarum carminibus decantarissimus, cujus simulacrum in aliqua urbis parte magnam aquæ copiam ore profundebat. Fuit forsan illud signum *Tritonis*, sicut & Maronis, & Nympharum, inter illa signa, quæ magnificis operibus à se constructis imposuit M. Agrippa, qui, ut refert Plin. Lib. 36. in ædilitate sua adjectâ virgine aquâ cœteris corrivatis, atque emendatis, lacus septingentos fecit, fontes salientes centum quinque, castella aquarum centum triginta, compluraque etiam alia cultu magnifica, quibus omnibus operibus signa ærea, aut marmorea imposuit, &c.

18. *Lumina nostra fugis.*] Conspectum meum vitas, ne te observem. Sic Cicero Lib. 9. Epist. ad famil. Epist. 1. *Oculos hominum vitemus, si linguas minus facile possumus.*

23. *Me lædit ad aures rumor.* Talis rumor de Cynthia perstrinxit *aures* Propertii, qualis lædebat Tibullum ita scribentem:

Rumor ait crebrò nostram peccare puellam
Tunc ego me surdis auribus esse velim.

Catullus etiam dixit:

Lædit quadam mala fabula.

26. *Formosis fabula pœna fuit.*] *Formosarum* puellarum crux semper fuit, ut sermonibus, ac vulgi rumoribus molestis earum fama differatur. Vulgus

Non tua

Non tua deprenso damnata est fama veneno:
  Testis eris puras, Phœbe, videre manus.
Sin autem longo nox una, aut altera lusu
  Consumpta est, non me crimina parva movent.
Tyndaris externo patriam mutavit amore,
  Et sine decreto viva reducta domum est.
Ipsa Venus quamvis corrupta libidine Martis,
  Nec minus in cælo semper honesta fuit.
Quamvis Ida Parin pastorem dicat amasse,
  Atque inter pecudes accubuisse Deam.
Hoc & Hamadryadum spectavit turba sororum,
  Silenique senes, & pater ipse chori.

INTERPRETATIO.

Existimatio tua non est veneficio apud te reperto perdita: ô Phœbe, tu testaberis te manus innoxias, ac insontes, Cynthiæ *conspicere. Si verò una, vel duæ noctes luxu transactæ sunt; minora me peccata non commovent. Tyndaris ob amatorem peregrinum natale solum deseruit, & absque edicto patriis Laribus est restituta. Venus ipsa, licet Martis amoribus diffamata, non minùs in cælo est honerata. Quanquam Ida prædicat Opilionem Paridem amavisse Divamque ipsam* cum ipso *inter greges concubuisse. Illud etiam multitudo sororum Hamadryadum conspexit, Silenique vetuli,* eorumq; *cœtus dux ipse* Bacchus.

ANNOTATIONES.

enim, quod formosa sit puella, parùm pudicam esse dictitat, quia nimirum *rara est concordia formæ, atque pudicitia.*

27. *Deprenso veneno.*] Non existimationem hominum amisisti, quod venefica sis, sed quod impudica. Consuevisse porrò quondam matronas Romanas exercere veneficia testes sunt Valer. Maxim. Lib. 11. & Livius Lib. 8. qui veneficii damnatas olim fuisse, referunt ad 170. quò tempore primum Romæ lex de veneficiis fuit instituta.

28. *Testis eris, Phœbe.*] Rerum humanarum Solem arbitrum testatur, ut pote qui *terrarum flammis opera omnia lustrat.*

31. *Tyndaris.*] Helena *Tyndari* Oebaliæ regis filia, Alexandrum, qui & Paris, peregrinum & hospitem Menelao conjugi prætulit adulterum, quem etiam relictâ patriâ in Phrygiam secuta est.

32. *Sine decreto.*] Post mortem Paridis, expugnationemque Trojæ Menelao conjugi, patriæque restituta est Helena; ita tamen ut summo jure non sit actum cum illa: siquidem legibus cautum erat, ut qui se in aliam civitatem contulissent, propriæ civitatis jus amitterent, neque possent patriæ restitui sine decreto, aut lege populi, vel judicis edicto.

33. *Venus corrupta libidine Martis.*] Nota sunt cum *Marte Veneris* adulteria, de quibus Ovidius pluribus in locis, maximè verò Lib. 4. Metamorphos. ubi legitur Venus cum Marte adultero retibus tenuissimis à conjuge Vulcano deprehensa.

35. *Ida Parin.*] Quamvis *Ida* mons Phrygiæ juxta Trojam testetur *Parin* Nympham Oenonen adamasse, tamen Hamadryades, Sileni, & ipse etiam Bacchus, qui hos amores spectaverunt, Oenonen Nympham minus honestam non habuerunt. Oenone porrò Nympha fuit montis *Idæ*, cujus exstat inter Ovidianas ad Paridem, quem amavit, Epistola.

37. *Hamadriadum turba.*] *Hamadriades, & Dryades* Nymphæ sunt silvarum præsides, Oenones Nymphæ sorores.

38. *Selenique senes.*] A *Sileno* Bacchi nutritio omnes ejusdem Bacchi co-

Cum quibus Idæo legisti poma sub antro
Supposita excipiens, Naï, caduca manu.
An quisquam in tanto stuprorum examine quærit;
Cur hæc tam dives? quis dedit? unde dedit?
O nimium nostro felicem tempore Romam,
Si contrà mores una puella facit.
Hæc eadem ante illam impunè & Lesbia fecit;
Quæ sequitur certè est invidiosa minùs.
Qui quærit Tatios veteres, durosque Sabinos,
Hic posuit nostra nuper in urbe pedem.
Tu priùs & fluctus poteris siccare marinos,
Altaque mortali deligere astra manu:

INTERPRETATIO.

Cum, quibus, ô Naï, in spelunca Idæa poma cadentia subjectis manibus recipiens collegisti. Numquid aliquis in tam numerosa stuprorum multitudine inquirit, quare ista tam opulenta sit? quis ipsi tot divitias, & unde largitus sit? O nimis beatam Romam ætate nostrâ! si contrà communem agendi rationem unica puella se gerat. Eadem hæc omnia ante illam impunè patravit etiam Lesbia; quæ sequitur alterius exemplum, *profectò minùs est vituperanda. Quicumque verò priscos Tatios, severosque Sabinos requirit, ille recens se contulit in urbem nostram. Tu verò potiùs aquas æquoreas poteris exhaurire ac sublimia sidera mortali manu deripere,*

ANNOTATIONES.

comites, & ministri dicti sunt *Sileni*. Diodorus Lib. 4. Biblioth. *Dicunt subsidium Dionysio tulisse Nysiorum nobiliores, quos à primo eorum rege Sileno Silenos vocant.*

Pater ipse chori.] *Turba dux & princeps*, ut *pater cœnæ*, dixit Horatius. Bacchum volunt significari, qui veteribus est habitus Silenorum, Satyrorum, Nympharum, & Naiadum dux & princeps, ut docet Strabo.

40. *Nai.*] *Nais* est Oenone Nympha.

41. *Stuprorum examine.*] In tanta adulteriorum multitudine in dies identidem succrescente.

44. *Contra mores.*] O quàm felix esset, inquit, Roma, si sola Cynthia contra leges, disciplinam, & instituta civitatis peccaret; sed & innumeræ aliæ idem peccant.

45. *Lesbia fecit.*] De *Lesbia* Catulli nostri quondam amica abundè diximus in notis ad Catullum, quam impudicissimam fuisse docent hi Catulli versus:

Nunc in quadriviis & angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.
Cum suis vivat, valeatque Mœchis
Quos simul complexa tenet trecentos.

46. *Quæ sequitur.*] Quæ, inquit, alterius exemplo peccat, minus invidiæ, & offensionis contrahit; sed majore malo mactanda Lesbia est, quod & peccato; & exemplo suo Romam & Remp. vulnerarit, ac violarit.

47. *Tatios veteres.*] Qui quærit, inquit, in puellis Romanis castimoniam illam, ac sanctitatem, quæ fuit olim in gente *Sabinorum*, quorum rex fuit Tatius, is videtur urbis Romæ mores, ut omnino peregrinus & hospes ignorare: cùm nullæ ferè sint matronæ, quæ non laborent impudicitiâ, ac adulteriis non operentur. *Tatius* autem Sabinorum rex fuit, qui cum Romulo suum sociavit imperium; ut referunt Livius, aliique Scriptores

Sabinos.] *Sabini* fuerunt populi Latii non procul ab urbe Roma, qui in

Quam facere ut nostræ nolint peccare puellæ,
 Is mos Saturno regna tenente fuit,
Et cum Deucalionis aquæ fluxêre per orbem,
 Et post antiquas Deucalionis aquas.
Dic mihi quis potuit lectum servare pudicum?
 Quæ Dea cum solo vivere sola Deo?
Uxorem quondam magni Minoïs (ut aiunt)
 Corrupit torvi candida forma bovis.
Nec minùs ærato Danaë circundata muro,
 Non potuit magno casta negare Jovi.
Quod si tu Graias, seu sis imitata Sabinas,
 Semper vive meo libera judicio.

INTERPRETATIO.

quam efficere, ut nostra fœminæ crimen admittere non cupiant. Viguit ista consuetudo regnante etiam Saturno, ac quando Deucalionis diluvium terras inundavit, ac etiam ante priscas Deucalionis inundationes. Oro, narra mihi, quisnam potuit thorum castum custodire? quænam Diva sustinuit una cum uno Divo vitam ducere? Olim, ut referunt, pulcra figura tauri sævi magni Minoïs conjugem ad crimen pellexit. Neque etiam Danaë turre aneâ inclusa valuit magno Jovi resistere. Itaque sive sequaris exemplum Grajarum, sive Sabinarum, semper meâ sententiâ vive libera.

ANNOTATIONES.

unum simul regnum cum Romulo coaluerunt.

52. *Saturno regna tenente.*] Dum *Saturnus* regnaret, aureum fuit sæculum, quo castas fuisse puellas docet Juvenalis Satyr. 6.

Credo pudicitiam Saturno rege moratam
In terris visamque diu.

Sed jam, ut ait Ovidius pulso *Saturno*, exulat & pudicitia.

Saturnus periit, perierunt & sua jura.

53. *Deucalionis aqua.*] Post pulsum Saturnum duo dicuntur fuisse diluvia, alterum Ogygium dictum, quod Ogyge apud Thebas regnante accidit, alterum Deucalione apud Thessalos imperante, de quo videsis Ovid. lib. 1. Metamorph.

57. *Uxorem Minoïs.*] *Pasiphaën* intelligit, quæ taurum fertur adamasse, de qua jam suprà pluribus, ac sæpius.

59. *Danaë*] Acrisii regis Argivorum filia, cujus pater cùm monitus esset, fore ut à nepote occideretur, filiam munitissimâ inclusit turri, sed Danaës amore captus Juppiter in imbrem aureum sese convertit, ac per tegulas in puellæ gremium se demisit. Ex quo concubitu gravida effecta Danaë Perseum peperit, qui posteà ostenso Medusæ capite, Acrisium avum in saxum convertit.

Significat autem Poëta nullam esse puellam tam sanctam, tamque probè munitam, ac diligenter observatam, quæ non polluatur: quandoquidem & Græcæ & Latinæ matronæ libidinibus, & adulteriis corruptæ sunt.

ELEGIA XXXIII.

AD CYNTHIAM.

TRISTIA jam redeunt iterùm solemnia nobis;
Cynthia jam noctes est operata decem.
Atque utinam Nilo pereat quæ sacra tepente
Misit matronis Inachis Ausoniis.
Quæ Dea tam cupidos toties divisit amantes,
Quæcumque illa fuit, semper amara fuit.
Tu certè Jovis occultis in amoribus Io
Sensisti multas quid sit inire vias,

INTERPRETATIO.

Sacra molesta nunc rursus ad nos recurrunt, nunc Cynthia per decem noctes rem facit divinam. At utinam pereat Inachis, quæ ex Nilo tepido fœminis Ausoniis ista sacra misit. Diva quæ tam sæpè amantes adeò ardentes distraxit, ac separavit; semper molesta crudelisque fuit, quæcumque tandem illa fuit. Tu quidem, ô Io, in secretis Jovis delectu experta es, quid sit multa conficere itinera, longasque inire peregrinationes.

ANNOTATIONES.

1. *TRistia jam redeunt.*] Solemnia sacra Isidis, quæ quot annis semel celebrabantur, Deamque ipsam detestatur Poëta, quod cum his operaretur Cynthia, solitis amplexibus frui non liceret. In sacris enim Isidis, & Cereris matronæ Romanæ secubabant, plurimoque dierum castimoniam observabant. Ovid. Lib. 3. Amor. Eleg. 9.

Annua venerunt Cerealis tempora sacri.
Secubat in vacuo sola puella toro.

Solemnia.] Sacra sunt, quæ certis anni temporibus, singulisque annis fieri solent.

2. *Noctes est operata decem.*] Operari vocabulum est religioni sacrum, idemque est ac sacris operam dare, sacrificium facere, ac Deos religiosè colere. Unde & Tibullus Lib. 2. Eleg. 5.

Tunc operata Deo pubes discumbet in herba.

Decem autem *noctes* sacris Isidis operatur Cynthia, quia totidem dierum castimonia in illis, sicut & in Cerealibus, & Bacchanalibus opus erat. Festus: *Denaria vel tricenaria ceremonia, quibus sacra adituris decem continuis diebus, vel triginta, certis quibusdam rebus carendum erat.*

3. *Nilo pereat.*] *Nilus* Ægypti fluvius, qui hoc in loco pro Ægypto ponitur. De hoc jam sæpiùs.

4. *Inachis.*] Dicta est Io, quæ & Isis, ab *Inacho* primo Argivorum rege cujus filia fuit; quæ cùm fuisset à Jove viciata, ac in vaccam conversa, Junonis odio tantopere fuit exagitata, ut nusquam posset consistere, donec in Ægyptum transvecta formam priorem recepit, Isisque dicta est, ac tandem divinos cultus ac honores consecuta. Romæ templum habebat in campo Martio juxtà Ovile, ut docet Juvenalis,

Isidis antiquo quæ proxima surgit Ovili.

Matronis Ausoniis.] *Ausoniæ matronæ* sunt Italæ, Latinæ, Romanæ *Ausonia* namque dicta est Italia. Virgil. Lib. 4. Æneid.

Quæ tandem Ausoniâ Teucros considere terrâ
Invidia est?

Cùm te jussit habere puellam cornua Juno,
Et pecoris duro perdere verba sono.
Ah quoties quernis læsisti frondibus ora,
Mansisti stabulis abdita pasta tuis.
An quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
Juppiter, idcircò facta superba Dea es?
An tibi non satis est fuscis Ægyptus alumnis?
Cur tibi tam longâ Roma petita via est?
Quidve tibi prodest viduas dormire puellas?
Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt:
Aut nos è nostra te, sæva, fugabimus urbe,
Cum Tyberi Nilo gratia nulla fuit.
At tu quæ nostro nimium placata dolore es,
Noctibus his vacui ter faciamus iter.
Non audis? & verba sinis mea ludere, cùm jam
Flectant Icarii sidera tarda boves.

INTERPRETATIO.

Quando Juno coëgit te puellam cornua sustinere, ac vocem humanam & loquelam asperò mugitu bovis amittere. Heu! quàm sæpè quernis foliis faciem tuam violasti, tuisque in stabulis pabulata remansisti occulta. Num ideò facta es Diva ferox & arrogans, quia tuus ille Juppiter belluinam faciem ademit tibi? Nonne tibi sufficis Ægyptus atris incolis? quare tibi Roma tam remota regio petita est? Quid te nempe juvat puellas sine viris secubare? At, crede mihi, iterum tibi cornua reddentur, vel nos, ò crudelis, è nostra te civitate ejiciemus. Nulla fuit unquam amicitia Nilo cum Tiberi. Sed tu, qua plus satis meo malo debes esse placata, ter viam peragamus noctibus istis vacui: Non attendis, vocesque meas tu pateris irritas cadere, cùm tamen jam Icarii boves astra pigra flectant.

ANNOTATIONES.

9. *Te jussit habere cornua Juno.*] Quando nimirùm te metu Junonis coactus Juppiter in vaccam convertit. Vide Ovid. Lib. 1. Metamorphos.

11. *Quernis læsisti frondibus.*] Duro scilicet pabulo puellæ, cui remanserant ora tenera, licet mutatæ in juvencam.

12. *Mansisti in stabulis*] Postquam inclusa in *stabulis* paternis pasta remansisti.

15. *Fuscis Ægyptus alumnis.*] Sufficere tibi debent, ô Isi, cultores Ægyptiaci, nec fuerant Romanæ puellæ ad tua sacra sollicitandæ. *Fusci* dicuntur *Ægyptii*, quod ardore Solis adusti facie sint subnigriori.

17. *Viduas dormire puellas.*] Hoc est, seorsim à viris solas secubare, non autem maritis omninò orbatas.

24. *Icarii boves.*] Sunt Septentriones, qui ursam flectunt: septem enim stellæ quæ plaustrum efficiunt, septem sunt *boves*, quæ *triones* dicuntur à terenda terra, Boötes verò, qui & Arcturus, & Arctophylax, plaustrum agere dicitur. *Icari* porrò fabula sic fertur. *Icarus* pastor Atticus accepit à Baccho vinum venale deportandum, cum ea cautione, ut præciperet illius adhuc ignorantibus usum, *ut* paroè biberent; pastores autem vini sapore delectati ad ebrietatem usque biberunt; unde cùm putarent non vinum, sed venenum sibi porrectum ab Icaro fuisse, Icarum interfecerunt,

Lenta bibis, mediæ nequeunt te frangere noctes.
An nondum est talos mittere lassa manus?
Ah pereat quicumque meracas repperit uvas,
Corrupitque bonas nectare primus aquas.
Icare Cecropiis meritò jugulate colonis,
Pampineus nosti quàm sit amarus odor.
Tu quoque, ô Eurytion vino Centaure peristi;
Nec non Ismario tu Polypheme mero.

Interpretatio.

In amore meo frigida sine me celebras convivia, nec media etiam noctes te possunt infringere. Nonne adhuc aleas & tesseras jacere manus tua fatigata est? Ah intereat, quisquis ille fuit, qui merum invenit vinum, & prior aquas innoxias nectare vitiavit. O Icare, justè ab vinitoribus Cecropiis interempte, sensisti quantum sit perniciosus odor pampineus. Tu etiam Eurytion Centaure, mero perditus es, sicut & tu, ô Polypheme vino Ismario periisti.

Annotationes.

ac in puteum dejecerunt. Juppiter Icari casum miseratus, ipsum inter sidera collocavit, quem deinde Booten, seu Arctophylacem vocitarunt. Aliter tamen alii de Boote fabulam tradiderunt.

Istis porrò verbis extremam noctem Poëta voluit significare. Non enim nisi die adveniente, flecti Bootæ plaustrum dicitur.

Lucanus Lib. 2. de die instante sic ait:

Et jam Pleias habet, flexi jam plaustra Boota
In faciem puri redeunt languentia cœli,

25. *Lenta bibis.*] Friges in amore meo & celebras convivia, atque adeò ita fortis es, ac dura, ut lusus, vigilias, & pocula ferre possis ad mediam noctem intempestivis comessationibus & conviviis vacans, quibus minimè frangeris, aut mutaris.

27. *Quicumque meracas repperit uvas.*] *Meraca* sunt *uva*, ex quibus *merum* exprimitur. *Vinum* autem cui nihil est admistum, *merum* dicitur. Staphylus verò quidam fertur, dum Oenei capellas pasceret. *Uvam* reperisse, quam ejus Dominus sibi oblatam exprimens liquorem sensit dulcem, qui deinde adhuc vetustate mitesceret. Cùm autem aliquando Oeneus hospitio Bacchum excepisset, ejus liquoris usum ab ipso didicit; unde Bacchus vini, vitisque repertor, & conditor *uva*, & vitisator dicitur. Ovid. Lib. 4 Metamorph.

——— *Bacchus genialis consitor uva.*

Virgil. Lib. 1. Georgic.

Liber, & alma Ceres, vestro si munere Tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit Aristâ,
Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis.

29. *Icaro Cecropiis jugulato colonis.*] *Cecropii Coloni* sunt Attici pastores, qui Icarum occiderunt, quod dedisset ipsis vinum, quo fuerant inebriati.

30. *Pampineus odor.*] Hoc est, odor vini; *Pampinus* enim sunt folia, seu ramusculi vitis.

31. *Eurytion Centaure.*] *Eurytion*, seu *Eurytus*, unus fuit ex Centauris, qui quondam vino mero calentes, ac libidine flagrantes in nuptiis Pirithoi ad rapiendas mulieres insurrexerunt. Theseus autem craterem ingentem contorsit in *Eurytionem*, quo prostratus animam cum sanguine simul evomuit. De quo Ovid. Lib. 12. Metamorphos.

32 *Ismario tu Polypheme.*] Vino etiam periit *Polyphemus* Cyclops Neptuni filius, ab Ulysse *Ismario* mero inebriatus.

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino sæpè suum nescit amica virum.
Me miserum! ut multo nihil es mutata Lyæo,
Jam bibe, formosa es, nil tibi vina nocent.
Cùm tua præpendent demissæ in pocula sertæ,
Et mea deductâ carmina voce legis.
Largiùs effuso madeat tibi mensa Falerno,
Spumet & aurato molliùs in calice.
Nulla tamen lecto recipit se sola libenter,
Est quiddam, quod vos quærere cogat amor.
Semper in absentes felicior æstus amantes,
Elevat assiduos copia longa viros.

INTERPRETATIO.

Pulcritudo mero deperditur, mero vita hominum labefactatur, frequenter amatorem suum præ mero puella non agnoscit. O me infelicem! quod largo Lyæo nullo modo sis commutata. Nunc verò pota, pulcra es; merum non est tibi noxium, sed benè fers illud. Quando tua florum corolla in calices effusa dependent, meosque versus tenui, liquidoque sono recitas, uberiùs ac liberaliùs mensa tibi perfundatur largiori Falerno, ac in aureis poculis benigniùs copiosiùsque despumet. Attamen nulla puella ex animo, sed nisi invita sola cubat: est aliquid, quod vos puellas amor desiderare compellit. Semper erga absentes ardentior est amor ac fortunatior, quàm erga præsentes: *libera facultas potiundi viliores reddit & fastidiosos, qui jugiter adsunt.*

ANNOTATIONES.

ut vidimus apud Tibullum nostrum Lib. 4. Eleg. 1. ad illa verba:

Victa Maronæo fœdatus lumina Baccho.

Ismarus autem, & *Ismara*, mons est ac civitas Thraciæ, in cujus regione præstantissimum provenit vinum. Unde Virgil.

——— ——— *Juvat Ismara Baccho*
Conserere. ———

36. *Nil tibi vina nocent.*] Cynthiam hortatur ad continuandas potationes & convivia, cùm neque vino deformior fiat, neque lædatur potu, cùm tamen intemperantiæ vini nihil sit pernicio sius.

37. *Demissa in pocula serta.*] *Sertum*, i, neutro genere dicitur, & *serta*, æ, fœminino, ut ex hoc Propertii loco videre est. Ita etiam Cornel. Severus:

Huc ades Aonià crinem circumdata sertâ.

Priscorum fuit mos, ut coronis & *sertis* redimiti potarent, calicesque etiam coronarent.

39. *Falerno.*] Agri *Falerni* in Campania vinum optimum apud veteres habitum est, de quo Plin. Lib. 14. cap. 6.

43. *Semper in absentes.*] Ardentiùs ac feliciùs amantur absentes quam præsentes; nam hoc à natura comparatum est, ut acriùs avidiusque absentia, quàm præsentia, quæ assiduitate fastidium sui parere consueverunt, desideremus.

ELEGIA XXXIV.

AD LYNCEUM POETAM.

CUR quisquam faciem dominæ jam credat amico?
Sic erepta mihi pene puella mea est.
Expertus dico, nemo est in amore fidelis.
Formosam raro non sibi quisque petit.
Polluit ille Deus cognatos, solvit amicos,
Et benè concordes tristia ad arma vocat.
Hospes in hospitium Menelao venit adulter.
Colchis & ignotum nonne secuta virum est?
Lynceu, tune meam potuisti tangere curam?
Perfide, nonne tuæ tunc cecidêre manus?

INTERPRETATIO.

QUare aliquis puellæ suæ formam amico committat? Ita ferè mihi mea amica ablata est. Expertus loquor: nullus est homo qui fidus sit in amore. Unusquisque semper potiùs sibi quàm alteri pulcram puellam poscit. Iste Deus consanguineos inquinat, jusque violat cognationis, amicitiasque dirimit, & unanimes in invicem ad bellum excitat. Peregrinus adulter in hospitium venit Menelao; nonne etiam Colchis secuta est hominem, quem nunquam viderat? Tu verò, ô Lynceu, ausus'ne es meam amicam attrectare? O infidelis, nonne tibi manus tunc ceciderunt?

ANNOTATIONES.

1. *CUrquisquam.*] Amici sui Lyncei, cui puellam suam commendaverat, & qui eam corrumpere tentaverat, perfidiam accusat, monetque nulli etiam amicissimo suos amores esse committendos, juxtà illud Ovidii:

Cognatum fratremque cave, fidumque sodalem.

Ille enim qui committit amico puellam suam, ovem lupo credit. Exemplo sit Caudaulus rex Lydorum, qui cum amico suo Gygi formosissimam suam uxorem nudam ostendisset, ab ipso posteà Gyge uxore, regno, vitâ denique ipsâ spoliatus est.

Amico.] Alii legunt, *Amori.* *Amor* enim pro amico, & amica, sæpiùs sumitur. Ut illud Tibulli,

——— *Infelix dum requiescit amor.*

Faciem dominæ.] *Facies* non pro vultu solum, aut oris forma sumitur, sed etiam pro formositate pulcritudine, ac totius corporis figurâ.

5. *Ille Deus.*] Cupido nimirùm, qui præest amoribus.

7 *Hospes adulter.*] Paris, qui quidem à Menelao rege Spartanorum hospitio exceptus, Helenam reginam ipsius conjugem corrupit, rapuitque, ac in Phrygiam abduxit.

8. *Colchis.*] Medea Æetæ Colchorum regis filia, quæ Jasonem peregrinum, ipsius amore correpta in Græciam secuta est.

9 *Lynceu.*] *Lynceus* ille Propertii nostri sodalis idem esse putatur, qui suprà Eleg. 7. Lib. 1. dicitur Ponticus.

Tangere curam.] Amica seu puella; sicut & amor dicitur *cura*, ut dixit lib. 1. Eleg. 1.

——— *Sua quemque moretur Cura.*

& Eleg. 8. ejusdem Lib.

——— *Nec te mea cura moratur?*

ac Eleg. 20.

——— *Nulli cura debita poma,*

Id est, nulli amori, aut amicæ.

Quid si

Quid si non constans illa & tam certa fuisset?
  Posset & in tanto vivere flagitio?
Tu mihi vel ferro pectus, vel perde veneno,
  A domina tantum te modo tolle meâ.
Te socium vitæ, te corporis esse licebit,
  Te dominum admitto rebus amice meis,
Lecto te solùm, lecto te deprecor uno.
  Rivalem possum non ego ferre Jovem.
Ipse meas solus (quod nihil est) æmulor umbras
  Stultus, quod stulto sæpè timore tremo.
Una tamen causa est, quâ crimina tanta remitto;
  Errabant multo quod tua verba mero.
Sed nunquam vitæ me fallet ruga severæ.
  Omnes jam norunt, quàm sit amare bonum,
Lynceus ipse meus seros insanit amores,
  Solum te nostros lætor adire Deos.
Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris

INTERPRETATIO.

Quid autem, si illa non fuisset adeò constans & fidelis? Tunc vivere posses in tam magno scelere. Tu mihi corpus aut gladio, aut veneno interimo; te tantummodo remove à mea amica. Sinam te libenter participem esse animæ & corporis, ac fortunarum mearum dominum te facio; te tantùm à meo lectulo depello; Ego neque Jovem ipsum pati rivalem. Ego etiam umbram meam, quod inane quoddam est, timeo. In hoc sum insanus, quod insano metu tremisco. Una tamen ratio est, propter quam tam magnis sceleribus tuis ignosco; quia nimirùm *lingua tua præ nimio vino titubabat. At nunquam me severitas austera vitæ decipiet: omnes nunc sciunt, quàm suave sit amare. Lynceus etiam amicus meus ad insaniam, licet senex, amat meam puellam: gaudeo te nostros Deos solum rogare. Quid te modo sapientia tua cum Socraticis chartis*

ANNOTATIONES.

14. *A domina tantùm.*] Illud à Propertio de amica deposcitur, quod de uxoribus apud Christianos affirmat Tertullianus Apologetic. *Apud nos*, inquit, *omnia sunt indiscreta præter uxores; in hoc uno loco consortium solvimus.*

18. *Rivalem Jovem.*] Ut suprà Eleg. 13.

> *Possum inimicitias tunc ego ferre Jovis.*

Sic etiam Ovid. Lib. 2. de Arte amandi:

> *Non benè cum sociis regna, Venusque manent.*

23. *Vita me fallet ruga severa.*] Monet nemini esse fidendum, etiam si quis in vultu præ se ferat severitatem, ac vitæ sanctitatem. Sæpè etenim sub ovis habitu lupus delitescit; ut ait Hieronymus.

25. *Seros amores.*] Hoc est, *serus*; ac ætate provectior Lynceus meam puellam efflictim deperit. *Seri* namque *amores* sunt, qui serò ac tardè veniunt, ut suprà Eleg. 7. Lib. 1. dixit:

> *Sæpè venit magno fœnere tardus amor.*

27. *Socraticis libris.*] *Libros* vocat Socraticos, qui de Philosophicis rebus agunt, ut Platonis, Xenophontis,

Proderit? aut rerum dicere posse vias?
Aut quid Cretæi tibi prosunt carmina lecta?
Nil juvat in magno vester amore senex.
Tu satiùs memorem musis imitere Philetam,
Et non inflati somnia Callimachi.
Nam rursus licet Ætoli referas Acheloi
Fluxerit ut magno factus amore liquor:
Atque etiam ut Phrygio fallax Mæandria campo
Errat, & ipsa suas decipit unda vias;
Qualis & Adrasti fuerit voçalis Arion,

INTERPRETATIO.

juvabit, vel rerum caussas reddere posse? vel quid Lucretii te versus legisse juvat? vester senex in amore ardens nihil prodest. Tu potiùs deberes imitari Philetam Musis celebratum, quàm somnia Callimachi ampullati. Quamvis enim rursum narras quomodo unda Acheloi Ætoli amore debiliter serit, necnon quomodo aqua Mæandria Phrygiis in agris ludens evagetur, ac suos etiam cursus fallat. Qualis etiam fuerit humanâ voce præditus Arion equus Adrasti,

ANNOTATIONES.

aliorumque; Socrates enim nullum reliquit librum; ut ait Cicero Lib. 3. de Orator. *Socratis ingenium, variosque sermones Plato immortalitati commendavit, cùm Socrates ipse nullam litteram reliquisset.*

28. *Rerum vias.*] *Rationem mundi* vocat infra versu 51. hujus Elegiæ, quod quidem est, rationes & causas afferre, cur, unde, quodcumque fiat, seu quâ vi ac ordine progrediatur natura.

29. *Cretai.*] Id est Epimenidis Cretensis Poëtæ, qui res Philosophicas carmine dicitur scripsisse; sed alii legunt, *Lucreti*, quod sane magis probatur, Lucretius enim Poëta res naturales eleganti carmine scripsit, ubi etiam amoris quædam remedia lib. 4. tradidit.

30 *Vester amore senex.*] Quis sit ille *Senex* non potest divinari. Nonnulli putant Epicurum intelligi, qui senex de amore scripsit; alii de Homero dici putant, qui dicitur *Mæonius senex*. Ovid. *Præterer Ascræo, Mæonioque seni.*

31. *Philetam.*] *Philetas* Poëta fuit Cous, qui tantâ macie dicitur fuisse, ut calceos haberet, ferro, aut plumbo, ut vult Athenæus Lib. 12. cap. 29. suppactos; ne à vento raperetur. Elegias, epigrammata, aliaque plura scripsit.

32. *Somnia Callimachi.*] *Callimachus* Poëta fuit ex urbe Libyæ notissima Cyrene, Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum regi carus. Plura scripsit, inter quæ sunt Ætia, quæ vocat Propertius hoc in loco *Somnia*, quia nimirùm opus illud est obscurum; unde Martialis cuidam, qui rebus obscuris delectabatur, consulit, ut legat *Ætia Callimachi*.

33. *Ætoli Acheloi.*] *Achelous* fluvius est Ætoliæ & Acarnaniæ, ut refert Strabo Lib. 7. & 8. *Acheloum* fabulantur olim cum Hercule pro Dejanira Oenei regis Calydoniæ filia decertasse, qui cum victus esset, in fluvium sui nominis mutatus est. Vide Ovid. Lib. 9. Metamorphos.

35 *Mæandria.*] De Mœandro flumine Phrygiæ jam sæpiùs. Fluviorum omnium dicitur sinuosissimus, ita ut etiam ad fontes sæpiùs redire suis anfractibus videatur. Non longè à Mileto in mare mediterraneum devolvitur.

37 *Adrasti vocalis Arion.*] Equus fuit *Arion* nomine *Adrasti* regis Argivorum, quem ipsi dono dedisse Neptunus dici-

Tristis ad Archemori funera victor equus.
Amphiaraææ nil profuit tibi fata quadrigæ,
Aut Capanei grata ruina Jovi.
Desine, & Æschyleo componere verba cothurno,
Desine, & ad molles membra resolve toros.
Incipe jam angusto versus includere torno,
Inque tuos ignes dure Poëta veni.

INTERPRETATIO.

qui fuit victor tristis in exequiis Archemori. Fatales equi Amphiaraï, vel Capanei mors jucunda Jovi. Absiste quoque versus scribere Æschyleo socco, corpusque tuum refringe ad choreas molliores. Incipe nunc tenui torno carmina concludere, tuque, ô Vates dure ad tuos amores canendo *accede.*

ANNOTATIONES.

tur. De hoc equo plura refert Pausanias in Arcadicis. *Vocalis* autem dicitur, quia voce fuit humana præditus, sicut & Xanthus Achillis equus domino suo mortem prædicit apud Homerum Iliad. Lib. 19. sub finem.

38 *Tristis ad Archemori funera.*] Lycurgus rex Nemææ ex uxore Eurydice filium sustulit nomine Ophelten, cujus nutrix Hypsipyle, cùm fontem Adrasto, sociisque monstratum iisset, puerum in apio deposuit, ne terram tangeret, quod oraculo prohibebatur. Intereà draco puerum devoravit: quod cùm rescivissent Adrastus sociique, draconem interfecerunt, puerumque vocarunt *Archemorum*, eique ludos funebres instituerunt, quos Nemæos dixerunt, à regione ipsa Nemæa. In his ludis cùm decertasset *Arion* equus *Adrasti*, palmam retulit, victorque extitit. *Tristis* autem dicitur, quod excusso Polynice, quem invitus gerebat, *Adrastum* dominum requisierit.

39. *Amphiaraaa quadriga.*] *Amphiaraus* vates fuit, qui cùm in bello Thebano præliaretur, in terræ hiatum cum curru delatus periit, ut narrat Statius Lib. 7. Thebaid. sub finem.

40. *Capanei grata ruina Jovi.*] *Capaneus* filius Hipponoi fuit unus è septem ducibus, qui ad Thebas decertarunt. Hic Deos omnes, ipsumque Jovem contemnebât, adeò ut se contrà voluntatem Jovis Thebas capturum auderet affirmare. Unde in ipsa expugnatione Thebarum fulmine percussus interiit. Sic verò de *Capaneo* Veget. Lib. 4. cap. 21. *A Capaneo scalarum oppugnatio perhibetur inventa, qui tantâ vi extinctus est à Thebanis, ut extinctus fulmine diceretur.*

41. *Æschyleo Cothurno.*] *Æschylus* fuit Poëta Tragicus, qui primus apud Græcos personas, variaque ornamenta adinvenit. Juxtà illud Horat. in arte Poëtica:

Post hunc personæ, pallæque repertor honestæ
Æschylus, & modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.

Cothurnus autem calceamenti genus est, quem in Theatrum invexit *Æschylus*. *Æschyleo* autem *componere verba cothurno*, idem est ac carmen grandiloquum, tragicoque stylo scribere, cujusmodi scripsit *Æschylus*, qui sublimis gravis, & grandiloquus fuit.

43. *Angusto torno.*] Metaphoricè præcipit scribendos esse Lynceo versus elegos, qui molliores, ac minores versibus Tragicis, qui sunt Heroïci. Horatius impolitos & inconcinnos versus vocat *malè tornatos* in arte Poëtica.

Et malè tornatos incudi reddere versus.

Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero.
    Despicit & magnos recta puella Deos.
Sed non ante gravis taurus succumbit aratro,
    Cornua quam validis hæserit in laqueis.
Nec tu tam duros per te patieris amores,
    Trux tamen à nobis ante domandus eris.
Harum nulla solet rationem quærere mundi,
    Nec cur fraternis Luna laboret equis:
Nec si post Stygias aliquid restaverit undas,
    Nec si consulto fulmina missa tonent.
Aspice me cui parva domi fortuna relicta est,
    Nullus & antiquo Marte triumphus avi:
Ut regnem mixtas inter conviva puellas,
    Hoc ego quod tibi nunc elevor ingenio.
Me juvet æternis positum languere corollis,
    Quem tetigit jactu certus ad ossa Deus.

INTERPRETATIO.

Non securior Antimacho, neque Homero prodibis. Formosa mulier majores etiam Divos aspernatur. Verùm non priùs bos fortis jugo colla submittit, quam firmis vinculis fuerit irretitus: neque, tu tam graves sponte perferes amores: licet sis durus & ferox, attamen priùs à nobis superandus eris. Istarum nulla consuevit inquirere causas rerum, neque quâ de causa Luna fraternis equis laboret, aut hebescat; neque utrum aliquid ex nobis post Stygias aquas supererit, neque utrum adhibito consilio ac ratione missa tonitrua dissultent. Intuere me, cui tenuis admodùm res familiaris superest, & cui nullus olim gesto bello Majorum est triumphus, ut ego convivia admissas inter puellas regnem, eodem isthoc ingenio, quo à te deprimor. Me juvet hesternis in floribus languidum jacere, quem Deus ille potens indevitato telo usque ad ossa vulneravit.

ANNOTATIONES.

45. *Antimacho.*] *Antimachus* Poëta fuit Græcus, cui in genere heroïco secundas detulit consensus Grammaticorum, ut ait Quinctilianus. Hunc tumidum vocavit Catullus:

> *At populus tumido gaudeat Antimacho.*

Ingens *Antimachus* composuit Thebaidos volumen, quod cùm olim legeret convocatis auditoribus, & omnes eum deseruissent præter unum Platonem; *Legam*, inquit, *nihilominus: Plato unus mihi est instar omnium.* De hoc jam diximus in notis ad Catullum.

52. *Fraternis Luna laboret equis.*] *Laborare Luna* dicitur, cum deficit. Virg Lib. 2. Georg.

> *Defectus Solis varios, Lunæque labores.*

Fraternis equis. id est, ob equos fraternos, nempe Solis, qui frater dicitur *Lunæ*, à quo etiam lumen mutuatur.

53. *Post stygias undas.* Id est, an post mortem durent animæ, & aliquid è nobis supersit; an verò simul una cum corpore sensus omnis ac spiritus intereat, quod existimabant Epicurei quodque opinatur & credit Lucretius.

56. *Antiquo Marte.*] Olim gesto bello celebri ac nobili; *Mars* enim belli Deus hic pro bello sumitur.

57. *Ut regnem.*] Exemplo sui probat Poëtas Elegiarum scriptores florere apud puellas, quibus ingenium amatorium placet, non philosophicum.

60. *Certus ad ossa Deus.*] Amor qui & Cupido, cui est certa manus ac sa-

Actia Virgilium custodis littora Phœbi,
  Cæsaris & fortes dicere posse rates,
Qui nunc Æneæ Trojani suscitat arma,
  Jactaque Lavinis mœnia littoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graii,
  Nescio quid majus nascitur Iliade.
Tu canis umbrosi subter pineta Galesi
  Thyrsin, & attritis Daphnin arundinibus;
Utque decem possit corrumpere mala puellam;
  Missus & impressis hœdus ab uberibus.

INTERPRETATIO.

Virgilium juvet canere littora Actiaca Phœbi rei Romanæ *servatoris, & posse celebrare validas Cæsaris Augusti naves qui jam revocat in lucem bella Æneæ Trojani conditamque ab ipso urbem in littoribus Lavinis. Romani Scriptores* illi *cedite, cedite Græci. Iliade nescio quod opus majus nascitur.* O Virgili, *tu celebras Thyrsin ac Daphnin politis calamis inter pineta Galesi obumbrati, & quomodo puellam queant corrumpere decem poma, ac capreolus raptus à mammis non mulctis.*

ANNOTATIONES.

gitta, quæ ad medullas Propertii penetravit.

61. *Actia Virgilium littora.*] Delectet, inquit, *Virgilium* scribere bellum *Actiacum* ab Augusto adversus Antonium gestum, quandoquidem versibus heroicis ingenium habet accommodatissimum; ego verò tenui, mollique Elegiarum stilo scribam amores. Alludit ad 8. Librum Æneid. in quo Virg. *Actiacam* pugnam luculentissimè, ac laudes Augusti descripsit. Benè autem dixit *littora*, ut duos exercitus significaret, alterum in mari, alterum in continenti, nam terrâ marique pugnatum est.

Custodis Phœbi.] Alludit ad Augustum qui sæpiùs sub nomine *Phœbi* latuit; unde & Horat. *Custode rerum Cæsare*, &c.

62. *Fortes rates.*] Classem seu milites Classiarios intelligit.

63. *Æneæ Trojani arma.*] Hoc est, *Æneam* ipsum veluti sepultum reducit in lucem. Alludit autem ad Æneidos principium,

Arma virumque cano.

64. *Lavinis littoribus.*] *Lavinium* urbem ab ipsis fundamentis conditam intelligit, alluditque ad illud Virgilii Æn. Lib. 1. *Laviniaque venit littora.* *Lavinium* porrò fuit oppidum ab Ænea conditum in Latio non procul à littore maris, quod hoc nomine voluit Æneas ab uxore sua *Lavinia* vocari.

67. *Umbrosi Galesi.*] *Galesus* fluvius est Calabriæ non procul à Tarento, circa quem Virgilius habuisse secessum dicitur, ac poëmata panxisse, maximè verò pastoralia. *Galesi* meminit ipse Virgilius in Georgicis.

Quâ niger humectat flaventia culta Galesus.

68. *Thyrsin & Daphnin.*] Alludit ad Eclogas Virgilii 5. & 7. quibus *Thyrsis* ac *Daphnis* celebrantur.

69. *Utque decem mala.*] Attingit hos Virgilii versus Eclog. 3.

Quod potui puero silvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

70. *Impressis hœdus ab uberibus.*] Cujus nempè mater capella non mulgetur, ut fœtus seu capreolus sit pinguior. *Impressa ubera*, hoc est, non pressa. Virgilianus autem pastor mittit etiam & hædos.

Hæc quoque perfecto ludebat Jasone Varro,
Varro Leucadiæ maxima flamma suæ.
Hæc quoque lascivi cantarunt scripta Catulli;
Lesbia queis ipsâ notior est Helenâ,
Hæc etiam docti confessa est pagina Calvi,
Cùm caneret miseræ funera Quintiliæ.
Et modò formosâ quam multa Lycoride Gallus

INTERPRETATIO.

Similia etiam scribebat Varro absoluto Jasone, Varro nimirùm ille summus amator suæ Leucadiæ. Similia quoque cecinerunt versus parùm pudici Catulli, quibus Lesbia magis est celebrata quàm Helena. Similia etiam cantavit docti Calvi pagina, cùm infelicis Quintiliæ mortem deflet. Quam multa etiam vulnera à pulcra Lycoride impressa non ita pridem vita functus Gallus

ANNOTATIONES.

bucolica cecinerit, non fuit tamen ob hæc minore spiritu ac vi: si verò in iis minor fuisse videatur, non ideò tamen olor & Vates præstantissimus tenui ac deductâ voce canens cessit indocto carmini *Anseris* Poëtæ. Olor autem Virgilius, quia Poëtæ Olores vocantur, & ingenio candidi, & voce canori. *Anser* autem fuit malus ac miserabilis Poëta, Virgilii æmulus, à quo graviter & invidiosè lacessitus Virgilius non respondit.

85. *Hæc quoque ludebat Varro.*] Similiter etiam absolutis Argonauticis, amatorios versus ac Elegos scribebat *Varro* Atacinus, à patria Atace Galliæ Narbonensis vico sic nuncupatus, de quo Horat. Satyr. 10 Lib. 1.

Hoc erat experto frustrà Varrone Atacino, &c.

Perfecto Jasone.] Hoc est, absolutis Argonautis, quorum dux ac princeps fuit *Jason*, unde & *Jasonia* Carina pro Argo suprà Eleg. 2. hujus Libri v 45. Varro namque Atacinus scripsit Argonautica, ut testatur Ovid. Eleg. ultima Lib. 1. Amor.

Varronem, primamque ratem quæ nesciet ætas,
Aurea Æsonio terga petita duci.

& Lib. 3. de Arte amandi.

Dictaque Varroni fulvis insignia villis
Vellera germana, Phryxe, quærenda tua.

86. *Leucadiæ maxima flamma.*] Hoc est, qui summo flagrabat amore *Leucadiæ* suæ. Ex hoc loco constat Leucadiam adamasse Varronem, ipsamque versibus celebrasse, quemadmodum Catullus Lesbiam, Tibullus Deliam, Lycoridem Gallus, Quintiliam Calvus, ac Propertius Cynthiam celebrarunt.

87. *Hæc quoque scripta Catulli.*] Similiter quoque Catullo celebrata sunt amatoria carmina.

88. *Lesbia.*] Catullianis sanè versibus amatoriis facta est notissima.

89. *Hæc etiam pagina Calvi.*] *Doctus* etiam *Calvus* Elegos, ac versus amatorios composuit. Fuit porrò *Calvus* Poëta Catulli amicissimus, ad quem Epigramma scripsit 94. de morte immatura Quintiliæ. Unde & Ovid. de morte Tibulli:

Et tu cum Calvo docte Catulle tuo.

90 *Funera Quintiliæ.*] *Quintiliam* amicam immaturâ morte sublatam Calvus Poëta carmine funebri deflevit, ut pote quam amore summo prosequebatur. Unde Catullus Epigr. suprà laudato.

Certè non tanto mors immatura dolori est
Quintiliæ, quantum gaudet amore tuo.

91. *Formosa Lycoride Gallus.*] Cornelius *Gallus* Forojuliensis elegantissimus

Mortuus infernâ vulnera lavit aquâ.
Cynthia quin etiam versu laudata Properti,
Hos inter si me ponere fama volet.

INTERPRETATIO.

abluit in undis Stygiis! Prætereà etiam Cynthia Propertii carminibus decantata est, si me quidem fama dignabitur iis annumerare.

ANNOTATIONES.

Poëta, de quo Virgilius In Bucolicis, amicam suam *Lycoridem* versibus illustravit. De *Gallo* ac *Lycoride* Martial. Lib. 8. Epigr. 72.

Ingenium Galli pulcra Lycoris erat.

Ovid. Lib. 1. Amor. Eleg. ultimâ:

Gallus & Hesperiis, & Gallus notus Eois,
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

Idem Lib. 3. de Arte amandi:

Vesper & Eoa novere Lycorida terra.

De *Lycoridis Gallique* amoribus legenda Virgilii Ecloga decima, quæ nihil aliud sonat.

De *Gallo* scribit Eusebius, quod primus Ægyptum in provinciæ formam reductam ab Augusto tenuerit, sibique manu propriâ mortem consciverit hostis à senatu judicatus. Ovidius autem testatur ipsum sibi maledicâ, effrænique linguâ mortis causam comparasse.

Non fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo,
Sed linguam nimio non tenuisse mero.

92. *Vulnera lavit.*] Tum ea quæ sibi ipse sese occidendo intulit, tum etiam ea, quæ ex Lycoridis consuetudine, amoribusque contraxerat, Gallus infernis aquis abluit.

93. *Cynthia.*] Propertii amica, quam suis ubique celebrat carminibus, quamque semper constanterque adamavit, ut ipse testatur,

Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

De Cynthiæ & Propertii amoribus Ovid. Lib. 2. de remedio Amoris:

Carmina quis potuit tutò legisse Tibulli?
Vel tua, cujus opus Cynthia sola fuit?

94. *Hos inter si me ponere fama volet.*] Si me, inquit, illis, Virgilio nimirùm, Varroni, Catullo, Calvo, Gallo, aliisque voluerit annumerare *Fama*.

LIBRI SECUNDI FINIS.

SEXTI

SEXTI AURELII PROPERTII ELEGIARUM LIBER TERTIUS.

ELEGIA I.

CALLIMACHI manes, & Coi sacra Philetæ,
In vestrum, quæso, me sinite ire nemus.

INTERPRETATIO.

O Umbra Callimachi, vosque, ô manes Philetæ Coi, oro, mihi permittite vestros lucos adire.

ANNOTATIONES.

1. *CAllimachi manes.*] Amores scribere pergens *Callimachi*, Philetæque umbras invocat Propertius, ut eorumdem sacrorum, quorum fuerant antistites, possit esse particeps; hoc est, optat annumerari inter elegiacos Poëtas, quales fuerant apud Græcos *Callimachus* & Philetas; de quibus diximus Eleg. 34. Lib. 2. Ambo nimirùm isti Poëtæ Elegiarum, Amorumque lusores fuerunt; ut testatur Ovid. Lib. 2. de remedio Amoris.

Callimachum fugito, non est inimicus amori.

Et cum Callimacho tu quoque Coë noces.

Deinde seipsum commendat, quod primus apud Latinos elegorum poëmatum genus excoluerit, unde sibi immortale nomen auguratur.

2. *In vestrum nemus.*] Ut suprà Eleg. 13. Lib. 2. dixit:

Jussit & Ascræum sic habitare nemus.

Qui scilicet, ut ait Horat. Lib. 2. Epist. 2.

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbem.

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Grajos orgia ferre choros.
Dicite quo pariter carmen tenuastis in antro,
Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam.
Ah valeat, Phœbum quicumque moratur in armis.
Exactus tenui pumice versus eat,

INTERPRETATIO.

Ego antistes primus incipio aquâ mundâ lotus orgia Italica portare per choros Græcos. Docete me, oro, quâ vos in spelunca versus vestros *simul unà limastis, & quo pede* illuc *accessistis, & ex quo fonte aquam hausistis. Ah! facessat quisquis Phœbũ in bellu* can eodis *desinet. Accuratè expolitum gracili mollique pumice fluat car-*

ANNOTATIONES.

3. *Primus ego sacerdos.*] Sic etiam Horatius:

— *Carmina non priùs*
Audita Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto.

Primum igitur sese fuisse gloriatur inter Romanos, qui versus elegos ad Græcorum consuetudinem, & morem scripserit.

4. *Itala per Grajos Orgia.*] *Orgia* dicuntur apud Græcos omnium Deorum sacra, sicut cæremoniæ & ritus apud Latinos; unde, licet *Orgia* Bacchi sacra abusive nominentur, omne tamen negotium cæremoniale, sacrorumque mysteria vocitantur *Orgia*. Vocat autem hic Propertius *Orgia* Musarum sacra. Habent enim & Musæ suas cæremonias, ritus, & sacra, quæ etiam ab Statio Lib. 5. silvarum epicedio in filium vocantur *Orgia*.

— *Quæ vestra Sorores*
Orgia Pieria, quas incestavimus aras?

Cùm autem Poëtæ sint Musarum sacerdotes, significat Propertius se primum inter Latinos Poëtas Elegiarum scriptores ferre mystica Latini carminis Elegi Sacramenta per Græcorum Poëtarum choreas ducentium cœtus, quasi ante Propertium nemo Latinorum Elegiam illustrasset, sed à solis Græcis fuisset celebrata.

5. *Carmen tenuastis in antro.*] Nemorum secessus & *antra* Nymphis, Musisque sacra dicuntur; quia silentium scribentibus maximè convenit, secessusque studia, cogitationemque meditantis intendit. Fuerunt autem plura *antra* peculiariter Musis dicata, quorum celeberrimum fuit in Parnasso Corycium, unde Coryeides Nymphæ vocantur ab Ovidio Musæ, sicut & Libethrides ab *antro* Libethro iisdem in monte Helicone sacro.

Tenuare porrò *carmen* est illud ad stylum tenuem & mollem caracterem, quali usi sunt Callimachus & Philetas, in pangendis Elegiis concinnare.

6. *Quove pede ingressi.*] Bono an malo, dextro an lævo.

Quamve bibistis aquam.] Quo ex fonte hausta aqua vos effecit Poëtas Elegiacos. Alludit ad fontes, qui plurimi quondam fuere Musis dicati, ex quibus fingebantur bibisse, qui Poëtæ fiebant. In his celeberrimus fons Hippocrene seu Caballinus, & Aonius in Bœotia. Statius:

Da fontes mihi Phœbe novos. —

Itemque:

Et de Pieriis vocalem fontibus undam.

Persius in Prologo:

Nec fonte labra prolui Caballino.

8. *Exactus tenui pumice.*] Hoc est, tenui gracilique stylo accuratè expolitus. Alludit autem ad consuetudinem, qua solebant veteres expolire pumice Libros suos. Plinius Lib. 36. cap 21. *Pumices in usu sunt corporum lævigandorum atque Librorum.*

Quo me fama levat terrâ sublimis, & à me
Nata coronatis Musa triumphat equis,
Et mecum in curru parvi vectantur amores,
Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes Annalibus addent,
Qui finem imperii Bactra futura canent.
Sed quod pace legas, opus hoc de monte Sororum
Detulit intactâ pagina nostra viâ.
Mollia Pegasides vestro date serta Poëtæ.

INTERPRETATIO.

men, quæ me humo attollit sublimem fama nobilis, ac ex me nata Musa laureatis equis triumphat, mecumque unà simul in curru parvi vehuntur Amores, ac Poëtarum multitudo currum meum prosequens. Quare adversum me laxis lorus contenditis! Non est latum iter ad Musas properandi. O Roma, plurimi Scriptores *augebunt Historias tuis laudibus, qui Bactra fore terminos Imperii Romani cantabunt. At libellus noster semitâ nulli hactenùs tritâ attulit de monte Sororũ istud opus, quod in pace legas. O Pegasides, affundite vati vestro blandos flores.*

ANNOTATIONES.

10. *Nata Musa.*] Quasi primus ipse sit apud Latinos Carminis Elegiaci scriptor, natam à se dicit Musam amatoriam curru vehi triumphali, in quo Cupidines secum pariter unà vectentur, Poëtarum turba subsequatur.

14. *Non datur ad Musas lata via.*] Angusta siquidem & arcta via conceditur ad Musas tendentibus. Alludit ad viam arctam & arduam virtutis, & ad Pythagoræ litteram, ut Eleg 11. Lib. 4.

Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires.

15. *Laudes annalibus addent.*] *Annales* historiæ Romanæ scripserunt Ennius, Fabius Pictor, Piso, Livius, Volusius, apud Catullum, Cornelius Tacitus. Plures autem alii Rom. historiam scripserunt, sed *Annales* non sunt Historia, sed potiùs historiæ species, quâ res gestæ, observato cujusque anni ordine, describuntur. Quid verò differant Annales ab Historia, planè docet Aulus Gellius Lib 5. cap. 18.

16. *Bactra.*] Seu *Bactrum* oppidum est primarium & regio Scythiæ ab amne *Bactro* præterlabente nomen habens. *Bactriana* regio quondam ad Persarum imperium spectabat. Hanc describit Curtius Lib. 7.

17. *De monte Sororum.*] Ex Helicone, vel Parnasso monte Musis sacro; *Sorores* enim Musæ dicuntur, ut Lib. 2. Eleg. 30.

Illic aspicies scopulis hærere Sorores.

18 *Intacta via.*] Quam nimirùm nullus Romanorum ante Propertium ingressus est, ut mox dixit,

Primus ego ingredior, &c.

Virgil. lib. 3. Georgic.

Sed me Parnassi deserta per ardua dulcis
Raptat amor; juvat ire jugis, quâ nulla priorum
Castaliam molli divertitur orbita clivo.

19. *Pegasides.*] Musæ dicuntur *Pegasides* à fonte, quem *Pegasus* ictu ungulæ dicitur aperuisse, qui dictus est Hippocrene. *Pegasis* etiam dicta est Oenone Nympha, quæ Paridem adamavit.

Mollia serta date.] Molles blandosque petit flores, quia Elegos versus

Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
Post obitum duplici fœnore reddet honos.
Omnia post obitum fingit majora vetustas,
Majus ab exequiis nomen in ora venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces?
Fluminaque Æmonio comminus isse viro?
Idæum Simoënta Jovis cunabula parvi?
Hectora per campos ter maculasse rotas?

INTERPRETATIO.

non enim fronti meæ conveniet laurea bello parta. Sed quod mihi viventi detraxit malignum vulgus, illud mihi post mortem fama duplo aucta cum usura restituet. Post mortem posteritas omnia fuisse majora imaginatur. Majus nomen post obitum sermone hominum incipit celebrari. Quisnam enim scires fuisse pulsatas arces equo ligneo? ac fluvios cum duce Æmonio fuisse congressos? Quis nosset *Idæum Simoëntem Jovis infantis incunabula? Hectoremque per agros ter currus cruentasse?*

ANNOTATIONES.

scribit amatorios. Ita etiam Tibullus Eleg. 7. Lib. 1.

20. *Dura corona.*] Vel duro labore ac bello parta, vel ex foliis asperioribus, ut querneis, ob cives servatos. Sed videtur intelligi versus gravis, & bellis canendis accommodatus ac duratus.

21. *Quod vivo detraxerit invida turba.*] Ad mentem etiam Propertii canit Ovid. Lib. 1. Amor. Eleg. ultima.

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit;
Tunc suus ex merito quemque tuetur honor.

Admodum etiam eleganter dixit Velleius Patereulus. *Præsentia invidiâ, præterita veneratione prosequimur.*

23. *Post obitum fingit majora vetustas.*] Illud est hominibus insitum ac innatum, ut semper magis quæ præterierunt, venerentur. *Vivos*, ait Sallustius, *sæpè invidia fatigat; sed ubi anima naturæ cessit, demptis obtrectatoribus ipsa se virtus magis magisque prodit.*

25. *Equo abiegno pulsas nosceret arces.*] Pergama, seu Trojam intelligit, quam *equus* ille ligneus, seu *abiegnus* à Græcis fabricatus evertit, & exscidit, ut refert Virgil. Lib. 2. Æneid. *Abiegnus* porrò dicitur ille equus; quia erat ex *abiete* ligno conflatus, ut idem ait Virgil.

——— Sectâque intexunt abiete costas.

26 *Fluminaque.*] Xanthum & Simoëntem significat, qui referuntur ab Homero, junctis simul aquis, Achillem Trojanos trucidantem obruere, tentavisse.

Æmonio viro.] *Vir Æmonius* dicitur Achilles, ab Æmoniâ, quæ & Thessalia, ex quâ fuit oriundus.

27. *Idæum Simoënta.*] *Simoïs* fluvius est Phrygiæ non procul à Troja ex *Ida* monte vicino fluens, unde dicitur *Idæus*. Fuit autem mons duplex nomine *Ida*; alter fuit in Phrygia non procul à Troja; alter in Creta. Utrobique autem à variis scriptoribus dicitur Juppiter nutritus. In *Ida* Phrygiæ vult Jovem educatum Propertius, cùm dicit,

——— Jovis incunabula parvi.

Ovidius verò cum pluribus aliis scribit ipsum nutritum in *Ida* Cretæ Lib. 8. Metamorphos.

Certè ego non patiar Jovis incunabula Creten.

Idem Eleg. 9. Lib. 3. Amor.

Cretes nutrito terra superba Jove.

Alii verò litem dirimere cupientes Jovem dicunt in *Ida* Phrygiæ natum, in *Ida* Cretæ fuisse educatum; sic utraque *Ida* dici potest *Jovis incunabula parvi.*

28. *Ter maculasse rotas.*] Quia ni-

Deïphobumque, Helenumque, & Polydamanta sub armis.
Qualemcumque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc Ilion, & tu
Troja bis Oetæi numine capta Dei.
Necnon ille tui casus memorator Homerus
Posteritate suum crescere sensit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes.
Illum post cineres auguror esse diem.
Ne mea contempto lapis indicet ossa sepulchro,
Provisum est, Lycio vota probante Deo.

INTERPRETATIO.

Deïphebum, & Helenum, ac Polydamantem sub armis cecidisse? Qualemcumque Paridem vix sua patria cognovisset. O Ilion, tenuis de te & obscura esset fama, ac de te etiam, ô Troja, iterùm numine Dei Oetai expugnata. Ille etiam excidii tui narrator Homerus sensit suum opus majus fieri vetustate. Me quoque apud posteros suos olim Roma laudabit. Illud tempus post mortem fore vaticinor. Ut solus lapis corpus meum in vili monumento non indicet prospectum est à me, Lycio Deo votis meis annuente.

ANNOTATIONES.

mirùm *ter* circum urbem Trojam interfectum Hectorem ad currum alligatum raptari jussit, ut refert Virgil.

Ter Circum Iliacos raptaverit Hectora muros.

29. *Deïphebumque Helenumque.*] *Deïphebus, Helenusque* Paridis fratres, filiique Priami Trojanorum Regis fuerunt, carminibus Homeri, Virgiliique notissimi.

Polydamanta sub armis.] *Polydamas* vir fuit Trojanus Panthi filius prudentiâ ac sapientiâ singulari præditus, qui, ut retulit Homerus, præsentia noverat, & futura.

30. *Qualemcumque Parin.*] Formosum quidem, sed imbellem & adulterum vix patria, civesque sui cognovissent.

32. *Troja bis Oetai numine capta Dei.*] *Troja* & *Ilion* hic à Poëta separantur, licet sint idem, nisi fortè *Ilion* sit urbs, & *Troja* regio dicatur. *Oetæus* verò *Deus* dicitur Hercules ab *Oeta* monte Thessaliæ, in quo conflagravit. Dicitur autem bis *capta Troja* ab Hercule, seu nutu Herculis, quia nimirùm Hercules ipse eam cepit, postquam ei denegasset equos promissos Laomedon Rex. Iterùm verò ejusdem Herculis numine capta fuit *Troja*, cum Agamemnone duce, Græci post decem annorum obsidionem ipsam expugnarunt, postquam Herculis ipsius sagittis, in quibus fatum Trojæ fuit positum, Paridem occidisset Philoctetes.

35. *Nepotes.*] Propriè sunt filiorum filii, sed hîc posteri significantur.

38 *Lycio vota probante Deo.*] *Lycius Deus* dictus est Apollo à *Lycia* Asiæ Provincia, ubi impensè colebatur, clarissimumque templum habuit; unde & *Lycia* sortes à Virgilio dicta sunt Apollinis oracula. Templum porrò Apollinis *Lycii* in civitate Patara fuit, unde iste Deus etiam dictus est Pataræus. De ipsoque dixit Ovidius:

——— *Pataraque regia servit.*

ELEGIA II.

AD CYNTHIAM.

CARMINIS intereà nostri redeamus in orbem,
Gaudeat ut solito tacta puella sono.
Orphea detinuisse feras, & concita dicunt
Flumina Threïcià sustinuisse lyrà.
Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem
Sponte suâ in muri membra coisse ferunt.
Quinetiam, Polypheme, ferâ Galatea sub Ætnâ
Ad tua rorantes carmina flexit equos.
Miremur, nobis & Baccho & Apolline dextro,
Turba puellarum si mea verba colit?

INTERPRETATIO.

INterim in Versus nostri gyrum revertamur, ut amica consueto cantu capta delectetur. Orpheum narrant belluas immanes ad se traxisse, ac rapides amnes Thraciâ citharâ fuisse remoratum. Aiunt etiam rupes Cithæronis per cantum Amphionis *attractas è sedibus suis sponte suâ Thebas in muri formam convenisse. Insuper, ô Polypheme, Galatea ad tuos versus sub inculta Ætna equos suos madidos convertit. Ad-miremurne* igitur, *si totus puellarum chorus, tùm mihi Bacchus Apolloque faveant, meis carminibus capiatur?*

ANNOTATIONES.

1. *CArminis intereà.*] Cynthiæ suæ significat Poëta nihil esse carminibus perennius, nullasque esse moles ædificiorum aut pyramidum, & monumentorum superbas structuras, quæ non aliquando finem sint habituræ, ac destruantur; sed solam virtutem viribusque ingenii partam gloriam, & famam semper victuram.

3. *Orphea detinuisse feras.*] Quomodo *Orpheus* ad se *feras* lyræ cantu traxerit, narrat Ovidius Lib. 10. & 11. Metamorphos. Nos etiam de hoc suprà sæpiusque diximus.

5. *Saxa Cithæronis.*] Mons est Bœotiæ Parnasso vicinus Musis Bacchoque sacer, cujus saxa fabulantur è sedibus suis convulsa, & attracta lyræ Amphionis cantu spontè suâ coaluisse, ut Thebarum, quæ civitas est Bœotiæ, omnibus suis partibus mœnia componerent.

7. *Polypheme.*] *Polyphemum* Cyclopem Neptuni filium sub Ætna Siciliæ monte degentem Galateam Nympham fabulantur adamasse.

8. *Rorantes flexit equos.*] Ad Polyphemum Galateam Poëta dicit *equos rorantes* ac madidos flexisse, quia nimirùm ipsa fuit marina Nympha, Nerei filia, quàm curru vectam per aquas maris ad amatorem venisse fingit. *Equis* enim marinis Dii marini vehuntur. Tibullus Lib. 1. v. 10.

Vecta est frænato cærula pisce Thetis.

Statius Lib. 2. Thebaid.

Illic Ægæo Neptunus gurgite fessos
In portum deducit equos. ———

9. *Baccho & Apolline dextro.*] *Bacchus & Apollo* Dii sunt Poëtarum tutelares, præsuntque Carminibus; unde cùm faveant, propitiique sint Propertio; non est mirum, si puellis carus sit, ejusque versus jucundi. Dixit etiam infrà Eleg. 9.

Hæc curent pueri, curent hæc scripta puellæ,
Meque Deum clament, & mihi sacra ferant.

Quod non Tænariis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes,
Nec mea Phæacias æquant pomaria silvas,
Non operosa rigat Martius antra liquor.
At Musæ comites, & carmina cata legenti,
Et defessa choris Calliopea meis.
Fortunata meo si qua es celebrata libello,
Carmina erunt formæ tot monimenta tuæ.
Nam neque Pyramidum sumptus ad sidera ducti,
Nec Jovis Elæi cœlum imitata domus:

INTERPRETATIO.

Quod si mihi non est domus subnixa columnis Tænariis, neque cubiculi fornix deauratis trabibus interjecto ebore nitens; quod si neque mea pomaria adæquant hortos Phæaceos, neque mihi cryptas magnis sumptibus laboribusque excultas aqua Martia perfundit. Sunt *tamen mihi Musæ comites, versusque mei jucundi* sunt *lectoribus, meisque choreis & cantibus lassata est Calliope. O felix Cynthia, quæ meis es libris celebrata, si mei versus erunt tot monumenta tuæ pulcritudinis. Non enim Pyramides sumptuosa ad cœlum usque surgentes, neque templum Jovis Elæi cœli formam speciemque referens,*

ANNOTATIONES.

11. *Tænariis domus fulta columnis.*] *Tænariæ columnæ* sunt ex Laconico marmore. *Tænarus* enim mons est promontorium Laconiæ in Peloponneso, unde nobilissimum quondam eruebatur marmor; de quo etiam Statius Lib. 3. Silvar. in Epithalamio Stellæ & Violantillæ.

Hic Libycus, Phrygiusque silex, hic dura Laconum
Saxa virent. ——— ———

De *Tænaro* jam diximus, tum in notis ad Tibullum, tum ad Eleg. 13. Lib. 1. Propertii.

12. *Nec Camera.*] Pars est superior cubiculi in fornicis formam constructa.

13. *Phæacias silvas.*] Insula Corcyra dicta est *Phæacia* à Phæaco Alcinoi filio, qui ibidem habuit hortos, quibus tota antiquitas nihil vidit mirabilius. De his Homerus Lib. 7. & 12. Odyss. Virg. Lib. 2. Georgic.

Pomaque & Alcinoi silvæ. ———

Pomaria loca sunt consita pomis, ac etiam aliquando sunt pomorum repositoria. Hic verò est id quod Gallicè dicitur, *un Verger*.

14. *Martius liquor.*] Dixit Tibullus Eleg. ultimâ Lib. 3. *Martia lympha.* *Martia* porrò aqua laudatissima fuit. *Martiamque* aquam aquarum omnium maximam & præstantissimam in urbem Romam perductam à P. & Q. *Marciis* è gente Regis Anci Marcii ait Frontinus Lib. 2. de Aquæ ductibus. Hanc ferè collapsam restituit M. Agrippa.

16. *Calliopea.*] Seu *Calliope*, una est ex Musis, quæ versibus heroïcis præesse dicitur.

19. *Pyramidum sumptus.*] *Pyramides* fuerunt in Ægypto turres fastigiatæ celsitudinem superantes omnem, quæ manu fieri possit. Hæ fuerunt inter orbis septem miracula numeratæ, fueruntque Regum Ægyptiorum sepulcra. De his scripserunt Herodotus, Diodorus, Strabo, Plinius, Solinus cap 35. Ammian. Marcellinus Lib. 22 Quanti porrò fierent *sumptus pyramidibus* illis fabricandis docet Plinius Lib. 36. cap. 12. ubi scribit unam *Pyramidem* à 360 millibus operariorum per viginti annos fuisse constructam.

20. *Jovis Elæi domus.*] Intelligitur *Jovis* Olympii templum, quod apud *Elæos* populos in Elide fuit celeberrimum oraculo ac ludis Olympicis. Ibi

Nec Mausolei dives fortuna sepulcri
  Mortis ab extrema conditione vacat.
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
  Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæsitum nomen ab ævo
  Excidet: ingenio stat sine morte decus.

INTERPRETATIO.

neque pretiosæ opes tumuli Mausolai sunt immunes ab ultima fati sorte. Namque vel illa ignis, vel aquarum illuvies gloriam & ornatum auferent, vel eorum moles temporum injuria fracta destruentur. Sed laus & fama mentis viribus parta nunquam è memoria delebitur hominum. Cæteris extinctis, semper vivit sine metu fati ingenio partus honor.

ANNOTATIONES.

fuit solidum ex auro ipsius *Jovis* simulacrum, ac statua *Jovis* eburnea incredibili magnitudine à Phidia fabrefacta.

21. *Mausolei dives fortuna sepulcri.*] *Mausolus* rex fuit Cariæ, cui mortuo sepulcrum construxit uxor Artemisia celebratissimum, quod in altitudinem attollebatur viginti quinque cubitorum, columnis triginta sex cingebatur. Tantâ operâ, tantis sumptibus, tantâ fuit industriâ elaboratum istud opus, ut fuerit inter septem orbis miracula recensitum, omniaque pretiosa sepulcra ex ejus nomine *Mausolea* nuncupentur; ut apud Suetonium Cæsarum sepulcrum, quod extruxit Augustus; *Mausolaum* vocatur.

24. *Annorum ictu.*] Sic etiam Virg. Lib. 12. Æneid.

——— Seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas.

25. *Non ingenio quæsitum nomen.*] Sic etiam Albinovanus in obitum Mæcenatis.

Marmora Mæonii vincunt monimenta libelli,
Vivitur ingenio: cætera mortis erunt.

Martialis Lib. 10. Epigram. 2.

At chartis nec furta nocent, & secula prosunt,
Solaque non norunt hæc monimenta mori.

ELEGIA III.

ELEGIA III.

PROPERTII SOMNIUM.

VISUS eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontæi quâ fluit humor equi:
Reges, Alba, tuos, & regum facta tuorum,
Tantum operis, nervis hiſcere poſce meis:
Parvaque tam magnis admoıam fontibus ora,
Unde pater ſitiens Ennius ante bibit,
Et cecinit Curios fratres, & Horatia pila,

INTERPRETATIO.

Mihi videbar reclinato corpore quieſcens ſub umbra ſuavi Heliconis, quâ parte fons equi Bellerophontæi ſcaturit, conari Reges tuos, ô Alba, regumque tuorum geſta, tanta molis erat, fidibus meis canere: meumque exiguum os adeò magnis aquis applicueram, ex quibus olim Ennius ipſe parens ſitibundus potavit, ac ſtatim Curios fratres armaque Horatia cantavit.

ANNOTATIONES.

1. *Viſus eram.*] Somnium narrat Poëta, quo ſibi per quietem ac ſomnum in monte Helicone dormire viſus erat, cumque heroïco carmine ac grandiori ſtylo bella ſcribere meditaretur, à Phœbo admonitum ſe dicit, ut à graviori carmine ad amatorios verſus, elegoſque ſeſe converteret: quod idem etiam ſibi conſuluiſſe Calliopen Muſam refert.
Helicon porrò mons eſt Bœotiæ Baccho Muſiſque ſacer, de quo jam ſæpiùs.

2. *Bellerophontæi equi humor*] Ad Heliconem montem fons eſt Caballinus, ſeu Hippocrene, quem dicitur ungulâ ſuâ produxiſſe Pegaſus *equus*, quem *Bellerophontæum* dicit, quòd à *Bellerophonte* Neptuni beneficio fuerit deprehenſus, ut eo contra Chimæram pugnaturus uteretur.

3. *Reges, Alba, tuos.*] *Albanos Reges*, à quibus Romani duxerunt originem, enumerat Livius Lib. 1. ac etiam Ovidius Lib. 14. Metamorph. Somniabam, inquit, me non imparem eſſe regibus Albanis ſublimi carmine celebrandis, meamque ad tantum opus citharam abundè ſufficere poſſe.

6. *Pater Ennius.*] Quintus *Ennius* Poëta Tarentinus, alii Rudienſem dicunt, dicitur *pater* tum honoris ac dignitatis causâ, tum quia Poëtarum Latinorum primus res Romanorum, ſeu Annales, ac Hiſtorias heroïco carmine ſcripſit. De hoc Lucret. Lib. 1.

Ennius ut noſter cecinit, qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.

Porrò dicitur *Ennius* articulari morbo periiſſe, quem immodico vino potando, ſiccandiſque calicibus contraxerat, unde Q. Serenus.

Ennius ipſe pater, dum pocula ſiccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruiſſe dolores.

Horatius etiam Lib. 1. Epiſt. 19.

Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſiluit dicenda. ———

7. *Curios fratres, & Horatia pila.*] Pugnam intelligit tergeminorum *Curiatiorum* adverſus tergeminos *Horatios*. Hi nempe *Horatii* fuerunt Ro-

Regiaque Æmiliâ vecta trophæa rate,
Victriceſque moras Fabii, pugnamque ſiniſtram
Cannenſem, & verſos ad pia vota Deos,
Hannibalemque Lares Romanâ ſede fugantes,
Anſeris & tutum voce fuiſſe Jovem:

INTERPRETATIO.

ac regales triumphos Æmiliâ navi vectos, ac victrices Fabii cunctationes, ac infelix prælium Cannense, flexosque tandem ad pias preces divos, & Lares Annibalem Romanis sedibus expellentes, Jovemque servatum anseris clamore:

ANNOTATIONES.

mani, *Curiatii* verò Albani. Primo ſtatim conflictu duo *Horatii* ceciderunt, unuſque ſuperſtes contrà *Curiatios* tres ita fortiter ac ſtrenuè pugnavit, ut eos ſuperaverit ac trucidaverit; unde factum eſt, ut *Albani* Romanis obſequerentur. Hiſtoriam illam pluribus referunt Livius Lib. 1. ac Dionyſius Hal. Lib. 3.

Horatia pila.] Ita dicta eſt columna, quæ fuit erecta in iſtius pugnæ monimentum, cuique impoſita & affixa fuerunt Curiatiorum ſpolia. Fuit etiam locus Romæ dictus *Horatia pila*, de quo Publius Victor.

8. *Regiaque Trophæa.*] Triumphum Macedonicum intelligit, quo Perſeus Macedoniæ rex ductus eſt Romam captivus à Paulo Æmilio, poſtquam eſſet bello ſuperatus. Triduanum Pauli Æmilii de Perſeo triumphum retulerunt Livius Lib. 44. Patarchus in vita Pauli Æmilii. Juſtin. Lib. 33. Velleius Paterculus Lib. 1. Aurelius Victor de viris illuſtr. cap. 56. Eutrop. Oroſius & aliis.

Trophæa porrò propriè dicebantur ſpolia hoſtium ſtipitibus affixa, &c.

Æmiliâ rate.] Navem illam ſignificat, quâ Paulus *Æmilius* poſt devictum Perſeum per Tiberim ſexdecim remorum ordinibus inſtructâ, armiſque ac ſpoliis hoſtilibus ornatâ, Romam vectus navigavit.

9. *Victriceſque moras Fabii.*] *Fabium* illum Maximum intelligit, qui moras nectendo, præliumque declinando, Annibalem hactenùs invictum fregit, vicitque; unde ſcripſit Ennius:

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.

10 *Cannenſem pugnam.*] *Cannenſis pugna* populo Romano funeſta fuit: nam ibi Paulum Æmilium, ac Terentium Varronem conſules ingenti clade ſuperavit Annibal, cæſis quadraginta Romanorum millibus, tantoque equitum numero, ut tres annulorum modios in ſignum victoriæ Carthaginem tranſmiſerit. Vide Livium Lib. 22. Flor. Lib. 2. cap. 6.

Cannæ porrò parvus vicus eſt Apuliæ ad Anfidum amnem, ad quem commiſſum eſt illud prælium tantoperè Romanis luctuoſum.

Verſos ad pia vota Deos.] Tandem enim Dii poſt cladem Cannenſem ex iratis facti ſunt Romanis propitii, piorumque preces & vota exaudierunt.

11. *Annibalemque Lares.*] Scripſit etiam Ennius *Lares*, ſeu *Deos* Romæ tutelares ac domeſticos Annibalem ex Italia fugaviſſe, progreſſum fuiſſe uſque ad Herculis fanum extra portam Collinam *Annibalem* cum exercitu ſuo, ut Romam oppugnaret; ſed inde, viſis quibuſdam terriculamentis, perterritum celeriter abſceſſiſſe, exercitumque reduxiſſe. Livius autem Lib. 26. Romam acceſſiſſe ad eumdem locum Annibalem ſcribit, ſed de fuga nihil.

12. *Anſeris & tutum eſſe Jovem.*] Capitolium intelligit, cui præerat *Jupiter*. Quod cùm aliquando oppugnarent Galli, Româque jam captâ, nocturno ſilentio ad ſummam jam arcem perveniſſent, nemine prorſus id ſentiente, cùm etiam canes fefelliſſent,

Quum me Castaliâ speculans ex arbore Phœbus
  Sic ait, auratâ nixus ad antra lyrâ.
Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
  Carminis heroi tangere jussit opus?
Non hic ulla tibi speranda est fama, Properti.
  Mollia sunt parvis prata terenda rotis,
Ut tuus in scamno jactetur sæpè libellus,
  Quem legat expectans sola puella virum.
Cur tua præscriptos evecta est pagina gyros?
  Non est ingenii cymba gravanda tui.

INTERPRETATIO.

cum me Phœbus prospiciens ex arbore Castaliâ, cithara sua leviter incumbens juxta antrum, ita locutus est. O stulte, quid est tibi cum tam magnis fontibus? quis est iste, qui tibi fuit auctor, ut heroici poëmatis materiam attingeres? O bone *Properti, inde tibi nullum nomen est expectandum. Tenera prata sunt exiguo curru* tuo *decurrenda, quò tuus liber frequenter in sedili jaciatur, quem puella sola legat virum expectans. Quare carmen tuum præscriptos transsiluit fines? Mentis tua naviçula non est oneris nimis premenda.*

ANNOTATIONES.

anseres fallere non potuerunt, quorum clangore & strepitu Manlius excitatus Gallos deturbavit, & ita *anserum* ope & auxilio servatum Capitolium est, unde scripsit Lucret.

Romulidarum arcis servator candidus anser.

Historiam hanc referunt Livius Lib. 5. Plin Lib. 10 cap. 22. & Lib. 20. cap 3. Plutarchus in Camillo, pluresque alii.

13 *Castaliâ speculans ex arbore.*] *Castalia arbor* laurus est, quæ plurima fuit in Parnasso monte, in quo & Castalius fons, ita dictus à Castaliâ virgine, quæ se in eumdem fontem præcipitavit Apollinem sibi vim inferre volentem fugiens.

15. *Cum tali flumine.*] Ex quo nimirùm Ennius carminis heroici scriptor bibit.

18. *Mollia sunt parvis.*] Per *mollia prata* elegos versus, resque amatorias significat, quas unicè Propertio tractandas consuluisse fingitur Apollo.

21. *Pagina gyros præscriptos.*] Cur tuus libellus fines, spatium, ac orbem sibi præstitutum prætergressus est? Ut dixit Ovid. Lib. 2. de remedio Amoris statim ab initio:

Hactenùs invidiæ respondimus, attrahe lora
Fortius & gyro curre, poëta, tuo.

Statius Lib. 4. Silvar. ad Maximum Junium.

Iamdiu lato spatiata campo
Fortis heroïs Erute labores
Differ, atque ingens opus in minores
Contrahe gyros.

Item Columella Lib. 10.

——— Curru leviore vagantem
Iam revocat, parvoque jubet decurrere gyro.

22. *Ingenii cymba.*] Levis & exigua per *cymbam* significatur ingenii facultas, ut infrà Eleg. 9.

Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?
Non sunt apta meæ grandia vela rati.

Simili prorsus allegoriâ dixit Ovidius Lib. 2. Trist. Eleg 1.

Non ideò debet pelago se credere, si qua
Audet in exiguo ludere cymba lacu.

Alter remus aquas, alter tibi radat arenas,
Tutus eris: medio maxima turba mari est.
Dixerat, & plectro sedem mihi monstrat eburno,
Quâ nova muscoso semita facta solo est.
Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
Pendebantque cavis tympana pumicibus.
Ergo Musarum, & Sileni patris imago
Fictilis, & calami, Pan Tegeæe, tui,
Et Veneris dominæ volucres, mea turba, columbæ
Tingunt Gorgoneo punica rostra lacu.
Diversæque novem sortitæ jura puellæ
Exercent teneras in sua dona manus.

INTERPRETATIO.

Una palmula tibi vada stringat, altera verrat littora, securus eris à periculo naufragii; in alto æquore maxima sunt tempestates. Hæc erat locutus, ac suo pectine eburneo mihi locum indicat, ad quem recens iter angustum humo vestitâ musco factum est. Illic erat antrum vernans hærentibus saxis, ac tympana demissa erant è cavatis pumicibus. Illic etiam Musarum, ac Sileni patris simulacrum erat è luto factum, ac etiam fistula tua ô Pan Tegeæe; Veneris etiam heræ aves columbæ, deliciæ meæ, puniceæ rostra rigabant aquis Gorgoneis. Novem quoque Sorores, quibus varia officia sorte data sunt, manibus suis mollibus elaborabant munera sua.

ANNOTATIONES.

27. *Hic erat viridis spelunca.*] Locum sibi demonstratum ab Apolline describit.

28. *Tympana pumicibus.*] *Tympana* præcipuè dabantur Cybelæ matri Deorum, quæ, ut rotunda erant, orbem terræ referebant.

29. *Sileni patris.*] *Silenus* vocatur *pater*, tum quia nimirùm fuit educator ac nutritius Bacchi; tum quia *pater* nomen est dignitatis & honoris. Dicitur ibidem cum Musarum simulacris fuisse etiam *Sileni patris* imaginem fictilem, quia nempè Poëtæ sunt præcipuè Baccho sacri, eosque tutatur Bacchus, qui in tutela fuit *Sileni*, &, ut vidimus suprà, semper in medio choro Musarum choreas Bacchus ducit.

30. *Pan Tegeæe.*] *Tegeæus* dicitur *Pan* Deus pastorum ab urbe quadam Arcadiæ quæ *Tegea*, & *Tegeæum* dicitur, ubi præcipuè *Pan* colebatur. Calami porrò *Panos* sunt ipsius fistula, quam ex calamis pluribus confecit.

31. *Mea turba columba.*] Alii meliùs ut veteres libri legunt, *mea cura*.

32. *Gorgoneo punica rostra lacu.*] *Gorgoneus lacus* fons ille est, quem vocant Caballinum, quia ipsum Pegasus ungulâ terram feriens produxit, qui nempe Pegasus natus erat è sanguine *Gorgonis* Medusæ, unde etiam vocatus est equus Medusæus.

Punica porrò *rostra* sunt puniceí coloris, seu subrubentis.

33. *Diversæque novem.*] Varia Musarum esse officia significat. Melpomene quidem Thyrsos dicitur offerre Poëtis tragicis, Clio & Polhymnia Lyricos aptare vocem fidibus docent, Erato rosas amantibus texit ac mollia serta. Quæ quidem jura, seu *Musarum*, Phœbique munera, nihil aliud sunt, quàm varii generis carmina, quibus præesse finguntur.

Hæc ederas legit in thyrsos, hæc carmina nervis
Aptat, & illa manu texit utrâque rosam.
E quarum numero me contigit una Dearum,
Ut reor à facie, Calliopea fuit.
Contentus niveis semper vectabere cygnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi sit rauco prætoria classica cornu
Flere, nec Aonium cingere Marte nemus:
Aut quibus in campis Mariano prælia signo
Stent, & Teutonicas Roma refringat opes.
Barbarus aut sævo perfusus sanguine Rhenus
Saucia mœrenti corpora vectet aquâ.

INTERPRETATIO.

Ista porrò hederas decerpit, hastisque aptat, illa versus sociat chordis, illa verò ambabus manibus rosas nectit in serta. Ex quarum numero divarum una me tetigit, quæ, ut de oris, corporisque habitu conjecturam facio, erat Calliope. Tibi satis erit, si jugiter candidis vehare cygnis, neque te equus acer & audax ad bella ferat. Ne cures raucisonâ tubâ flebiliter bellica prætoria canere, neque Aonios luces Marte cruentare, vel quibus in agris vexilla Mariana consistant ad prælium committendum, ac Roma Teutonicas vires & copias evertat, vel Rhenus Barbaricus fero cruore tinctus tristibus undis secum deferat occisa corpora.

ANNOTATIONES.

38. *Calliopea.*] Quæ & Calliope, ut suprà jam vidimus.

39. *Vectabere cygnis.*] In curru semper Veneris, quem *cygni* ducunt, veheris, & ob id semper eris Amori mancipatus, nihilque aliud præter res amatorias cantabis. Dixit etiam Ovidius, cum rebus amatoriis scribendis finem imponeret,

——— *Nunc cygnis descendere tempus.*

41. *Prætoria classica.*] *Classicum* est signum pugnæ committendæ, quod & bellicum dicitur. Significat autem hoc loco Poëta res bello gestas, ac Imperatorum ac Ducum laudes. *Prætor* enim apud veteres in militia, pro quovis Imperatore, ac Duce sumebatur.

42. *Aonium nemus.*] Musarum domicilium est, quæ dicuntur *Aonides*, & *Aonia* à fonte *Aone* in Bœotia, quæ etiam dicta est *Aonia*, ejusque incolæ *Aones*, & *Aonii*.

43. *Mariano prælia signo.*] Hypallage pro *Mariana signa* stent *prælio*, seu ad *prælium* parata. Vel *Signa* sumuntur pro acie. Significat autem Propertius Caii *Marii* præclarè gesta contrà Cimbros & Teutones, seu Teutonos, Aquilonares populos, quos cum ingenti exercitu Romam contendentes *Marius* profligavit, penitusque delevit, an. urbis conditæ 640.

45. *Barbarus Rhenus.*] *Barbarum* dixit *Rhenum*, id est, Germanicum ac peregrinum, qui *barbaras* gentes alluit ad discrimen *Rheni* Bononiensis in ipsa Italia. *Rhenus* autem maximus est fluvius, qui ex Alpium jugis defluens, Galliasque à Germania disterminans, ad Batavorum fines, peragratis longinquis regionibus, in Oceanum delabitur. Est alius ejusdem nominis fluvius in Italia, qui ex monte Appennino oriens, ac per agrum Bononiensem fluens in Padum suprà Ferrariam delabitur. De hoc Silius Italic. Lib.

——— *Parvique Bononia Rheni,*

Quippe coronatos alienum ad limen amantes,
Nocturnæque canes ebria signa fugæ.
Ut per te clausas sciat excantare puellas,
Qui volet austeros arte ferire viros.
Talia Calliope, lymphisque á fonte petitis,
Ora Philetæâ nostra rigavit aquâ.

INTERPRETATIO.

Cantabis siquidem amatores sertis redimitos ad alienas fores, nocturneque rixæ ebriosa signa. Ut tuâ ope doctus sit fascinare magico cantu puellas inclusas, quicumque cupiet dolo tangere severos ac tetricos maritos. Hæc dixit *Calliope & aquis à fonte haustis os meum ac faciem Philetæis fontibus proluit.*

ANNOTATIONES.

48. *Canes ebria signa.*] Cantabis, inquit, signa tantum Cupidinis, quæ amantes ebrii potique sequuntur. *Ebria* enim *signa* sunt hominum ebriorum, quæ sunt coronæ, faces, querelæ, rixæ. Ut habetur Eleg. 9. Lib. 4.

49. *Excantare puellas.*] Hoc est, vel cantibus exorare, vel incantamentis ac cantionibus magicis ad amorem attrahere.

51. *Talia Calliope.*] Hæc cùm dixisset *Calliope* ex eo fonte, ex quo bibere solitus erat Philetas Elegiarum scriptor, hausit aquam, propinavitque Propertio, qui, cùm bibisset, factus est Elegiaci carminis Poëta, imitatorque Philetæ.

ELEGIA IV.

TRIUMPHI DESCRIPTIO.

ARMA Deus Cæsar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna viri merces: parat ultima terra triumphos,
Tigris, & Euphrates sub tua jura fluent.
Sera sub Ausoniis veniet provincia virgis.

INTERPRETATIO.

Divus Cæsar bellum parat adversus Indos opulentos, ac classe cogitat sulcare mare gemmiferum. Ingens ducis præmium, extremus terrarum orbis triumphos præparat Tigris, Euphratesque per tua ditionis, ac imperii regiones labentur, ô Roma. *Terra illa sera quidem subjicietur. attamen subjicitur tandem fascibus Ausoniis.*

ANNOTATIONES.

1. *ARma Deus Cæsar.*] Hâc Elegiâ Propertius expeditionem, quam Cæsar Augustus adversus Orientis populos apparabat, prosequitur, Romanisque armis felicitatem, victoriamque precatur. Vocat autem Augustum *Deum*, quia nempe Romani divinos ipsi honores, etiam dum viveret, largiti sunt. Unde etiam Virgilius Eclog. 1.

Namque erit ille mihi semper Deus: illius aram
Sæpè tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Ad quem locum hæc habet Servius. *Semper, id est, post mortem, & dum vivit. Alii namque imperatores post mortem in numerum referuntur Deorum. Sed Augustus etiam vivus templa meruit.*

Horat. etiam dixit Lib. 3. Od. 5.

Præsens divus habebitur Augustus.

Itemque Lib. 2. Epist. 1.

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Ad Indos.] *Indi* populi sunt Asiæ vastissimas regiones trans *Indum* flumen occupantes ad Oceanum Orientalem positi. Hos *Ganges* fluvius medios secat.

Dites porrò dixit *Indos*, quia nimirùm auro, gemmis, ebore, sicut etiam frumento, vino, fructibus, cæterisque non ad vitam modò, sed ad delicias etiam necessariis abundant.

2. *Freta gemmiferi maris.*] *Mare* significat Eoum, seu Orientale, quod & Erythræum, & Indicum dicitur, ubi lapides pretiosi, margaritæ, gemmæque reperiuntur.

4. *Tigris & Euphrates.*] Maximi sunt Asiæ fluvii, qui ex Armeniæ montibus orti, postquam varias regiones perlustrarunt, Mesopotamiam efficiunt, deinde in unum alveum junctis simul aquis coëuntes per Babyloniam currunt, deinde post aliquot dierum spatium duobus ingentibus ostiis, quæ Scriptura sacra Gehon & Phison vocat, in mare Persicum delabuntur. Per flumina porrò Tigrim & Euphratem, Medos, Parthos, Persasque populos intelligit Propertius.

5. *Sera sub Ausoniis virgis fiet provincia.*] Tardiùs, inquit, Juris erit Romani regio ista Orientalis, seriusque in Provinciæ formam accedet, sed tamen tandem hoc eveniet sub Augusto Cæsare. Per *Virgas* enim *Ausonias* Romanos fasces significat, quos ante se, qui prætores in provincias cum officio

Assuescent Latio Partha trophæa Jovi.
Ite, agite expertæ bello date lintea proræ,
Et solitum armigeri ducite munus equi.
Omina fausta cano, Crassos, cladesque piate:
Ite, & Romanæ consulite historiæ.
Mars pater, & sacræ fatalia lumina Vestæ,
Ante meos obitus sit, precor, illa dies,
Quâ videam spoliis onerato Cæsaris axe
Ad vulgi plausus sæpè resistere equos.
Inque sinu caræ nixus spectare puellæ
Incipiam, & titulis oppida capta legam.
Tela fugacis equi, & bracchati militis arcus,

INTERPRETATIO

Parthica trophæa assuescent Jovi Latio. Ite, agite. ô naves rei militaris perita, vela pandite, vosque, ô equi bellatores officium vestrum consuetum facite. Omina prospera, lætaque vaticinor, Crassos eorumque cædes expiate; properate, ac Romanâ prospicite historia. O Mars nostri generis auctor, vosque ô fatales ignes Vestæ sanctæ, oro; ut illa dies adveniat, antequam moriar, quâ conspiciam, onusto hostium exuviis curru Cæsaris, ad acclamationes populi equos non progredi. Et in amicæ dilectæ gremio reclinatus pompam cernere incipiam. ac ex titulis agnoscam urbes expugnatas, sagittas fugientis equitis, militisque bracchis induti arcus,

ANNOTATIONES.

mittebantur, gestari jubebant, quemadmodum & Romæ magistratibus præferri solebant.

6. *Partha trophæa.*] E *Parthis* populis spolia bello relata.

Latio Jovi.] Capitolium intelligit, cui præerat Juppiter, ubi & templum habebat. Potest etiam intelligi de *Jove Latiali*, qui in Albano monte colebatur, ubi etiam triumphabatur. Ut referunt Cicero, Dionysius, Livius, ac Sueton.

9. *Crassos, cladesque piate.*] Delete maculam, infamiamque *Crassorum* cæde nomini Romano illatam. *Crassi* namque pater & filius contrà Parthos pugnantes occubuerunt, ut jam suprà diximus.

10. *Romanæ consulite historiæ.*] Hoc est, ea vos facite, quæ digna sint historiâ Romanâ, sempiternisque rerum monimentis.

Mars pater.] Dicitur etiam *Marspiter* apud Varronem Lib. 7. de lingua Latina.

Fatalia lumina Vestæ.] Fatalis ille, sempiternusque ignis, qui Romæ in æde Deæ Vestæ à virginibus, tanquam urbis tutela, diligenter servabatur.

13. *Cæsaris axe.*] Curru triumphali.

14. *Resistere equos.*] Pondere nimio oppressos nolle progredi.

16. *Oppida capta legam.*] Simulacra fluviorum, oppidorum, montium, ac regionum bello devictarum cum titulis, quo nomine vocarentur, indicantibus curru triumphali ferebantur.

17. *Tela fugacis equi.*] *Equi* posuit loco *equitis*, Parthorum enim *equitum*, qui fugientes etiam pugnabant, arma significat.

Bracchati militis.] Quis fuerit ille *Bracchatus miles*, an Gallus, nam Galliæ quædam pars dicta est *Bracchata*, an Dacus, an Ponticus, an Persa, an Indus, an Medus, an alius, ignoratur. omnes enim illæ gentes apud scriptores uti *bracchis* inveniuntur, sicut de Sarmatis idem testatur etiam Mela.

Et subter

Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam prolem serva Venus: hoc sit in ævum,
Cernis ab Æneâ quod superesse caput.
Præda sit hæc illis, quorum meruere labores:
Mî sat erit mediâ plaudere posse viâ.

INTERPRETATIO.

duces que hostium *sub* suis *armis captivos videam jacere. O diva Venus, sobolem tuam* progeniemque *custodi. Virum istum quem solum ex Ænea gentis superesse vides, in perpetuum vivat.*

Præda ista detur iis, qui militia laboribus eam meruerunt. Mihi verò *satis erit, si in media via cum multitudine possim applaudere.*

ANNOTATIONES.

18. *Sedere duces.*] *Duces*, reges, vel imperatores hostium bello capti in triumpho ita currui alligabantur, ut ipsorum capitibus arma, trophæaque impenderent.

19. *Prolem serva Venus.*] Julia gens, ex qua oriundus erat Augustus, a *Venere* originem trahere dicebatur. Iulus enim Juliæ gentis auctor, filius fuit Æneæ, Veneris & Anchisæ filii.

22. *Mediâ viâ.*] Scilicet triumphali. Nonnulli porrò codices legunt *sacra via*, quâ quidem viâ triumphantes Capitolium adibant. De hac jam suprà diximus.



ELEGIA V.

AD AMICAM IRATAM.

PACIS Amor Deus est, pacem veneramur amantes;
  Stant mihi cum domina prælia dura meâ.
Nec tamen inviso pectus mihi carpitur auro,
  Nec bibit è gemma divite nostra sitis.
Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur,
  Nec miser æra peto classe, Corinthe, tuâ.
O prima infelix fingenti terra Prometheo.

INTERPRETATIO.

AMor Deus est pacis, nos amatores pacem colimus: manent tamen cum amica mea aspera bella. Neque tamen auro mihi odioso angitur animus, neque mea sitis poculo pretioso petat; neque mihi fertilis & opima Campania mille partibus bene exercetur, neque ego avarus cupio auferre navigio æs tuum, ô Corinthe. O princeps limo, Prometheo hominem formanti infauste.

ANNOTATIONES.

1. *PAcis amor Deus est.*] Significat Poëta se nolle sequi castra Martis, sed servire se velle jugiter Amori, qui Deus est *pacis*. Dicit etiam se magnorum ducum gloriæ, divitiisque non invidere, cùm divites, pauperesque simul apud inferos confundantur. Exordium Elegiæ sumpsit à sententia Platonis, qui dicebat Amorem esse Deum, qui pacem hominibus largiatur, mari tranquillitatem, ventis requiem. Avaritiam deinde insectatur, avaros detestatur, qui nihil ex congestis opibus post mortem ad inferos asportabunt. Dicit denique in juventute esse amori indulgendum, in senectute philosophandum, quod se facturum pollicetur.

4. *E gemma divite.*] Non bibo, inquit poculis gemmatis, quibus utuntur reges, qui, ut ait Juvenalis, *gemmas* ad pocula transferunt. Vel expone in hanc sententiam, quâ dixit Virgilius, ut *gemmâ* bibat, id est, poculo ex unâ *gemmâ* confecto.

5. *Campania pinguis.*] *Campania* felicissima Italiæ tum aëris temperie, tum feracis ubere glebæ provincia. Ejus olim caput fuit Capua, sed nunc Neapolis Capuæ longè præcellit. In hac regione perpetuum, summumque, ut ait Plinius, Liberipatris Cererisque certamen est.

6. *Æra, Corinthe, tua.*] *Æs Corinthiacum* scriptorum semper monumentis celebratissimum fuit, ac pretiosissimum, quod nimirùm ex auro, argento, æreque simul erat commistum. Fuit autem *Corinthus* civitas Achaiæ ad Peloponnesi Isthmum opulentissima, utpote duorum portuum commoditate ditata; unde negotiatoribus ex Asia, Italiaque illuc confluentibus, emporium fuit olim frequentissimum.

7. *O prima terra infelix.*] Hominis miseriam deflet, cujus formatio malè Prometheo cessit, cùm nulla sit habita ratio mentis ac prudentiæ, quæ majori tamen curæ debebat esse hominis auctori, quàm corpus; cùm animus sit longè corpore nobilior. Nota est Promethei de conditione hominis fabula, quam Ovid. Lib 1. Metamorph. pluribus prosequitur, refertque quomodo Prometheus è limo primum hominem in Deorum effigiem finxerit. Vide etiam

Ille parum cauti pectoris egit opus.
Corpora disponens, mentem non vidit in arte.
Recta animi primum debuit esse via.
Nunc maris in tantum ventis jactamur, & hostem
Quærimus, atque armis nectimus arma nova.
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas.
Nudus ad infernas, stulte, vehere rates,
Victor cum victis pariter miscebitur umbris:
Consule cum Mario, capte Jugurtha, sedes.
Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro.
Optima mors, parcâ quæ venit apta die.

INTERPRETATIO.

Ille effecit opus mentis parum provida. Membra namque simul *conjungens in arto menti non prospexit. Ante omnia mentis esse debuit recta via. Modò in tam vastum mare agitamur procellis, hostemque inquirimus, ac bellis alia bella serimus. Nullas divitias feros ad aquas Acherontis. O demens, Stygiâ cymbâ nudus ad Inferos vectaberis. Victor simul cum hominum, quos vicit, umbris confundetur.* O *Jugurtha captive, jaces* unà simul *cum Mario Consule. Crœsus rex Lydiæ nihil* in Inferis *differt ab Iro Dulichio. Optimus* est *interitus qui brevi tempore accidit.*

ANNOTATIONES.

Horat. Od. 3. & 16. Lib. 1.

8. *Parum cauti pectoris opus.*] *Parum* diligenter á Prometheo mentem, ac prudentiam fuisse perspectam in fingendo homine significat, cui providentiæ minùs ac sapientiæ largitus sit.

9. *Mentem non vidit in arte.*] In opere suo formando, inquit, non satis rationi prospexit, nec menti consuluit.

10. *Recta animi primum.*] In primis, inquit, oportuit bonæ mentis curam habere. *Animi via* ratio est, quam sequi maximè debemus.

13. *Acherontis ad undas.*] *Acheron* fluvius est inferorum, qui mortuis omnibus est trajiciendus. Sæpiùs sumitur pro Inferis, ut hoc in loco, ubi testatur Poëta neminem ad Infernos manes delaturum opes suas; ibi namque mors æquabit, quos pecunia in vivis separaverit. Unde & Seneca, *Impares nascimur, pares morimur.*

14. *Nudus ab inferna rate.*] *Inferna ratis* est Charontis cymba, quæ est omnibus adeunda.

15. *Victor cum victis.*] Mortuorum omnium una est conditio, nec ulla dignitatis, ordinis, aut gradus apud inferos habetur ratio, omnia enim mors æquat.

16. *Cum Mario Jugurtha.*] Inferi *Marium* victorem cum victo captivoque *Jugurtha* confundunt; ibi omnes sunt æquales, nulla inter divites pauperesque distantia.

17. *Lydus Crœsus ab Iro Dulichio.*] De *Crœso* rege Lydorum opulentissimo jam sæpiùs dictum est. *Irus* autem fuit homo pauperrimus è *Dulichio* insula maris Ionii Ithacæ vicina oriundus; unde dicitur *Dulichius*. Idem alio nomine Arnæus vocatus est. Hic passim apud omnes tum Poëtas, tum Scriptores alios sumitur in exemplum mendici calamitosissimi. Martialis:

> *Cùm sis tam pauper, quàm nec miserabilis Irus.*

De Iro videsis Homerum Lib. 18. Odyss.

18. *Optima mors.*] Quæ apto loco, & brevi tempore venit. Alludit ad proverbium illud, *Optimum non nasci, aut quam citissimè aboleri.*

Me juvat in prima coluisse Helicona juventa,
Musarumque choris implicuisse manus.
Me juvat & multo mentem vincire Lyæo,
Et caput in verna semper habere rosa.
Atque ubi jam Venerem gravis interceperit ætas,
Sparserit integras alba senecta comas:
Tum mihi Naturæ libeat perdiscere mores:
Quis Deus hanc mundi temperet arte domum:
Quà venit exoriens, quà deficit: unde coactis
Cornibus in plenum menstrua Luna redit.
Unde salo superant venti: quid flamine captet
Eurus, & in nubes unde perennis aqua:
Sit ventura dies quà mundi quæ subruat arces;
Purpureus pluvias cur bibat arcus aquas;

INTERPRETATIO.

Me juvat in prima juventute Heliconem frequentasse, ac Musarum choreis manus inseruisse; juvat etiam me mentem copioso Lyæo ligare, ac in rosa vernanti jugiter caput reclinatum habere. Et postquam tarda senectus Venerem totam abstulerit, ac cana anilitas meos omnes capillos asperserit; tunc me juvet naturæ mores penitùs ediscere, qualis Deus istam mundi machinam ratione moderetur, ac unde Sol oriatur, & ubi occidat, & quomodo collectis in orbem cornibus Luna menstrualis revertatur. Cur venti in mari abundent, quid insidietur flatibus suis Eurus, ac unde perpetuus imber in nubes proveniat: An sit aliquando dies adfutura, qua mundi subvertat arces, quare arcus purpureus aquas cœlestes concipiat;

ANNOTATIONES.

21. *Mentem vincire Lyæo.*] Hoc est, indulgere genio, ac interdùm ad ebrietatem usque vinum bibere, quo nimirùm mens, rationisque vigor, quasi vinculo impediantur, ne suo fungantur officio. Hic autem *mens* loco curarum ponitur. Curas enim vinum quodam modo constringit, ne nocere possint.

23. *Venerem interceperit ætas.*] Senectute libidines restinguuntur, parque datur à rebus Venereis, ut ait Cicero de Senectute.

26. *Quis Deus.*] An Sol, an Jupiter, an aliud quid Jove majus, totum hoc rerum omnium templum ratione moderetur? Hæc nimirùm quæ Philosophia naturalis inquirit, cui velle se vacare, dùm senex erit, Poëta significat, hoc loco persequitur.

28. *Menstrua Luna.*] Discam, inquit, causas, cur modo Luna tota sit luminosa, cur modo sinuetur in cornua, modo capiat incrementa discedens à Sole, modo decrescat ad Solem accedens. *Menstrua* portò *Luna* dicitur, quia mensis spatio cursum conficit, cœlique ambitum sibi præscriptum perlustrat.

30. *Eurus.*] Ventus est ab ortu brumali spirans, de quo jam suprà sæpiùs.

32. *Purpureus arcus.*] Cælestis *arcus*, qui & *Iris* dicitur, tribus maximè distinguitur coloribus, puniceo, viridi, cæruleo. Dicitur autem *Iris aquas bibere*, quia nimirùm nonnisi udo, madidoque tempore apparens imbres semper significat; unde vocatur à Statio Thebaid. Lib. 9. *Imbrifer arcus* De Iride vide Aristot. Lib. de meteoris, Lucret. Lib. 6. Plin. Lib. 2. cap. 59

Aut cur Perrhebi tremuere cacumina Pindi,
Solis & atratis luxerit orbis equis:
Cur segnis versare boves, & plaustra Bootes:
Pleiadum spisso cur coit igne chorus:
Curve suos fines altum non exeat æquor,
Plenus & in partes quattuor annus eat.
Sub terris sint jura Deûm, & tormenta Gigantum;
Tisiphones atro si furit angue caput.
Aut Alcmæoniæ furiæ, aut jejunia Phinei:

INTERPRETATIO.

vel quare Perrhebi Pindi vertex contremuerit, ac totus mundus atratis solis equis luxerit; cur tardus Bootes septem triones, & currum flectat, quare Pleiadum cœtus spisso lumine coalescat: vel quare suos terminos mare non prætergrediatur, ac partibus quatuor annus integer constet: cur etiam in Inferis Deorum sint jura, ac gigantum cruciatus, an verè caput Tisiphones nigris serpentibus sæviat, an revera Alcmæonia furia sint, an fames Phinei:

ANNOTATIONES.

Senec. Lib. 1. natural. quæst. cap. 3.

33. *Cur Perrhebi Pindi.*] *Pindus* mons est Thessaliæ, alii dicunt Macedoniæ, altissimus, Ætolos ab Acarnanibus dividens, Apollini Musisque sacer, Lapitharum olim sedes, ad cujus radices *Perrhebi* populi siti sunt; unde vocat montem illum Propertius *Perrhebum.*

34. *Solis & atratis equis.*] *Equi Solis* dicuntur *atrati*, mundusque lugere videtur, cùm Sol deficiens obscuratur. Quod fit Lunæ interventu, quæ suo nimirùm inter terram & Solem interpositû radios Solis intercipiens caligine terras offundit.

35. *Segnis Bootes.*] De *Boote*, seu Arctophylace, aut Arcturo jam sæpiùs dictum est.

36. *Pleiadum chorus.*] Septem sunt stellæ *Pleiades*, quæ & Vergiliæ dicuntur, de quibus etiam plura jam diximus. Earum autem *ignis* seu fulgor dicitur *spissus*, quia licet simul junctæ septem sint stellæ, tamen non ita sunt conspicuæ, sed earum lumen tenue videtur, ac densum; imò una ex iis ferè latet.

37. *Suos fines non exeat æquor.*] Horatius etiam Lib. 1. Epist. 12.

Quæ mare compescant causæ, quid temperet annum.

39. *Sub terris sint jura Deûm.*] Sintne Inferi, & apud Inferos sint judices, qui pœnis impios afficiant. Sintne Pluto & Proserpina, sintne Minos, Æacus, & Rhadamantus, qui mortuis jura dicant.

Tormenta Gigantum.] An reipsâ apud Inferos Gigantes plectantur, quod Deos è cœlo deturbare voluerint.

40. *Tisiphones si furit angue caput.*] An reverâ *Tisiphone*, quæ dicitur ex furiis Inferorum una cædibus plectendis addicta, colubris ac serpentibus sit armata & capite & manibus, ut fingitur.

41. *Alcmæoniæ furiæ.*] *Furias* dicit *Alcmæonias* Propertius, quæ vexasse dicuntur *Alcmæonem*, postquam matrem suam Eriphylen interfecisset. Fuit autem *Alcmæon* Amphiaraï vatis filius, cui pater ad bellum Thebanum proficisci coactus nequitiam in se conjugis Eriphyles aperuit, eique mortis suæ vindictam reliquit. *Alcmæon* defuncto patre, memor præcepti, pietate ductus in patrem, impius in matrem esse voluit, eamque interfecit. In hujus autem sceleris vindictam dicitur *Alcmæon* graviter *furiis* agitatus.

Jejunia Phinei.] *Phineus* Rex Arcadiæ, vel, ut alii, Thraciæ, vel ut alii, Paphlagoniæ, mortuâ priore conjuge suâ Cleopatrâ, Boreæ & Ori-

Num rota, num ſcopuli, num ſitis inter aquas:
Num tribus infernum cuſtodit faucibus antrum
Cerberus & Tityo jugera pauca novem:
An ficta in miſeras deſcendit fabula gentes,
Et timor haud ultrà, quàm rogus eſſe poteſt.
Exitus hic vitæ ſupereſt mihi. Vos quibus arma
Grata magis, Craſſi ſigna referte domum.

INTERPRETATIO.

an rota, an ſaxum, an ſitis ſit in mediis aquis, an Cerberus triplici capite ſervet aditus Inferorum, utrum etiam Tityo vix ſatis ſint porrecto novem jugera: An confictus de his *ſermo in homines infelices ſparſus ſit, & an metus* Deorum *non poſſit eſſe poſt mortem. Iſte mihi vitæ finis reſtat. Vos verò, quibus bella magis placent, Craſſi ſigna Romam reportate.*

ANNOTATIONES.

thyiæ filiâ, ſecundam duxit uxorem Idæam Dardani filiam, cujus ſuaſu filios ex Cleopatra ſuſceptos excæcavit. Quapropter & ipſe à Diis dicitur excæcatus, Harpyiæque feruntur contra eum miſſæ, quæ cibos & menſam ejus turpiſſimè fœdarent, adeo ut cibariis per Harpyias ablatis, aut ita fœdatis, ut attingi non poſſent, continuò jejunare cogeretur.

42. *Num rota.*] Omnia inferorum ſupplicia perſequitur. Mentionem autem injecit *rota* propter Ixionem, qui dicitur in Inferis rotâ verſari. Ut diximus Lib. 1. Eleg 9. & Eleg. 1. Lib. 2.

Num ſcopuli.] Propter Siſyphum, qui dicitur in Inferis etiam ſaxum ingens continuò volutare; ut etiam dictum eſt ad Eleg. 17. & 20 Lib 2.

Num ſitis.] Propter Tantalum in mediis undis ſitientem, ut etiam dictum eſt Lib. 2. Eleg. 1. ac 17.

44. *Cerberus.*] Fingitur apud Inferos etiam canis, *Cerberus* nuncupatus, tria habens guttura, ſeu capita, januam ſervare, quem ab Hercule catenâ conſtrictum ad Superos tractum eſſe fabulantur.

Novem Tityo jugera.] *Tityus* dicitur in Inferis per novem jugera porrectus, vulturibus jecur ipſius continuò exedentibus, torqueri; ut etiam dictum eſt ad Eleg. 20. Lib. 2. v. 31. & ad Eleg. 3. Lib. 1. Tibulli noſtri v. 74. ad hæc verba:

Porrectuſque novem Tityus per jugera terræ
Aſſiduas atro viſcere paſcit aves.

Quo quidem in loco eadem ferè Inferorum ſupplicia refert Tibullus, quæ hic commemorat Propertius.

45. *An ficta fabula.*] Cognoſcam, inquit, an fabuloſa ſint, quæcumque de inferis traduntur.

47 *Exitus hic vitæ.*] Sic, inquit, ſenectutem iis in ſtudiis conſumam, ac finiam.

48. *Craſſi ſigna.*] De *Craſſi* ſignis dictum eſt Eleg. præcedenti. De his etiam agit Propertius infra Eleg. 6. Lib. 4.

Hic referat ſerò confeſſum fœdere Parthum
Reddat ſigna Remi, mox dabit ipſe ſua.

ELEGIA VI.

AD LYGDAMUM.

DIC mihi de nostra, quæ sentis vera, puella:
  Sic tibi sint Dominæ, Lygdame, dempta juga.
Dum me lætitiâ tumefactum fallis inani,
  Hæc referens, quæ me credere velle putas.
Omnis enim debet sine vano nuntius esse,
  Majoremque timens servus habere fidem.
Nunc mihi, si qua tenes, ab origine dicere prima
  Incipe: suspensis auribus ista bibam.
Siccine eam incomptis vidisti flere capillis?
  Illius ex oculis multa cadebat aqua?
Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto?
  Ornabat niveas nullave gemma manus?
Ac mœstam teneris vestem pendere lacertis?
  Scriniaque ad lecti clausa jacere pedes?

INTERPRETATIO.

O Lygdame, narra mihi, quæso, quæ vera esse credis de mea amica Cynthia: *ita tibi sit leve servitium heræ tuæ. Mene vano lætum gaudio inflatum renuntians ea, quæ existimas me velle credere. Quilibet namque nuntius debet esse fidelis: debet etiam famulus herum metuens majorem habere fidem. Jam incipe, quæcumque scis, mihi narrare à primis initiis; ea omnia attentis auribus excipiam. Itane illam conspexisti inornatis passisque comis lugere? multane lacryma ex ejus oculis fluebant? An nullum in strato illius cubili speculum conspexisti? Nullane margarita manus ejus candidas exornabat? Vidistine etiam tristem illius vestem è mollibus humeris demissam esse negligenter? Vidistine etiam ad lectuli ipsius pedes scrinia jacere clausa?*

ANNOTATIONES.

1. *DIc mihi.*] Lygdamum servum alloquitur, petitque ab ipso, ut sibi dicat, quid de Cynthia sentiat, cunctaque referat, quæ de ipsa audierat, & viderat: sed quia servi, cæterique id genus hominum assentari placendique causâ mendacia fingere consueverunt, rogat ut omnia sine fuco, aut mendacio ingenuè narret.

5. *Sine vano.*] Sine mendacio. Docet porrò nuncios esse debere veridicos.

8. *Ista bibam.*] *Bibere auribus* pro attentis *auribus* audire sæpiùs repetitur apud Scriptores, præsertim verò Poëtas. Ovid. Lib. 3. Trist. Eleg. 5.

Ore meo lacrymas, auribus illa bibi.

Horat. Lib. 1. Od. 13.

Densum humeris bibit aure vulgus.

Cicero etiam Epist. 14. Lib. 2. ad Atticum. *Fac venias ad sitientes aures.*

11. *Nec speculum.*] Significat Poëta indicium fuisse probæ fœminæ, nec fuisse *speculum* in lecto, nec lectum stratum, & aulæis ornatum. Nam *Speculum* ad formæ commendationem pertinet; lectus verò aulæis, purpurâque stratus ad luxuriam.

12. *Gemma manus.*] Annulus, aut armillæ.

14. *Scriniaque clausa.*] Illud etiam indicium est fœminæ incultæ, & inor-

Tristis erat domus? & tristes sua pensa ministræ
  Carpebant? medio nebat & ipsa loco?
Humidaque impressa siccabat lumina lana?
  Rettulit & quærulo jurgia nostra sono?
Hæc te teste mihi promissa est, Lygdame, merces?
  Est pœnæ servo rumpere teste fidem.
Ille potest nullo miseram me linquere factô?
  Æqualem nullâ dicere habere domo?
Gaudet me vacuo solam tabescere lecto?
  Si placet, insultet, Lygdame, morte meâ.
Improba non vicit me moribus illa, sed herbis.
  Stamineâ rhombi ducitur ille rotâ.

INTERPRETATIO.

An erat mœsta domus? An mœsta famula pensa trahebant? An ipsa in medio loco fila carpebat? An udos madentesque oculos admotâ lanâ tergebat? An mœstâ voce rixas nostras commemoravit? Hocne mihi præmium, te teste, ô Lygdame, promissum est? Est pœna, teste servo, fidem frangere. Illene tam durus est, ut me infelicem nullo meo merito deserere sustineat? habere nullâ domo mihi parem dicere? Lætatur ille me paulatim desertam consumi viduo in lectulo. O Lygdame, si ipsi libet, mihi mortua insultet. Scelesta illa obsequiis, aut ingenio me non superavit, sed herbis. Ille ducitur rotâ stamineâ rhombi.

ANNOTATIONES.

natæ. Indicat enim nihil unguentorum, nihil fucorum, aut pigmentorum, libellorumque amatoriorum curæ fuisse Cynthiæ. *Scrinia* namque sunt vasa seu arculæ, in quibus servantur libri, chartæ, libelli, epistolæ, unguenta, ac pigmenta. Vide Plin. Lib. 13. cap 1.

15. *Tristis erat domus.*] Testatur Lygdamus Cynthiam mæstam non solùm fuisse, sed *domum* etiam ejus totam tristitiâ fuisse affectam ob irati Propertii desiderium.

16. *Nebat & ipsa.*] Lanificii peritam fuisse Cynthiam jam suprà vidimus Lib. 1. Eleg. 3. v. 41. Quod quidem opus semper probis mulieribus convenisse legimus. Hinc Livius Lib. 1. Lucretiæ probitatem, quòd inventa sit à marito, juvenibusque Tarquiniis lanificio intentam inter ancillas lucubrantes, approbat. De qua etiam Ovid. Lib. 2. Fast.

> *Ante thorum Calathi, lanaque mollis erat.*
>
> *Lumen ad exiguum famula data pensa trahebant.*

Auctor etiam Epistolæ ad Demetriadem, quam malè quondam S. Hieronymo tribuerunt nonnulli. *Habeto*, inquit, *semper lanam in manibus, vel staminis pollice fila deducito, vel ad torquenda subtegmina in alveolis fusa vertantur, aliarumque neta, aut globum collige, aut texenda compone.*

19. *Hæc te teste.*] Verba sunt Cynthiæ, quæ ex ejus persona Lygdamus incipit referre.

21. *Ille.*] Propertius nimirùm potestne me sine mea ulla injuria relinquere, quam solam sine viro gaudet tabescere, ac tædio macerari, cùm ipse sit veneficiis ac incantamentis pellectus ad alterius amorem puellæ?

24. *Si placet, insultet.*] Propertii perfidiam incusat, quem putat gavisurum de morte sua.

25. *Non me moribus illa.*] *Illa*, scilicet pellex, quam nunc sectatur Propertius, non me comitate, aut obsequiis superavit, sed veneficiis, & incantamentis, ut ipsum ad amorem suum attraheret.

26. *Rhombi ducitur ille rota.*] *Ille*.

Illum

Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,
Et lecta exectis anguibus ossa trahunt.
Et strigis inventæ per busta jacentia plumæ,
Cinctaque funesto lanea vitta viro.
Si non vana canunt mea somnia, Lygdame, testor:
Pœna erit ante meos sera, sed ampla, pedes.
Putris & in vacuo texetur aranea lecto;
Noctibus illorum dormiet ipsa Venus.
Quæ tibi si veris animis est questa puella,

INTERPRETATIO.

Ipsum ducunt ranæ rubetæ veneno intumescentis monstra, & ossa collecta è sectis serpentibus, & strigis inter sepulcra diruta reperta pluma, & lanea vitta homini funerato præcincta. O Lygdame, testem te appello, nisi mea insomnia falsa prædicunt, tarda erit, attamen ampla, illius ante pedes meos pœna. Putrida araneæ tela fiet in eorum viduo lectulo: ipsorum noctibus ipsa Venus dormiet. Si verò nec simulatâ mente hæc omnia apud te conquesta est amica Cyn-

ANNOTATIONES.

scilicet, Propertius turbine quodam magico fascinatur. *Rhombus* fuit quoddam instrumentum magicum, quo striges, seu magæ utebantur in veneficiis & incantamentis. Quomodo porrò *Rhombus* ex stamine, liciisque fieret, duceretturque, superiùs dictum est.

27. *Illum turgentis ranæ rubetæ.*] Propertium pelliciunt; ait Cynthia, veneficia *rubetæ ranæ*, &c.

29 *Et strigis inventæ.*] *Strix* avis est nocturna, quam ad magicas artes, & ad veneficia idoneam esse scripsit Horatius in Lib. Epod. cujus plumam adhiberi etiam amatoriis philtris consuevisse dicit; quam sententiam sequitur Propertius, cùm dicit plumas *strigis* inter sepulcra repertas adhibuisse veneficam ad amorem concitandum.

30. *Cinctaque funesto viro.*] Posse hoc intelligi de laqueo hominis strangulati, quem pollere ferunt ad magiam, nonnulli putant; sed lanearum vittarum in sepulcris maximè usum, lanæque in omnibus sacris auctoritatem apud veteres plura probant scriptorum monimenta, unde non mirum est si etiam in veneficiis adhiberetur. Virg. Eclog. 8.

——— Et molli cinge hæc altaria vittâ.

Idem Lib. 3. Georgic.

Sæpè in honore Deûm, medio stans hostia ad aras.
Lanea dum niveâ circumdatur infula vittâ.

Varro Lib. 6. de ling. Lat. *Cùm ad sepulcrum ferunt frondes ac flores, addunt nunc lanas.*

Funestus potiò *vir* dicitur funeratus seu sepultus, cujus sepulcro adhibita fuerat lana, seu vitta lanea.

32. *Pœna erit ante pedes.*] In promptu & in potestate mea.

33. *Putris & in lecto texetur aranea.*] Vaticinatur Cynthia fore, ut lectus, in quo jacere solebat Poëta cum pellice, telis aranearum, situque sit obsitus; quia nimirùm illam pellicem penitùs desertam relinquet, ad suamque Cynthiam redibit.

35 *Quæ tibi si veris.*] Postquam Lygdamus querelas retulit Cynthiæ, nunc loquitur Propertius, jubetque Lygdamum ad Cynthiam suam mandata referre, se scilicet non propter fraudes, aut perfidiam, sed propter quasdam irarum causas eam reliquisse, significatque se Lygdamo internuntio Cynthiæ reconciliari per quam velle, cui, si id præstiterit, manumissionem pollicetur.

ELEGIA VII.

DE MORTE PÆTI OB AVARITIAM.

ERGO sollicitæ tu causa, pecunia, vitæ es.
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Pætum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit ævo;
Et nova longinquis piscibus esca natat.
Et mater non justa piæ dare debita terræ,
Nec pote cognatos inter humare rogos.
Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinæ,
Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.
Infelix Aquilo raptæ timor Orithyiæ

INTERPRETATIO.

IGitur, ô pecunia, anxia vitæ tu causa exstitis, propter te præmaturam funeris viam terimus. Tu vitiis mortalium sæva ministras alimenta, curarum semina de tuo fonte nata. Pætum ad Pharios portus navigantem submergis septies vesanis fluctibus oppressum. Dum enim ipse te captare cupit, infelix in prima juventute perit, recensque piscibus fluctuat cibus. Ipsius *etiam mater non potuit exequias humo debitas persolvere, nec* ipsum *in sepulcro gentilitio inter propinquos sepelire. Jam verò aves marinæ in ossibus tuis consident, jam habes pro sepulcro totum æquor Carpathium. O infausto Aquilo, terror abreptæ Orithyiæ.*

ANNOTATIONES.

1. *ERgo sollicita.*] Mortalium avaritiam, pecuniæque cupiditatem insectatur, cujus causâ Pætus naufragio perierat.

3. *Tu vitiis hominum.*] Hominum vitia nutris & auges.

4. *Semina curarum.*] Causæ nimirùm & initia *curarum*, malorumque ferè omnium ex avaritia, nimiaque habendæ pecuniæ cupiditate proveniunt. Unde etiam Ovid. Lib. 1. Metamorph. vocat opes *irritamenta malorum*.

5. *Tu Pætum.*] Quis fuerit ille *Pætus*, ignoratur; nisi forsan sit ille Arrius *Pætus*, de quo exstat Catulli Epigramma, 84. quod incipit, *Chommoda dicebat*, &c. Nam in Orientem cum navigasse, & in Ionio mari periisse scribit ibidem Catullus.

Ad Pharios portus.] *Pharon* insulam Ægypti Alexandriæ vicinam significat. Ponte quondam juncta fuit Alexandriæ à Julio Cæsare, qui illam lib. 3 de bello civili describit. Vide etiam Hist. de bello Alexandrino.

12. *Carpathium mare.*] Pro sepulcro, inquit, totum habes *Carpathium mare*; quod quidem ita dicitur ab insula *Carpatho* inter Rhodum & Cretam in mari Mediterraneo sita; unde pelagus ad Ægyptum vergens dictum est *Carpathium*.

13. *Aquilo timor raptæ Orithyiæ.*] *Aquilo* ventus est à Septemtrione spirans, quem incusat tanquam Pæti naufragii auctorem. *Aquilo* porrò dicitur *timor*

Quæ spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fractâ gaudes Neptune carinâ?
Portabat sanctos alveus ille viros.
Pæte quid ætatem numeras? quid cara natanti
Mater in ore tibi est? non habet unda Deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
Omnia detrito vincula fune cadunt.
Sunt Agamemnonias testantia littora curas;
Quâ natat Arginni pœna minantis aquæ.
Hoc juvene amisso classem non solvit Atrides:
Pro qua mactata est Iphigenia mora.

INTERPRETATIO.

quænam tam magna præda ex illo tibi contigit? Vel cur tu, ô Neptune, quassatâ rate lætaris? Puros innocentesque homines vehebat ista navis. O Pæte. cur numeras annos tuos? Cur à te naufrago tam sæpè dulcis parens appellatur? mare non habet Deos. Cuncta namque vincula à te ad scopulos connexa per tempestatem noctu sævientem ruptis rudentibus excidunt. Littora sunt quæ testantur Agamemnonios amores, quæ reddit infamia mors, quam unda irata intulit Arginno. Isto quidem *adolescente adempto a morte, classem Atrides vela dare noluit, ob quam cunctationem immolata est Iphigenia.*

ANNOTATIONES.

Orithyia, quia nimirùm *Aquilo*, qui & Boreas dicitur *Orithyiam* Erictei, seu Erichthonii Athenarum regis filiam rapuit, in Thraciamque abduxit, ex qua Zeten & Calain genuit. Ut jam diximus suprà.

16. *Alveus.*] Navis, quomodo dixit Virgilius:

——— *Simul accipit alveo*
Ingentem Æneam. ———

Ovid. Lib. 3. Fastor.

Assiliunt fluctus, imoque à gurgite pontus
Vertitur. & canas alveus haurit aquas.

17. *Pæte quid ætatem numeras?*] Quid quæreris parùm te vixisse, & quod *prime miser excidis ævo?* Ut suprà dixit.

18. *Non habet unda Deos.*] Dii namque naturâ sunt boni, benefici, hominumque vota exaudiunt, sed ita sæva est ac barbara tempestas, ita surdi sunt venti, ut ab iis minimè piorum preces audiantur. Deinde graviter irati sæpiùs negant esse Deos; ut Eleg. 6. Lib. 1. y. 8.

Et queritur nullos esse relicta Deos.

21. *Agamemnonias testantia littora curas.*] Amnis Cephisi ripas intelligit, in quo puer Arginnus, seu Argynnus, ab Agamemnone Mycænarum, Argivorumque rege multùm adamatus periit; quo quidem in loco sepelivit juvenem *Agamemnon*, templumque Veneris Arginnidos construxit.

22. *Quâ natat Arginni pœna minantis aquæ.*] Oras, inquit, amnis Cephisi infames reddit *pœna*, quam aqua sæva, & irata inflixit *Arginno*; qui nempe fuit in aqua Cephisi fluvii Bœotiæ submersus.

23. *Atrides.*] *Atrides* dictus est Agamemnon ab *Atreo* patruo, à quo ipse Agamemnon, Menelausque frater educati sunt, locoque filiorum habiti, postquam ipsorum pater Plisthenes eos juvenis moriens *Atreo* fratri commendasset.

24. *Iphigenia.*] Agamemnonis & Clytemnestræ filia, quam fabulantur immolatam fuisse ad placandos ventos, Deosque maris, antequam ex Aulidis portu classis Græcorum ad expugnandam Trojam solveret.

Reddite corpus humo, positâque in gurgite vitâ
 Pætum sponte tuâ vilis arena tegas.
Et quoties Pæti transibit nauta sepulcrum,
 Dicat, & audaci tu timor esse potes.
Ite rates curvæ, & leti quoque texite causas.
 Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat, terris adjecimus undas,
 Fortunæ miseras auximus arte vias.
Anchora te teneat, quæ non tenuere Penates?
 Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
Ventorum est quodcumque paras: haud ulla carina
 Consenuit; fallit portus & ipse fidem.
Natura insidians pontum substravit avaris;
 Ut tibi succedat, vix semel esse potest.
Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
 Naufraga cum vasto Græcia tracta salo est.

INTERPRETATIO.

Corpus terrâ tegite, tumque Pætus in mari vitam amiserit, ô abjecta arena, sponte tuâ ipsum contegas: ac quotiescumque navita transibit juxta tumulum Pæti dicat: tu quoque, ô Pæte, *audaci potes esse metus causa. Ite, ô naves curvatæ, mortisque occasiones quærite: talis quidem mors,* quæ naufragio accidit, *per artes hominum accelerata advenit. Quasi tellus non sufficeret ad mortem accelerandam, mare etiam adjunximus, Infelices vias* plures *aperuimus fortunæ, ac fatis,* Putasne ut *anchora te à morte servet, quem Penates non retinuere? quid promeritum fuisse dicas illum, qui suâ patriâ contentus non est? Quidquid* navigio *paras, ad ventos pertinet, nulla unquam navis senio confecta quievit. Portus etiam ipse nullam sapiùs habet securitatem. Natura sternens insidias avaris, iis æquor substravit. Vix autem semel potest accidere, ut tibi prosperè succedat navigatio. Cautes Capharëia victrices naves perdiderunt, Græciaque naufragium passa mari immenso dissipata est.*

ANNOTATIONES.

29. *Ite rates curvæ.*] Naves execratur; quas industria humana excogitavit, ut novum mortis genus, seu gradus prioribus fatis adderetur. Ut etiam ait Lucan.

——— *Fatisque per illam*
Accessit mors una ratem. ———

32. *Fortunæ vias.*] Qui navigare nos docuerunt, novas *fortunæ* vires, viasque invenerunt ad mortales agitandos, quoniam maximè navigantibus fortuna dominatur

39. *Saxa Capharea.*] *Caphareus* mons est, ac promontorium insulæ Eubœæ ad Hellespontum spectans, ubi mare est impetuosum, ac nautis formidabile propter scopulorum frequentiam, crebrosque undarum reciprocantium vortices. Ibidem Nauplius Eubœæ rex mortem filii Palamedis, Ulyssis dolo interempti, ultus est. Cùm enim Græci Trojâ dirutâ redirent victores, tempestateque jactarentur, hoc animadvertens Nauplius facem in montis *Capharei* vertice posuit, ut Græcis locus fidem portus habere videretur; quò cum venissent Græci cum tota sua classe inter Cautes *Cauphareas* naufragium fecerunt, plurimique perierunt, ut hoc disticho significat Propertius.

Paulatim sociûm jacturam flevit Ulysses,
In mare cui soli non valuere doli.
Quod si contentus patrio bove verteret agros,
Verbaque duxisset pondus habere mea,
Viveret ante suos dulcis conviva Penates,
Pauper & in terra nil ubi flere potest.
Non tulit hic Pætus stridorem audire procellæ,
Et duro teneras lædere fune manus.
Sed Thyæ thalamo, aut Oricia terebintho
Et fultum plumâ versicolore caput.
Huic fluctus vivo radicitus abstulit ungues,
Et miser invisam traxit hiatus aquam.
Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno,
Pætus ut occideret tot coïêre mala.

INTERPRETATIO.

Amissionem sensim sociorum luxit Ulysses, cui adversus undarum injurias nihil solita potuerunt artes. Quod si Pætus suo paterno bove contentus agros coluisset, meaque monita existimasset fide digna, nunc adhuc *vitam suavis conviva ante focum* suum *duceret: pauper* quidem *esset*, sed *in ea regione, in quâ nihil timere, aut lugere posset. Non potuit tunc Pætus fragorem tempestatis audire, manusque molles aspero rudente corrumpere. At lecto ex Thya ligno, vel Oricia terebintho confecto caput reclinatum in pluma varii coloris habere voluit. Illi adhuc viventi penitùs avulsit ungues procella, infelixque gurges inimicis fluctibus ipsum obruit. Ipsum deinde sæva tempestas conspexit undis agitari cum exigua tabula. Tot in unum convenere mala, ut Pætus interiret.*

ANNOTATIONES.

41. *Jacturam sociûm flevit Ulysses.*] *Ulysses* mortalium vaferrimus & callidissimus pericula maris, quibus navigantes obnoxii sunt, effugere non potuit, cum adversus undas doli prodesse non valeant. *Flevit* igitur *Ulysses socios* gradatim ac sensim modo naufragiis, modò periculis aliis amissos, alii namque apud Cyclopem & ob Solis boves, alii apud Læstrygonas, alii apud Circen, ac Lotophagos perierunt. *Sociûm* autem posuit pro *Sociorum*. ut Virgilius Lib. 5. Æneid.

Oblitus decorisque sui, sociûmque salutis.

49. *Sed Thya thalamo.*] Dum vult Pætus in *thalamo* cedrino, ac pretioso requiescere, ac in deliciis vivere tempestatibus, procellisque periit. *Thya* porrò arbor est odorifera, quæ notiore nomine Cedrus dicitur, ut refert Plin. Lib. 13. cap. 16. Eamdem arborem inter delitias Calypsus numeravit Homerus.

Oricia Therebintho.] *Oricon. seu Oricos Oricum, & Oricus* civitas est Epiri ubi nascitur *Terebinthus*, cujus lignum laudat Plin. Lib. 13. cap. 6. ut eximii, nigerrimique splendoris, & ad vetustatem fidele, utpote incorruptum.

50. *Et fultum plumâ caput.*] Apud veteres Romanos in delitiis fuit in cervicalibus, aut stragulis fartis plumâ, anserinâ aut cygneâ, aut perdicum subalaribus plumis, quæ molliores sunt, requiescere. Unde Plin. Lib. 10. cap. 22. carpit luxuriam, delitiasque Romanorum, qui sine plumæ anserinæ instrumento durare non possent.

53. *Nox improba.*] Sæva, crudelisque procella, seu niger turbo diem subito oculis eripit; unde nox dicitur Poëtis.

Flens tamen extremis dedit hæc mandata querelis,
Quum moribunda niger clauderet ora liquor.
Dii maris Ægæi, quos sunt penes æquora venti,
Et quæcumque meum degravat unda caput,
Quo rapitis misetos primæ lanuginis annos?
Attulimus longas in freta vasta manus.
Ah miser, Alcyonum scopulis affigar acutis;
In me cæruleo fuscina sumpta Deo est.
At saltem Italiæ regionibus evehat æstus:
Hoc de me sat erit, si modo matris erit.
Subtrahit hæc fantem tortâ vertigine fluctus,
Ultima quæ Pæto noxque diesque fuit.
O centum æquoreæ Nereo genitore puellæ,
Et tu materno tacta dolore Thetis,

INTERPRETATIO.

Attamen lugens supremis gemitibus ista mandavit. cùm ipsi funestum mare ora clauderet morientia. O venti Dii maris Ægæi, qui habetis imperium æquoris. & qualiscumque aqua, quæ meum caput obruit. quem in locum aufertis miserabiles meæ juventutis annos? In vestros fluctus venimus cum longis manibus. Ah infelix! Impingam in Cautes acutas Alcyonum, à Deo Cæruleo contra me sumptus est tridens. Sed saltem me fluctus ejiciant in oras Italiæ. Istud mihi sufficiet si tandem corpus meum in matris manus venerit. Hæc loquentem abripuit mare rapido vortice; ista sive nox, sive dies fuit, suprema Pæto fuit. O centum marinæ Nymphæ patre Nereo natæ, tuque ô Thetis affecta dolore

ANNOTATIONES.

57. *Dii maris Ægæi.*] *Mare Ægæum*, vulgò *Archipelago*. pars est maris Mediterranei, ubi sunt insulæ plurimæ, quarum aliæ Sporades, aliæ Cyclades vocantur, inter quas etiam Carpathus insula numeratur, quæ nomen dedit mari, quod inter Ægyptum & Cretam interjacet, in quo Poëta dicit periisse Pætum. Invocavit autem *Deos maris Ægæi*. quasi aliis undis, alii Dii præsint, licet modò dixerit;

Non habet unda Deos.

61. *Alcyonum scopulis.*] *Alcyones*, ut jam diximus, aves sunt marinæ, quæ nidulantur in scopulis. Alii dicunt eas in undis nidos construere, quo tempore summa serenitas est. Ut sentit Ovid. Lib. 11. Metamorphos.

Incubat Alcyone pendentibus æquore nidis.

62. *Cæruleo Deo.*] Neptunum significat, cui in mundi partitione imperium pelagi, ac tridens sorte contigit; ut ait Virgil.

Non illi imperium pelagi, sævumque tridentem
Sed mihi sorte datum. ———

67. *O centum æquoreæ.*] Nereïdas, seu Nymphas maris alloquitur, quæ vulgò centum esse credebantur; ut etiam ait Virgil. Lib. 4. Georg.

Oceanumque patrem rerum, Nymphasque Sorores
Centum, quæ sylvas, centum, quæ flumina servant.

Albinovanus etiam ad Livium:

Consortesque Deæ centum, longævaque magni
Oceani conjux, Oceanusque pater.

68. *Tacta dolore Thetis.*] Ob Achillis nempe filii sui necem, quam maternis lacrymis prosecuta est mater Thetis,

Vos decuit lasso supponete brachia mento,
Non poterat vestras ille gravare manus.
At tu, sæve Aquilo, nunquam mea vela videbis.
Ante fores dominæ condar oportet iners.

INTERPRETATIO.

materne, debuistis sublevare natantem Pætum *subjectis* ejus *mento fatigato* vestris *manibus*, *illo non poterat gravis esse vestris brachiis. Sed tu, ô crudelis Aquilo, nunquam mea vela conspicies: hoc* enim *mihi fatum est, ut ego ignavus ante januam puellæ* meæ Cynthiæ *sepeliar.*

ANNOTATIONES.

quæ & ipsa una est Nereïdum. Ovid. de morte Tibulli.

Memnona si mater, mater ploravit Achillem.
Et tangunt magnas tristia fata Deas.

69. *Lasso mento.*] Pæti nimirùm, cui debuistis suppetias ferre, ne mergeretur. Ovid. Lib. 2. Eleg. 3. de ponto.

Mitius est lasso supponere brachia mento,
Mergere quam liquidis ora natantis aquis.

ELEGIA VIII.

ELEGIA VIII.

AD CYNTHIAM.

DULCIS ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas,
Vocis & insanæ tot maledicta tuæ.
Cùm furibunda mero mensam propellis, & in me
Projicis insanâ cymbia plena manu.
Tu verò nostros audax invade capillos,
Et mea formosis unguibus ora nota.
Tu minitare oculos subjectâ exurere flammâ,
Fac mea rescisso pectora nuda sinu.
Nimirùm veri dantur mihi signa caloris;
Nam sine amore gravi fœmina nulla dolet.
Quæ mulier rabidâ jactat convicia linguâ,
Et Veneris magnæ volvitur ante pedes.

INTERPRETATIO.

JUcunda mihi fuit altercatio tecum ad hesternas usque lucernas, jucundaque *fuerunt tua lingua, qualis esse solet insanorum, tot convicia. Quando furentis in morem mensam procul repellebas, & in me furenti manu pocula mero plena projiciebas. At tu in meos crines audax involа, niveisque tuis manibus faciem meam lacera; tu minare mihi oculos suppositis ignibus exurere. Nuda meum pectus conscissâ laceratâque veste. Scilicet inde mihi prabentur indicia sinceri, non ficti amoris. Nulla enim mulier absque amore vehementi* graviter *irascitur* alicui. *Quæ nam*que *fœmina rabidâ voce maledicta effundit, magnaque Veneris pedibus supplex advolvitur;*

ANNOTATIONES.

1. *DUlcis ad hesternas.*] Cynthiam alloquens rixam narrat cum ipsa habitam in Cœna, in quâ dicit eam ipsam propulisse ac evertisse mensam, poculaque vino referta in seipsum projecisse, unde se vere à Cynthia amari conjicit, quam etiam ad hæc amoris instrumenta, signaque danda adhortatur.

Ad hesternas lucernas.] Per *lucernas* significat convivium nocturnum, quia nimirùm cœnabant ad *lucernas*, ut docet Horatius Od. 8. Lib. 3.

——— *Vigiles lucernas*
Perfer in lucem. ———

Lucret. Lib 2.

Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur

4. *Cymbia plena.*] Pocula in speciem cymbæ formata. De ebriorum pugna, quæ poculis committitur, dictum est ad Eleg 6 Lib. 2. De projectis scyphis ab ebriis etiam Juvenalis Satyr. 5.

Jurgia proludunt; sed mox & pocula torques
Saucius. & rubrâ deterges vulnera mappâ.

9. *Signa caloris.*] Ex his nimirùm conjicio, inquit, me à te ex animo amari, nec simulatum esse tuum in me amorem.

12. *Veneris ante pedes.*] Ritus priscæ religionis, quo Diis suis vota persolvebant; arisque supplices advolvebantur.

Custodum gregibus circùm se stipat euntem,
Seu sequitur medias, Mænas ut acta, vias,
Seu timidam crebro dementia somnia terrent,
Seu miseram in tabula picta puella movet.
His ego tormentis animi sum verus aruspex;
Nam didici certo sæpè in amore notas.
Non est certa fides, quam non injuria versat.
Hostibus eveniat lenta puella meis.
In morso æquales videant mea vulnera collo;
Me doceat livor mecum habuisse meam.
Aut in amore dolere volo, aut audire dolentem,
Sive meas lacrymas, sive videre tuas.
Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.

INTERPRETATIO.

quam ambulantem vel circumdas observatorum turba, vel qua per medios vicos fertur more furentis, quasi Mænas furore agitata, vel quam insana sæpè insomnia terricant metuentem, vel depicta in imagine puella anxiam reddit. Ex iis animi perturbationibus vates sum, & conjector optimus. Ista signa in vero amore non deesse expertus novi. Non est certus amor, quem non exercuit injuria. Puella, quæ nihil irascitur, aut nihil commovetur, inimicis meis eveniat. Sodales conspiciant in meo collo morsu lacerato vulnera mea; livor etiam ostendat me mecum habuisse amicam Cynthiam. *In amore namque vel cupio ego queri, vel amicam audire de me querentem;* ego cupio, ô mea Cynthia, *vel cernere tuos fletus, vel meos. Si aliquando nutu superciliorum occultas voces reddis, vel manibus scripto significas verba tacenda.*

ANNOTATIONES.

14. *Mænas ut acta.*] *Mænades* sunt Bacchæ furibundæ, quæ propriè Bacchi sacrificulæ; de quibus Ovid. Lib. 4. Fastor.

Mensis inops rapitur, ut quas audire solemus
Threicias fusis Mænadas ire comis.

16. *Picta puella movet.*] Puellam turbat amantem in tabula depicta puella, ut dixit suprà Lib. 2. Eleg. 6.

Me juvenum facies picta, me nomina lædunt.

17. *His ego tormentis.*] *Tormenta* vocat cruciatus, curasque quas excitat zelotypia.

19. *Non est certa fides.*] Fidelem ostendunt amatorem fastus, injuriæ, repulsæ, si forsan his non mutetur, ut suprà dixit Eleg. 24. Lib. 2.

Nil ego non patiar; nunquam me injuria mutat.

20. *Hostibus eveniat.*] Ut dixit Ovid. Lib. 2. Amor. Eleg. 10.

Hostibus eveniat vita severa meis.

21. *In morso vulnera collo.*] Libidinis ac nequitiæ vestigia sunt mulierum morsus in facie, aut collo. Horat. Lib. 1. Od. 13.

—— —— Puella furens
Impressit memorem dente labris notam.

Tibullus Eleg. 6. Lib. 1.

Tunc herbas succosque dedi, queis livor abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus.

23. *In amore dolere volo.*] Ut noster etiam dixit Catullus:

Verbosâ gaudet Venus querelâ.

Ovid. Eleg. 8. Lib. 1. Amor.

Non benè, si tollas prælia, durat Amor.

Itemque Lib. 2. de Arte amandi:

Felicem, de quo læsa puella dolet.

Odi ego quæ nunquam pungunt ſuſpiria ſomnos:
Semper in iratam pallidus eſſe velim.
Dulcior ignis erat Paridi cùm grata per arma
Tyndaridi poterat gaudia ferre ſuæ.
Dum vincunt Danai, dum reſtat barbarus Hector,
Ille Helenæ in gremio maxima bella gerit.
Aut tecum, aut pro te mihi cum rivalibus arma
Semper erunt, in te pax mihi nulla placet.
Gaude quod nulla eſt æquè formoſa, doleres
Si qua foret, nunc ſis jure ſuperba licet.
At tibi qui noſtro tendiſti retia lecto
Sit ſocer, æternum nec ſine matre domus.
Cui nunc ſi qua data eſt furandæ copia noctis,
Infenſa illa mihi, non tibi amica dedit.

INTERPRETATIO.

Mihi non placent ſomni, quos minimè ſuſpiria interrumpunt; ego ſemper cupio pallere ob amicam iratam. Paridi longè *jucundior erat Amor, quando per bella licebat ipſi oſcula dare Tyndaridi* ſuæ. *Dum Danai victoriam referunt, dum Hector formidabilis fortiter reſiſtit, ille in ſinu Helenæ maxima bella facit. Vel bellum mihi tecum ſemper erit, vel cum rivalibus meis propter te; in te nulla mihi pax grata eſt. Lætare, ô* Cynthia, *quod nulla ſit* puella *tam formoſa, quam tu ægrè ferres, ſi eſſet aliqua;* ſed *potes meritò gloriari* nullam eſſe. *Sed tibi, qui noſtro amori inſidias ſtruxiſti, ſemper adſit ſocer, neque unquam ſit tibi domus abſq; matre. Cui modo ſi aliquando occaſio ſurripiendæ mihi noctis oblata eſt, eam puella mihi irata, non tibi amica dedit.*

ANNOTATIONES.

29. *Dulcior ignis erat Paridi.*] *Paridi* jucundior, erat amor Helenæ, quo tempore Græci ipſam repetentes Trojam oppugnabant, adverſus quos Helenam reddere nolens arma capeſſere cogebatur ipſe Paris; cui *grata arma* fuiſſe dicit Poëta, quia mallebat pugnare, quam Helenam ſuam Menelao conjugi reſtituere. Nonnulli legunt, *Grata per arma*, alii *Græca per arma*; nos communem lectionem retinuimus. Videtur autem hic tangere Propertius, quod Iliad. Lib. 3 narrat Homerus, ubi *Paris* contrà Menelaum pugnans ſervatur à Venere, ac Helenæ fert gaudium.

30. *Tyndaridi.*] *Tyndaris* eſt Helena *Tyndari* filia; de cujus amoribus cum *Paride* ſæpiùs nobis factus eſt ſermo.

31. *Dum vincunt Danai.* *Danai* ſunt Græci, ſic à Danao, qui pulſo Stenelo Argivorum rege, Argos tenuit, Achaïam que è ſuo nomine nuncupavit, dicti.

Barbarus Hector.] *Hector* Paridis fuit frater, Priami filius, Trojanorum fortiſſimus, poſt multa tandem prælia ab Achille interfectus. Solus ille Græcos, quemadmodum Achilles ſolus Trojanos, fugabat; adeò ut *Hectore* ſoſpite nunquam Troja potuerit à Græcis expugnari. Dicitur autem *barbarus Hector*, hoc eſt, Phryx, Phryges enim Græcis dicebantur *Barbari*.

38. *Sit ſocer.*] Ad rivalem imprecatio; quâ cupit, ut ſemper habeat *ſocerum*, qui ſemper genero ſit iniquior, ut omnes fere *ſoceri* conſueverunt, quique ſemper vivens *ſocer* hæreditatis expectatione fruſtretur generum.

Nec ſine matre domus.] Quæ nempe ſemper ſit moleſta, ac gravis, & dura, ut ſolent eſſe novercæ. Alii legunt, *ſine Marte*, hoc eſt, ſine rixa, pugna, diſcordia.

ELEGIA IX.

AD MÆCENATEM.

MÆCENAS eques Hetrusco de sanguine regum,
Intra fortunam qui cupis esse tuam:
Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?
Non sunt apta meæ grandia vela rati.
Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,

INTERPRETATIO.

O Mæcenas eques de gente Hetrusca regum orte, qui vis intrà fines tua sortis te continere, quare me jubes ingredi tam ingens mare scribendi? Magna vela non conveniunt mea cymba. Temerarium ac stultum est cervicibus tuis onus imponere, quod ferre non possis, teque oppressum labante poplite pronum cadere. Omnes omninò res omnibus æqualiter non conveniunt, ne-

ANNOTATIONES.

1. MÆcenas] *Mæcenas*, qui doctus doctos fovebat, unicumque erat Poëtarum præsidium, hortatus Propertium fuerat ad heroicum carmen scribendum, grandioraque argumenta, ac bellica tractanda. Propertius verò sese excusans præsentem inscribit Elegiam *Mæcenati*, significatque se rebus bellicis canendis, grandioribusque argumentis imparem esse; tantumque onus non sibi, sicut nec omnia omnibus, convenire. Denique postquam impensè laudavit *Mæcenatem*, summam ejus, qui non altiora appetat, moderationem imitari se velle profitetur.

Eques porrò dicitur *Mæcenas*, quia contentus semper fuit ordine equestri, quo natus fuerat, altioresque gradus etiam oblatos, ac dignitates accipere noluit; unde & Horat. Lib. 2. Od. 20.

Care Mæcenas eques, &c.

& Lib. 3 Od. 16.

Mæcenas equitum decus.

Hetrusco de sanguine regum.] Oriundus enim fuit Mæcenas è gente Cilnia, ex qua reges Hetruriæ. Horat Lib. 1. Od. 1.

Mæcenas atavis edite regibus.

idemque etiam Lib. 3. Od. 29.

Tyrrhena regum progenies.

Fuit namque Mæcenas filius Menodori, Menodoro Menippus fuit pater, Menippus autem patrem habuit Cæcinam Hetruscorum regem, qui fuit Mæcenatis atavus.

2. *Intra fortunam.*] Sic etiam Ovid. Lib. 3. Trist. Eleg. 4.

Crede mihi benè qui latuit, benè vixit, & intra
Fortunam debet quisque manere suam.

4 *Non sunt apta.*] Sic etiam Ovid. Lib. 3. de Arte amandi:

Conveniunt Cymbæ vela minora meæ.

5. *Turpe est quod nequeas.*] Temeritatis est, ac stultitiæ suprà vires niti; unde & Horat. in arte poëtica

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus, & tentate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. ——

Fama nec ex æquo ducitur ulla jugo.
Gloria Lysippo est animosa effingere signa;
Exactis Calamis se mihi jactat equis.
In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles,
Parrhasius parvâ vindicat arte locum.
Argumenta magis sunt Mentoris addita formæ,
At Myos exiguum flectit acanthus iter.
Phidiacus signo se Juppiter ornat eburno,

INTERPRETATIO.

quo ex eodem fonte laus omnis & nomen provenit. Lysippo fama fuit effigies exprimere quasi spirantes & animatas ime judice, Calamis sese maximè commendat equis ad vivum & ad unguem factis. In Veneris imagine præcipuam artis suæ laudem statuit Apelles. Parrhasius opere subtili famam deberi sibi contendit. Argumenta Mentoris operi jam formato adjuncta sunt, sed acanthus Myos angustam, brevemque viam flectit. Juppiter Phidiacus simulacro eburneo sese exornat,

ANNOTATIONES.

9. *Gloria Lysippo.*] *Lysippus* statuarius celeberrimus, qui ad sexcenta decem opera fecisse traditur, cujus singula claritatem arti dare potuissent.

10. *Calamis.*] Statuarius etiam *Calamis* insignis, qui, ut ait Plin. Lib 34. cap. 8 bigas quadrigasque sine æmulo expressit. Equos enim nemo unquam tam absolutos ac perfectos ad amussim effinxit.

11. *In Veneris tabula summam ponit Apelles.*] *Apelles* præstantissimus omnium fuit pictor, de quo jam diximus suprà Lib. 1. Eleg. 2. v. 22. *Venerem Apelles* è mari exeuntem depinxit, quam tota mirum in modum prædicavit antiquitas. Hanc dicitur Augustus in delubro patris Cæsaris dicavisse, cujus partem inferiorem corruptam, qui reficeret, inveniri non potuit. Inchoavit & aliam *Venerem* Cois *Apelles* superaturus illam priorem, sed invidit mors peracta tantum parte; nec qui succederet operi ad præscripta lineamenta inventus est; ut refert Plin. Lib. 35. cap. 10.

12. *Parrhasius.*] Pictor etiam egregius, an Ephesius, an Atheniensis, incertum. Hic primus Symmetriam picturæ dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris expressit, & omnibus consentientibus in lineis extremis palmam adeptus est. Hic aliquando venit in certamen cum Zeuxide. Cùm enim Zeuxis pinxisset uvas tanto successu, ut in scenam aves advolarent, ut uvas depascerent; *Parrhasius* detulisse linteum pictum traditur ita veritate repræsentatâ, ut Zeuxis alitum judicio tumens flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam: qui tandem intellecto errore palmam *Parrhasio* concessit, quoniam ipse aves fefellisset, *Parrhasius* verò seipsum artificem. Plin. Lib. 35. cap. 10. Nonnulli legunt *Pyreicus*, non *Parrhasius*, nos veteres libros sequimur.

13. *Argumenta Mentoris.*] Vasis cælandis artifex mirabilis, de quo jam suprà diximus Eleg 14. Lib. 1. Dicit porrò Propertius *Mentoris* opera addi consuevisse *formæ*, id est, rebus jam perfectis, & absolutis, quod nimirùm vasis ita applicarentur, ut etiam detrahi possent.

14. *At Myos.*] Mys etiam fuit artifex peritissimus, qui cælando argento excelluit.

Acanthus.] Herba est, quæ alio nomine branca ursina dicitur, quæ hic pro flexuoso, ac sinuoso ornatu accipitur.

15. *Phidiacus Juppiter.*] *Phidias* nobilis fuit statuarius, qui ebore sculpendo sine æmulo claruit. Diis tamen, ut ait Quintilianus, quàm hominibus ef-

Praxitelem Parius vindicat arte lapis.
Sunt quibus Elææ concurrit palma quadrigæ,
Sunt quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis.
Naturæ sequitur semina quisque suæ.

INTERPRETATIO.

marmor Parium arte propriâ postulat Praxitelem. Sunt, quibus Elæa quadriga de palma contendit. sunt alii qui laudem habent natatam à velocibus plantis. Iste natus est ad pacem, ille bello est idoneus. unusquisque naturæ suæ vires & ingenium sectatur.

ANNOTATIONES.

ficiendis melior fuit. Inter hujus opera maximè commendata est Minervæ statua, quam Athenis Olympiade 85. ex ebore fecit. Proximam verò meruit commendationem Juppiter Olympius, ab ipso in exilio factus, & ipse totus ex ebore & auro; ut testatur Plin. Lib. 34. cap. 8. & Venus, quæ fuit Romæ in porticibus Octaviæ. De *Phidiæ* operibus dixit cum Cicerone in Orator. Suetonius in Caligula cap. 22. *Phidiæ simulacris nihil in eo genere perfectius.*

16. *Praxitelem Parius lapis.*] Sibi *Praxitelem Parium* marmor artificem postulat. *Praxiteles* autem insignis fuit sculpendi marmoris artifex, qui duplici præcipuè Venere nobilitatus est, Gnidiâ scilicet, & Coâ, quæ ob artis, artificisque præstantiam magnam mortalium vim in eas insulas ad sui spectaculum allexerunt. Sed Gnidia vesano cujusdam juvenis insignis amore, qui delituit in templo, simulacroque adhæsit, tùm Nicomedis æstimatione regis grandi ære alieno Gnidiorum eam permutare conantis, plus famæ est adepta. Cupidinem etiam summâ industriâ elaboravit, quem Phrynæ scorto insigni, cujus ardebat amore, meretriciâ calliditate circumventus dono dedit. De *Praxitele* scripsit Plin. Lib. 36. cap. 5. *Praxiteles*, inquit, *marmoris nobilitate superavit etiam semet.*

Parius porrò *lapis* marmor est candidissimum, ac celebratissimum, quod in insula *Paro*. quæ è Cycladibus una est, eruebatur, de quo Horat. Od. 19. Lib. 1.

Urit me Glyceræ nitor
Splendentis Paro marmore purius

Seneca in Hyppolyto:

Lucebis Pario marmore clarius.

Virgilius etiam Lib. 3. Georgic.

Stabunt & Parii lapides, spirantia
signa.

17. *Elæa quadriga.*] Alii, inquit, ludis Olympicis celebrantur, in quibus equorum, quadrigarumque celeritate palmam adipiscuntur; alii pedibus ad cursum velocissimis insignes sunt. *Elæa quadriga* est, quæ Pisam *Elidis* urbem ad Ludos Olympicos venit; qua de re jam diximus Eleg. 8. Lib. 1. Celebrantur autem à scriptoribus equæ Cimonis Atheniensis, quæ tres palmas Olympiacas reportarunt; quæ idcircò defunctæ Athenis sepultæ sunt. Similes etiam equas habuit Evagoras Spartanus, quæ ter etiam victrices in ludis Olympicis fuerunt.

18. *Sunt quibus in celeres pedes.*] Velocitate pedum cursores maximè celebrantur, Ladas qui supra cavum pulverem ita cursitavit, ut arenis pendentibus nulla vestigia relinqueret. Anistis, Lacon & Philonides Alexandri magni cursores, qui mille & ducenta stadia uno die confecerunt. Ab Homero etiam pedum pernicitate celebratur Achilles. Unde Martialis:

Laudat Achilleos sed sine fine pedes.

19. *castrensibus utilis armis.*] *Castrensia* dixit *arma*, quia sunt & Veneris, & amantium *arma* à castris aliena.

At tua, Mæcenas, vitæ præcepta recepi,
    Cogor & exemplis te superare tuis.
Cùm tibi Romano dominas in honore secures;
    Et liceat medio ponere jura foro:
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
    Atque onerare tuam fixa per arma domum:
Et tibi ad effectum vires det Cæsar, & omni
    Tempore tam faciles insinuentur opes.
Parcis, & in tenues humilem te colligis umbras,
    Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
Crede mihi, magnos æquabunt ista Camillos
    Indicia, & venies tu quoque in ora virum.
Cæsaris & famæ vestigia juncta tenebis.
    Mæcenatis erunt vera trophæa fides.
Non ego velifera tumidum mare findo carina.

INTERPRETATIO.

Sed, ô Mæcenas, in animum meum induxit tua vivendi exempla, mihique necesse est præceptis tuis te vincere. Quamvis enim possis in Romanis magistratibus secures imperii vim præ se ferentes statuere, ac in medio foro jus dicere, legesque ferre: aut etiam possis in Medos hostes irrumpere, domumque tuam fixis armis decorare, tibique ad id efficiendum potentiam Cæsar conferat, opesque copiosæ quolibet tempore tibi ingerantur. Parcè tamen uteris, teque in parvas contrahis umbras, tumentesque sinus velorum subducis. Mihi fidem habeto, istud vitæ institutum, te magnis Camillis parem faciet, hominumq; etiam sermone celebraberis: Cæsaris quoque Augusti gloriæ proximus ibis: Mæcenatis in Augustum fidelitas certum virtutis ejus perstabit monumentum. Non ego rate velis instructâ procellosum æquor navigo.

ANNOTATIONES.

22. *Exemplis te superare tuis.*] Cùm, inquit, te videam magnum nobilemque virum in ordine equestri, in quo natus es, & intra tuæ sortis conditionem remanere angusto clavo contentum, cùm majora consequi possis, mihi necesse est exemplo tuo magna, nec altiora me prosequi, sed minuta tantùm, qualia consuevi, tractare.

23. *Dominas secures.*] Romanos nimirùm fasces, qui magistratibus præferri solebant, tanquam potestatis ac dominationis indices.

24. *Ponere jura foro.*] Leges, jura dicere, edicta proponere quod Ædiles, Prætores, Tribuni, Consules Romæ facere solebant.

25. *Medorum.*] *Medi* populi sunt Asiæ, Parthis, Persisque finitimi.

31. *Magnos Camillos.*] *Camillus* dictus est alter Romulus ob Gallos Româ quondam ejectos, de quo Cicero, Livius, Horatius, Plutarchus, aliique, Virgil. quoque Lib. 2. Georg.

Assuetumque male Ligurem, Volscosque verutos
Extulit: hæc Decios, Marios, magnosque Camillos.

34. *Mæcenatis fides.*] Quamvis summa *Mæcenatis fides* in Augustum fuisse dicatur; sublesta tamen, aliquando visa est Augusto, qui nonnunquam illius desideravit taciturnitatem, cùm arcanum de Murænæ conjuratione Terentiæ uxori prodidisset, ut refert Suetonius in Augusto.

35. *Non ego velifera.*] Metaphoricè, seu allegoricè ostendit se nolle subli-

Tota sub exiguo flumine nostra mora est.
Non flebo in cineres arcem sedisse paternos
Cadmi, nec semper prælia clade pari.
Nec referam Scæas, & Pergama Apollinis arces,
Et Danaum decimo vere redisse rates,
Mœnia cum Grajo Neptunia pressit aratro
Victor Palladiæ ligneus artis equus.
Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis, Coë Poëta, tuis.
Hæc curent pueri, curent hæc scripta puellæ,
Meque Deum clament, & mihi sacra ferant.
Te duce vel Jovis arma canam, cœloque minantem
Cæum, & Phlegræis Oromedonta jugis:

INTERPRETATIO.

Omnis nostra commoratio est in tenui fluviolo. Non ego lamentabor arcem Cadmi patriis ignibus absumptam, neque jugiter bella pari clade. Neque prædicabo portas *Scæas, ac Pergama, Apollinis propugnacula, decimaque tempestate vernâ Danaorum classem Trojâ reversam fuisse* in Græciam. *Quando nimirùm equus abiegnus artis Palladiæ victor aratrum Grajum impressit muris Neptuniis. Mihi satis erit laudari cum Elegis Callimachi, tuisque, ô vates Coë, numeris lusisse. Hos versus cura habeant ac voluptati pueri, puellæque, meque Divum esse prædicent. mihique sacrificia efferant. Te duce.* ô Mæcenas, *Jovis etiam bella cantabo, Cæumque minas intentantem cælo, montibusque Phlegræis Oromedontem,*

ANNOTATIONES.

mia, grandique argumenta tractare, sed solùm minora, & amatoria.

37. *Non flebo in cineres.*] Non attingam, inquit, neque tentabo scribere materias grandes, & sublimes, velut bellum Thebanum, quo pari clade, vulneribusque mutuis Eteocles & Polynices germani concurrentes in invicem conciderunt. *Arcem* enim *Cadmi* vocat urbem Thebanam, quam *Cadmus* condiderat, quæque ab Epigonis, Alcmæone duce, diruta est.

39. *Nec referam Scæas, & Pergama.*] Hoc est, non scribam bellum Trojanum. *Scæa* namque fuit Trojæ urbis porta, de qua Virgilius Lib. 2. Æneid.

—— *Hic Juno Scæas sævissima portas*
Prima tenet. ————

Pergama Apollinis.] Quia nimirùm *Apollo* & Neptunus mœnia Trojæ, quæ & *Pergama* sæpiùs Poëtis dicitur, construxerunt, postquam ad hoc opus Laomedon certam pecuniæ summam esset pollicitus.

41. *Mœnia Neptunia.*] Urbem Trojam significat, quam modò dixit etiam *Apollinis arcem*, quia nempe Trojæ muros Neptunus & Apollo construxisse dicuntur.

42. *Palladiæ ligneus artis equus.*] Trojanus *equus*, quem montis instar divinâ Palladis arte ædificarunt Græci, De quo jam suprà sæpiùs

44. *Coë Poëta.*] Philetam intelligit ex *Coo* Insula natum; de quo jam Eleg. 1. hujus Libri, ubi etiam de Callimacho diximus.

48. *Cæum.*] *Cæus* unus fuit è gigantibus, quos dicit Virgilius

—— *Conjuratos cælum rescindere fratres,*

quippe qui Jovem cœlo dejicere aliquando tentaverint.

Phlegræis Oromedonta jugis.] *Oromedon* fuit etiam alius è Titanibus seu Gi-

Celsaque

Celsaque Romanis decerpta palatia tauris
Ordiar, & cæso mœnia firma Remo,
Eductosque pares silvestri ex ubere reges,
Crescet & ingenium sub tua jussa meum.
Prosequar, & currus utroque ab littore ovantes,
Parthorum astutæ tela remissa fugæ,
Castraque Pelusi Romano subruta ferro,
Antonique graves in sua fata manus.
Mollis tu cœptæ fautor cape lora juventæ,
Dexteraque immissis da mihi signa rotis.
Hoc mihi Mæcenas laudis concedis, & à te est,
Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

INTERPRETATIO.

scribere incipiam alta palatia à bobus Romanis depasta, muresque munitos, interfecto Remo, & geminos reges nutritos lacte ferino, mihique erit uberior vena sub tuum imperium. Versibus etiam meis dicam currus ab utroque mari triumphantes, sagittasque canam retrò missas dolosa fuga Parthorum, arcesque Pelusii subversas armis Romanis, ac Marci *Antonii manus in suam ipsius perniciem sævientes. O tu facilis ac benigne fautor, prima mea juventutis habenas suscipe, & da mihi fausta signa effuso in cursum currui. Illam mihi gloriam concedis, ô Mæcenas, & à te est, quod ego dicar in tuis partibus fuisse.*

ANNOTATIONES.

gantibus, qui Jovi bellum intulerunt; *Phlegræa* verò *juga* Thessalorum montium sunt vertices; de quibus Lib. 2. Eleg. 1. *Phlegra* namque, seu *Phlegræus* campus duplex; alter in Italiæ ora maritima circa Cumas, quam oram gigantæam vocavit Propertius Lib. 1. Eleg. 20. Alter est in Thessalia, de quo hic agitur, & infra Eleg. 11.

49. *Decerpta palatia tauris.*] Cantabo, inquit, urbis Romæ originem, ubi ante Phrygem Æneam collis & herba fuit, & quomodo Romuli boves, aliaque pecora in monte *Palatino* herbas depascebant.

50. *Cæso mœnia firma Remo.*] De morte Remi historiam tangit, quia nimirùm sublato æmulo sibi regnum asseruit Romulus; vel quia fraternâ cæde cavit, ne quis muros urbis suæ deinceps violare auderet.

51. *Silvestri ex ubere reges.*] Romulum, ac Remum significat lupæ lacte nutritos.

53. *Utroque ab littore.*] Ab Eoo nimirùm, & Hesperio, seu ab Orientali & Occidentali mari. Ab Occidente propter Hispanos ac Britannos bello devictos; Ab Oriente, propter Indos, Parthos, aliosque Orientis populos; de quibus etiam in hanc sententiam Virgilius Lib. 3. Georgic.

Et duo rapta manu diverso ex hoste trophæa
Bisque triumphatos utroque ab littore gentes.

55. *Castraque Pelusii.*] Bellum significat Alexandrinum, quo Cleopatram, Antoniumque devicit, Alexandriâque potitus est Augustus, postquam Antonium, ut sibi violentas manus afferret, eo compulisset. *Pelusium* autem urbs est Ægypti, ut ait Strabo Lib. 17 paludibus cincta, ac angusta viarum. Nunc vocatur *Damiette.*

ELEGIA X.

DE NATALI AMICÆ SUÆ.

MIRABAR quidnam misissent mane Camœnæ
Ante meum stantes, sole rubente, torum.
Natalis nostræ signum misere puellæ,
Et manibus faustos ter crepuêre sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aëre venti,
Ponat, & in sicco molliter unda minas.
Aspiciam nullos hodiernâ luce dolentes,
Et Niobe lacrymas supprimat ipse lapis.
Alcyonum positis requiescant ora querelis,
Increpet absumptum nec sua mater Ityn.

INTERPRETATIO.

ADmirabar ego quidnam mane ad me misissent Camœnæ consistentes ad meum lectum, oriente Sole. Signum dederunt diei natalitii mea amica, earumque manus ter plausus lætos ediderunt. Iste dies prætereat sine nube, flatu non agitent aërem venti. Placidè etiam mare iras deponat in arido littore. Neminem omninò hodie videam tristem; saxum etiam, quod quondam fuit Niobe, fletus cohibeat. Alcyonum guttura cessatis questibus sileant, neque lamentetur sua genitrix Ityn occisum & comesum.

ANNOTATIONES.

1. *MIrabar.*] Ut lætiùs dies Cynthiæ natalis celebretur, Cœli serenitatem optat Propertius, maris tranquillitatem, omnia denique fausta ac læta precatur, Cynthiamque ipsam ad sacrum illum diem natalitium celebrandum exhortatur.

Camœnæ.] Diem natalitium Cynthiæ Musas, quæ & *Camœnæ* dicuntur, celebrare voluisse significat Poëta, quæ sibi quiescenti ante thorum summo mane allucerunt.

3. *Natalis.*] *Natalem* diem celebrare sulemne fuit apud Romanos; sed Herodotus narrat Persas præ cæteris gentibus festum illum diem religiosè coluisse.

8. *Et Niobe.*] Et flere desinat, quæ nunc lapis est, *Niobe.* Dicitur enim *Niobe* conversa in lapidem, qui perpetuis adhuc manat lacrymis. De *Niobe* diximus ad Eleg. 20. Lib. 2. v. 7.

9. *Alcyonum.*] *Alcyones*, de quibus jam sæpiùs, sunt aves marinæ, quæ dicuntur *querulæ*, quod fingantur mortem lamentari Ceycis conjugis *Alcyones*, quæ fuit in avem ejusdem speciei mutata. Vide Ovidium Lib. 11. Metamorphos.

10. *Mater Ityn.*] Hoc est, ne *Progne*, quæ facta est hirundo, vel, ut alii, Luscinia, sæpè lamentetur filium *Ityn* interemptum, ac mensis appositum. Fabulantur enim Prognen Terei Thracum regis conjugem filium suum *Ityn*, quem ex Tereo genuerat, interemptum comedendum apposuisse eidem Tereo viro suo, quod furori suæ Philomelæ vim intulisset. Quam uxoris impietatem cum Tereus deprehendisset, agnito filii capite, Prognenque ac Philomelam stricto gladio insequeretur, dicitur fuisse in avem Upupam commutatus, Progne verò in hirundinem, Philomelam in Lusciniam, *Itys* deni-

Tuque, ô cara mihi, felicibus edita pennis,
 Surge, & poscentes justa precare Deos.
Ac primum purâ somnum tibi discute lymphâ,
 Et nitidas presso pollice finge comas.
Dein quâ primum oculos cepisti veste Properti,
 Indue, nec vacuum flore relinque caput.
Et pete, quâ polles, ut sit tibi forma perennis,
 Inque meum semper stent tua regna caput.
Inde coronatas ubi thure piaveris aras,
 Luxerit & totâ flamma secunda domo:
Sit mensæ ratio, noxque inter pocula currat,
 Et crocino nares murrheus ungat onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
 Et sint nequitiæ libera verba tuæ.
Dulciaque ingratos adimant convivia somnos,
 Publica vicinæ perstrepat aura viæ.
Sit sors & nobis talorum interprete jactu,

INTERPRETATIO.

Tu verò, ô mihi delecta, faustis avibus nata, consurge, rectaque & honesta à Divis annuentibus pete. Et ante omnia aquâ mundâ soporem disjice; digitisque leviter admotis capillos nitentes come. Deinde vestem illam indue, quâ primò Propertii oculos rapuisti, & cave ne caput tuum careat sertis. Deos autem precare, ut illa pulcritudo, quâ nites, sit tibi perpetua; tuaque in me imperia firma jugiter maneant. Postquam verò Deorum altaria sertis redimita propitiaveris, ignisque faustus splendente tibi emicuerit per omnem ædem; mensæ tibi sit cura, & nox tota transeat inter calices, ac murrheus onyx crocino nares imbuat. Tibia canendo defessa nocturnis choreis deficiat, verbaque nequitiæ tuæ sint libera; jucunda etiam epula soporem auferant ingratum; Aura publica viæ vicinæ cantu plausuque personet. Sit etiam nobis sors interprete talorum jactu.

ANNOTATIONES.

que in Phasianum.

11. *Felicibus edita pennis.*] Fortunato ac fausto avium volatu, seu faustis auspiciis. Posuit enim *pennas* pro *avibus*. Ut Virgil. 3. Æneid. dixit:

 ——— *Et præpetis omina pennæ.*

19. *Thure piaveris aras.*] *Aras* posuit pro Diis ipsis. Deos enim adorasse veteres ingesto super *aras thure* notissimum est.

22. *Murrheus ungat Onyx.*] *Onyx* est, ut jam diximus, ampulla, seu vasculum unguentarium. *Murrheus* autem vocatur *Onyx Myrrhâ* plenus. *Myrrha* namque apud veteres inter unguenta pretiosa numerabatur. Unde & Horatius *Myrrheum crinem* dixit *myrrhâ* delibutum, ut etiam apud Tibullum legitur *Myrrhea coma*.

Crocino.] Unguentum est *Crocinum*; quod fiebat ex aromatibus, & *Croco* in oleo macerato, de quo Plin. pluribus in locis. Dioscorid. Lib. 1.

23. *Tibia.*] In sacris, in ludis, & conviviis, sicut & in funeribus *Tibicines* adhibebant antiqui. Cupit autem Propertius saltationes, & convivia per totam noctem celebrari, ita ut *tibicines* fatigati vincantur à tripudiantibus.

27. *Talorum interprete jactu.*] *Talorum jactu* divinabant inter pocula, quam quis amaret, & quo successu, &

Quem gravibus pennis verberet ille puer.
Cùm fuerit multis exacta trientibus hora,
Noctis & instituet sacra ministra Venus:
Annua solvamus thalamo solennia nostro,
Natalisque tui sic peragamus iter.

INTERPRETATIO.

quem ille puer gravibus alis everberet. Quando verò praterierit tempus pluribus elapsis trientibus, Venusque fieri praecipiet sacra noctis: persolvamus etiam nostro thoro solemnia annua, ac ita tui natalitii diei cursum peragamus.

ANNOTATIONES.

quis gravius, ardentiusque à Cupidine verberaretur.

28. *Ille puer.*] Cupido nimirum, Deus Amoris, qui fingitur alatus *puer*, ut Eleg. 9. Lib. 2.

Nullus amor cuiquam faciles ita praebuit alas.

Ovid. Lib. 1. de remedio Amoris.

Debilibus pennis irritus exit Amor.

29. *Multis trientibus hora.*] Longâ potatione. *Triens* porrò est unciae quatuor, seu tertia pars assis. Unde *Triens* hîc intelligitur calix continens quatuor cyathos.

ELEGIA XI.

FOEMINAS AMANTIBUS IMPERARE.

QUID mirare meam si versat fœmina vitam?
Et trahit addictum sub sua jura virum?
Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
Quod nequeam fracto rumpere vincla jugo?
Venturam meliùs præsagit navita mortem,
Vulneribus didicit miles habere metum.
Ista ego præteritâ jactavi verba juventâ;
Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagrantes adamantina sub juga tauros
Egit, & armigerâ prælia sevit humo.
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
Iret ut Æsonias aurea lana domos.

INTERPRETATIO.

Cur admiraris si puella vitam meam versat, & ad suum arbitrium me mancipatum sibi cogit servire? Cur etiam vitium infame desidis hominis affingis mihi? Quasi nec possim frangere pedicas Amorisque catenas rupto jugo? Facilius doctiusque nauta noctem, seu tempestatem venturam præsentit, milesque doctus est vulneribus timere. Tales ego, quales nunc tu, *quondam effudi voces in mea prima juventute; tu verò edisce metuere,* & sapere, *meo exemplo. Colchis subegit tauros ignem spirantes aratro anno, seminavitque in terra armiferas acies. Sepivit etiam ora metuenda custodis draconis, quo vellus aureum adiret domum Æsoniam.*

ANNOTATIONES.

1. *Quid mirare.*] Pluribus exemplis fœminarum, quæ viris imperarunt, demonstrat, quanta sit mulierum in viros potestas, quantumque sit imperium; deinde in laudes excurrens Augusti turpes Antonii, & Cleopatræ Capitolio etiam, Romanisque arcibus formidabilis insectatur amores.

3. *Criminaque.*] Mihi ignaviæ, desidiæque crimen assimulas.

4. *Quod nequeam.*] Quod non possim amoris pedicas perfringere, de quibus Ovid. Lib. 3. Amor. Eleg. 10.

Scilicet asserui jam me, fregique catenas.

9. *Colchis flagrantes tauros.*] *Colchis* dicitur Medea, à *Colchide*, unde fuit oriunda; quam fabulantur, carminibus seu incantamentis effecisse, ut Jason *Tauros* ignem naribus spirantes, qui vellus aureum servabant, domaret, domitosque sub juga duceret, quæ Poëta dicit *adamantina*, quia nimirùm, ita dura, ut non possent frangi. Vide Apollonium Lib. 3.

10. *Prælia sevit humo.*] Medea etiam draconis dentes in terra seminare docuit Jasonem, unde nati sunt homines armati, qui in invicem irruentes sese mutuis vulneribus trucidarunt.

11. *Custodisque serpentis.*] Draconem intelligit illum pervigilem, qui custodisse fingitur aureum vellus, quem Medeæ carminibus, ac veneficiis sopitum interfecit Jason, ut vellus aureum rapere posset.

12. *Æsonias domos.*] Ut Iolcon Magnesiæ in Thessalia oppidum vellus au-

Ausa ferox ab equo quondam oppugnare sagittis
Mæotis Danaûm Penthesilea rates.
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
Vicit victorem candida forma virum.
Omphale in tantum formæ processit honorem
Lydia Gygæo tincta puella lacu:
Ut qui pacato statuisset in orbe columnas
Tam durâ traheret mollia pensa manu.
Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,

INTERPRETATIO.

Olim furens Penthesilea Mæotis equitando ausa est Danaorum classem telis adoriri. Cui posteaquam cassis frontem detexit, eximia ipsius pulcritudo hominem sui victorem devicit. Omphale etiam *Lydia puella, quæ lacu Gygæo lavit, in tam magnam pulcritudinis laudem venit, ut ille, qui in orbe terrarum tyrannis monstrisque purgato columnas constituisset, manu tam laboriosâ, ac forti molles lanas carperet. Semiramis condidit Babylonem civitatem Persarum.*

ANNOTATIONES.

reum veheretur, ubi nimirùm *Æson* Jasonis pater.

14. *Mæotis Penthesilea.*] Amazonum regina *Penthesilea* dicitur *Mæotis*, hoc est, Scythica, quia nimirùm Amazones illam Scythiæ partem, quæ ad paludem *Mæotim*, Tauricam Chersonesum, ac Tanaïm amnem spectat, incoluisse dicuntur. Illa porrò *Penthesilea* auxilium Priamo Trojanisque ferens contrà Græcos Trojam oppugnantes plurima fortitudinis, virtutisque suprà sexum suum edidit documenta, demumque cum eorumdem Græcorum classem peteret, ab Achille est interfecta.

15. *Victorem virum.*] Achillem, qui Penthesileæ à se occisæ formositate captus, eam sepulturæ esse mandandam contendebat, nolebatque eam in fluvium Scamandrum projici, ut persuasit Diomedes.

17. *Omphale.*] Lydiæ regina, cui Hercules amore flagrans servivit, & quæ eumdem etiam Herculem sibi servientem ad lanificium, & ad pensa trahenda compulit.

18. *Lydia Gygæo lacu.*] In *Lydia*, cujus regina fuit Omphale, *lacus* fuit quidam nomine *Gygæus*, qui posteà mutato nomine dictus est Coloüs; quem 40. tantùm stadiis ab Sardibus abesse refert Strabo Lib. 13. qui ibidem etiam narrat ad eumdem lacum Simias diebus festis solemnibus saltare consuevisse.

19. *Pacato statuisse orbe columnas.*] Herculem significat, qui dicitur ad Oceanum Occidentalem, extremasque orbis oras, postquam mundum monstris tyrannisque purgasset, tanquam laborum suorum metas, duas extruxisse columnas, alteram in extrema Hispania, Calpen dictam, alteram Abilam vocatam, in Africa.

21. *Statuit Babylona Semiramis.*] *Semiramis* Assyriorum regina, Nini regis uxor, quæ post obitum sui conjugis intelligens Assyrios ægrè mulieris imperium passuros, illius obitu dissimulato, personam ejus assumpsit, donec filius Ninus, seu Ninyas adolesceret, sicque annos quadraginta regnavit. *Semiramis* dicitur militiâ, triumphis, victoriis, divitiis, & imperio mortales omnes superasse. Ipsa Babylonem ad fluvium Euphratem ex coctili latere meritò dicitur condidisse, cùm illam urbem ex oppido maximam fecerit, stupendasque eam muris, turribus, por-

Ut ſolidum cocto tolleret aggere opus.
Et duo in adverſum miſit per mœnia currus,
Ne poſſent tacto ſtringere ab axe latus.
Duxit, & Euphratem medium, quâ condidit arces;
Juſſit & imperio ſurgere Bactra caput.
Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina divos?
Juppiter infamat ſeque, ſuamque domum.
Quid modo quæ noſtris opprobria vexerit armis,
Et famulos inter fœmina trita ſuos?
Conjugis obſcœni pretium Romana popoſcit

INTERPRETATIO.

adeò ut opus integrum muris coctilibus excitaret: duaque quadriga contrà invicem concurrentes per muros poſſent prætereuntes axe ſtricto latus ſibi non contingere. Perduxit etiam Euphratem per mediam urbem, quam exſtruxit, voluitque regni ſui totius præcipuam urbem eſſe Bactra. Sed quid ego heroas; quid Deos in crimen vocem? Juppiter ipſe ſe ac ſuam domum dedecore afficit. Quid? quam magnum dedecus nuper intulit noſtris armis fœmina etiam ſuis ſervis proſtituta? Petiit à ſuo libidinoſo marito Romam urbem pro mercede,

ANNOTATIONES.

tis centum æneis, hortis penſilibus, templo longè magnificentiſſimo, cæteriſque operibus, ac opibus admirandis ornaverit; adeò ut *Babylon* inter ſeptem orbis miracula meruerit annumerari.

23. *Duo per mœnia currus.*] Babylonis muri à Semiramide ædificati altitudinem ducentorum cubitorum, latitudinem quinquaginta habebant. Via ſuprà muros ita lata ſtrata erat, ut duæ quadrigæ inter ſe occurrentes ſine periculo ſeſe invicem attingendi commeare poſſent. Vide Herodot. Lib. 1. Q. Curtium Lib. 5.

25. *Euphratem.*] Fluvius *Euphrates* ex Armeniæ montibus ortus, pluribus vaſtiſque regionibus peragratis, per Meſopotamiam currens, mediamque Babyloniam interſecans in Tygrim influit, cum quo junctis ſimul aquis duobus ingentibus oſtiis in ſinum Perſicum delabitur. Babylonem urbem, dum ſtabat, mediam etiam ſecabat Euphrates unum ſtadium latitudine occupans. In flumine fuiſſe penſiles hortos tam celebres refert Strabo Lib. 16.

26. *Bactra caput imperio.*] *Bactra* civitas fuit *Bactriana* regionis ſeu *Bactrianorum* primaria, quam Aſſyriorum *imperio* adjecit Semiramis, ut refert etiam Diodorus Lib. 3.

28. *Juppiter infamat.*] Quis neſcit Jovem apud omnes ſcriptores ita mulierosum in primis haberi, ut ſuis furtis, & adulteriis ſe, cœlumque ipſum, in quo pellices regnare conqueritur apud Senecam Juno, turpiter *infamaverit*?

29. *Quæ noſtris opprobria.* Cleopatram intelligit, quæ Romano nomini bellum inferendo magnum dedecus attulit, quia nimirùm mulier illa ſervis ſuis, ac Eunuchis ſubacta proſtitutaque, ut ait Poëta, auſa eſt Romanæ virtuti minas intentare bellumque etiam inferre.

31. *Conjugis obſcœni.*] Cleopatræ procacitatem execratur, quæ popoſcerat ab Antonio ſpurco ſuo conjuge imperium Romanum pro ſtupri pretio, ac mercede, ut teſtatur etiam cum Propertio noſtro Florus Lib. 4. cap. 11. *Hæc mulier*, inquit, *ab ebrio imperatore pretium petit libidinum Romanum imperium. quod promiſit Antonius, quaſi facilior eſſet Partho Romanus.*

Mœnia, & addictos in sua regna patres.
Noxia Alexandrina dolis aptissima tellus,
Et toties nostro, Memphi, cruenta malo;
Tres ubi Pompejo detraxit arena triumphos.
Tollet nulla dies hanc tibi Roma notam.
Issent Phlegræo meliùs tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi,
Una Philippæo sanguine adusta nota,

INTERPRETATIO.

suoque imperio mancipatos patres. O funesta terra Alexandrina, fraudibus aptissima, tuque, ô Memphi, tam sæpè nostrâ pernicie & sanguine cruentata, ubi arena tres triumphos abstulit Pompejo. O Roma nulla dies hanc tibi maculam delebit. Feliciùs tibi successissent fata in campo Phlegræo, etiam si cervicem jugulumque præbitura eras socero. Regina scilicet scortum Canopi incesti, insignis infamia Philippæa genti inhærens,

ANNOTATIONES.

34. *Addictos patres.*] Hoc est, Senatum sibi mancipatum, & adjudicatum eo penitùs modo, quo debitores creditoribus addicebantur.

34. *Memphi cruenta malo.*] Sermonem Poëta convertit ad Ægyptum, cujus quondam metropolis, regiaque civitas fuit *Memphis*, ab Osiride condita ad Deltæ verticem, ex altera Nili parte è regione loci illius, in quo posteà conditum est Cairum, vulgò *le grand Caire.* Unde eos falli certum est, qui Cairum volunt hodiernum idem esse ac veterem *Memphim*, cum tamen Cairum sit ex altera parte Nili è regione veteris *Mempheos*, quæ nunc diruta jacet.

Ad urbem porrò *Memphim* fuerunt illæ pyramides Ægyptiæ, quæ inter orbis miracula fuerunt numeratæ, de quibus Martialis Lib. 1.

Barbara pyramidum sileat miracula Memphis.

35. *Tres Pompejo triumphos.*] Littus Ægyptium, in quo fuit occisus *Pompeius*, tres dicitur ipsi eripuisse *triumphos*; quia nimirùm *triumphorum trium* gloriam fœdè interfectus amisit. Cicero pro Cornelio Balbo dicit *Pompeïum* de tribus orbis terrarum partibus triumphasse. *Qui tot*, inquit, *habuit triumphos, quot oræ sunt, partesque terrarum.* Tres etiam triumphos asserit *Pompeïo* Plin. Lib. 7. cap. 26. itemque Velleïus Paterculus Lib. 2. Albinus etiam Lib. 1. rerum Rom. apud Prisc. Lib. 7.

Ille cui ternis Capitolia celsa triumpha
Sponte Deûm patuêre, cui freta nulla repostos
Abscondere sinus, &c.

37. *Phlegræo campo.*] *Phlegræum campum* vocat Pharsalicum in Thessalia, ubi cum socero suo Julio Cæsare Pompeïus infaustis avibus decertavit.

39. *Incesti Regina Canopi.*] *Meretrix Regina Canopi* dicitur Cleopatra, Ægypti, cujus civitas est *Canopus*, regina, quæ libidine furens Antonio non modò, sed etiam servis suis corporis copiam fecisse traditur. Dicitur etiam *Canopus incestus*, vel propter *incestas* regum Ægyptiorum cum sororibus suis nuptias, vel propter Canopicorum civium perditissimos mores. Seneca trag. in Octavia.

Hausit cruorem incesta Romani ducis
Ægyptus iterùm. ———

40. *Philippæo sanguine.*] Cleopatra dicitur infamia genti, & sanguini *Phi-*

Ausa

Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas,
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos & contis rostra Liburna sequi,
Fœdaque Tarpejo Conopea tendere saxo,
Jura dare statuas inter & arma Marî.
Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures;
Nomine quem simili vita superba notat,

INTERPRETATIO.

consisa est nostro Jovi latrantem Anubin opponere, Tiberimque compellere Nili minas pati, ac Romanam tubam fugare sistro strepitanti, navesque Liburnicas rostratas longis Barides vectibus oppugnare, ac turpia tentoria rupi Tarpejæ infigere, jusque dicere inter statuas & arma Marii. Quid jam prodest fasces esse confractos Tarquinii, quem vita superba simili nomine designat,

ANNOTATIONES.

lippi & Alexandri Macedonum regum ita inhærens, ut nunquam tolli queat. Reges nimirùm Ægypti, è quibus originem ducebat Cleopatra, orti fuerant ex stirpe Philippi Macedonis, ut testatur Q. Curtius Lib. 9. *Ptolemeus*, inquit, *sancius regis sollicitudinem in se converterat, sanguine conjunctus erat, & quidam Philippo genitum esse credebant. Certè pellice ejus ortum constabat.*

41. *Latrantem Anubim.*] Pugnam Actiacam designat, quâ invicem commissos fuisse Deos dicit Romanorum, & Ægyptiorum. Ut enim apud Romanos Juppiter Deorum maximus in Capitolio colebatur; ita *Anubis* apud Ægyptios impensè summâque religione colebatur, qui *latrans* dicitur, quod cum canino capite, seu caninum habens caput effingeretur.

43. *Romanamque tubam.* Quemadmodum versu præcedenti Tiberi Nilum opposuit, ut Romam & Ægyptum significaret, sic & hoc loco tubam Romanam opponit *Sistro* Ægyptiaco. *Sistrum* enim est musicum instrumentum sonorum & argutum, quo peculiariter in suis tripudiis utebantur Ægyptii, sicut *tubâ* utebantur Romani.

44. *Baridos.*] *Baris* navigii genus fuit, quo vehebant Ægyptii mortuorum ad sepulcrum cadavera,

Rostra Liburna.] *Liburna* seu *Liburnica* naves *rostrata* sunt celeritate, ac agilitate commodissimæ, quibus utebantur Romani; dictæ porrò sunt *Liburna*, à *Liburnis* Illyrici populis, qui hujus navigii usum adinvenerunt.

45. *Tarpejo saxo.*] *Saxum Tarpejum* idem est ac illud, quod à Virgilio dictum est *Capitoli immobile saxum*, unde & mons *Tarpejus*, & *Tarpeja rupes* pro Capitolio sumitur; ut sæpiùs jam diximus.

46 *Inter & arma Mari.*] In ipso nimirùm Capitolio, ubi erant Caii *Marii* statuæ, trophæaque, & arma ab ipso hostibus erepta: de quibus vide Plutarchum in Cæsare, itemque Sueton. in eodem Cæsare cap. 11. *Trophæa*, inquit, *Caii Marii de Jugurtha, deque Cimbris, ac Teutonis olim à Sylla disjecta restituit.*

47. *Tarquinii fractas secures.*] *Tarquinium* Superbum intelligit, qui fuit ultimus regum Romanorum. Dicit autem Propertius, si tyranno superbo parendum sit, ferendum potiùs fuisse regem Tarquinium, quàm fœminam superbam & impudicam. Per *fractas* autem *secures* fractum denotat imperium Tarquinii, cujus revera fasces dominationis & imperii indices fracti sunt, cum regno pulsus & ejectus est.

Si mulier patienda fuit? cape, Roma, triumphum,
Et longam Augusto salva precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili,
Accepere tuæ Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris,
Et trahere occultum membra soporis iter.
Non hæc, Roma, fuit tanto tibi cive verenda,
Nec ducis assiduo lingua sepulta mero.
Septem urbs alta jugis, toto quæ præsidet orbi,
Fœmineas timuit territa Marte minas.
Hannibalis spolia, & victi monimenta Syphacis,
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes.

Interpretatio.

si fœmina fuit ferenda? ô Roma, accipe triumphum, vitamque Augusto Cæsari diuturnam per eum incolumis precare. Nihilominùs tandem fugisti in errantem fluvium Nili imbellis; tuaque manus receperunt catenas Romanas. Ego conspexi brachia diris serpentibus adesa, corpusque viam mortis abditam attrahere. O Roma, tam magno viro sospite, non fuit tibi metuenda illa fœmina; neque lingua ducis perpetuo vino obruta. Civitas septem collibus sublimis, quæ toti terrarum orbi præest muliebres minas Marte conterrita formidavit. Spolia Annibalis, Syphacisque domiti trophæa, superbiaque Pyrrhi contrita jacent ad nostros pedes.

Annotationes.

51. *Fugisti tamen.*] Cleopatram primam cum 50. navibus arripuisse fugam ex Actiaco prælio, neutram adhuc in partem inclinante victoriâ, narrat Plutarchus. Antonius verò mox eam secutus victoriam reliquit Augusto.

52. *Accepere Romula vincla.*] Non de ipsa Cleopatra dicit hoc Propertius, sed de ejus effigie, quam in triumphum ductam fuisse scribit Dio Lib. 51.

53. *Brachia admorsa colubris.*] Cum perire statuisset Cleopatra dicitur aspidem admovisse *brachio*, cujus morsu, venenoque extincta est. Plutarchus verò refert in Antonio Cleopatræ effigiem ductam in triumphum fuisse cum aspide mordicus inhærente ejus *brachio*: quod etiam Propertius hoc loco testatur se vidisse.

56 *Et ducis assiduo.*] Hoc est, non tibi metuenda fuit Cleopatra, neque lingua ebriosa Antonii imperatoris mero perpetuo calentis,

57. *Septem urbs alta jugis.*] *Septem* collibus, seu montibus insignis civitas est Roma, quam non debuisse timere muliebres Cleopatræ minas, cum bellicosissimos hostium duces, regesque domuerit, ac profligaverit.

59. *Annibalis spolia.*] Prædam, victoriamque de Pœnis, eorumque duce *Annibale* ab Romanis reportatam intelligit.

Monimenta Syphacis.] *Syphax* rex Numidiæ, seu Massylorum, cum auxilium tulisset Carthaginiensibus adversus Romanos, a Scipione victus, ac captus est, à quo in triumphum ductus est, & carcere inclusus ubi vitam finiit, regno Massinissæ concesso. Vide Plutarchum in Scipione. Livium, Polybium, &c.

60. *Et Pyrrhi.*] *Pyrrhus* Epirotarum rex materno genere ab Achille, paterno ab Hercule oriundus, in Italiam à Tarentinis in auxilium contra Ro-

Curtius expletis ſtatuit monimenta lacunis :
At Decius miſſo prælia rupit equo.
Coclitis abſciſſos teſtatur ſemita pontes ,
Et cui cognomen Corvus habere dedit.
Hæc Dii condiderant , hæc Dii quoque mœnia ſervant.
Vix timeat , ſalvo Cæſare , Roma Jovem.
Nunc ubi Scipiadæ claſſes ? ubi ſigna Camilli ?
Aut ubi Pompejâ Boſphora capta manu ?
Leucadius verſas acies memorabit Apollo ,

INTERPRETATIO.

Curtius completo fori *hiatu* ſuæ virtutis *reliquit monimenta* ; *Decius verò incitato* in hoſtes *equo aciem perrupit. Coclitis iter anguſtum revulsos pontes teſtatur , ac etiam ille , cui Corvus cognomen donavit. Iſtam urbem Divi conſtituerunt , eam etiam Divi defendunt & tuentur. Soſpite & incolumi Cæſare ; vix Roma Jovem ipſum reformidet. Ubi modò ſunt Scipiadæ navales exercitus ? ubi Camilli vexilla ? vel ubi ſunt Boſphori Pompeii virtute , armiſque ſubacti ? Leucadius Apollo fractes* Antonii *exercitus celebrabit* ;

ANNOTATIONES.

manos evocatus tandem victus eſt à Manio Curio Dentato , qui de ipſo triumphavit.

61. *Curtius expletis lacunis.*] Livius Lib. 7. ſtatim ferè ab initio narrat, cum medium forum Romanum in immenſam altitudinem vaſto hiatu deſediſſet , neque ea vorago poſſet expleri, reſponſum ab aruſpicibus fuiſſe , compleri non aliter poſſe ſpecum , quàm eâ re , quâ plurimum populus Romanus poſſet. Quod quidem M. *Curtius* de virtute & armis interpretatus , armatus & equo inſidens ſe in eam voraginem immiſit , & ita terræ hiatus eſt expletus.

62. *At Decius.*] *Decii* hiſtoria refertur à Livio Lib. 8. de quo & Seneca Epiſtola 68. ait. In medios hoſtes *Decius* concitato equo irruit. Idem verò factitaſſe patrem & filium *Decios* Cicero dicit in Catone. *Decii* , inquit , *ad voluntariam mortem equos incitaverunt.*

63. *Coclitis.*] Horatius *Cocles* poſitus in ſtatione pontis Sublicii procellam impetumque Hetruſcorum ſuſtinuit , donec pons à tergo ſolveretur. Vide Livium Lib. 2. Dionyſium Hall. Lib. 5. Valer. Maxim. Lib. 3. cap. 2. cap. 15.

64. *Cui cognomen Corvus.*] Valerium *Corvinum* intelligit , qui dictus eſt *Corvinus* à *Corvo* , qui ipſi venit in auxilium , cum ſingulari certamine contra Gallum provocatorem , quem vicit ac interfecit , dimicaret. Vide Livium Lib. 7. Gellium Lib. 9. cap. 11. Plin. Lib. 7. cap. 48.

67. *Scipiadæ claſſes.*] *Scipionem* Africanum ſignificat , qui navalem exercitum , ſeu *claſſem* ſummâ celeritate adornavit , ac in Africam tranſmiſit. De hoc ſcripſit Lucretius :

Scipiades belli fulmen , Carthaginis horror.

Signa Camilli.] Gallos Româ pulſos, quam oppugnaverant , duce Brenno , *Camillus* ad flumen Alliam , ubi in Tiberim influit , prælio adortus profligavit , *ſignaque* , quæ Romanis ademerant, recepit.

68. *Boſphora capta manu Pompeïa.*] *Boſphora* dixit neutro genere ut *Mænala , Iſmara , Taygeta* , &c. Duplex eſt autem *Boſphorus* , *Thracius* nimirum , & *Cimmerius*. Ad utrumque autem gentes devicit *Pompeius* , ut refert cum noſtro Propertio Plutarchus in *Pompeio.*

69. *Leucadius Apollo.*] Celebrabit

Tantùm operis belli sustulit una dies.
At tu sive petes portus, seu navita linques:
Cæsaris in toto sis memor Ionio.

INTERPRETATIO.

tantum opus belli confecit unica dies. Sed tu, qui navigas, sive ibis ad portum, sive portum relinques; memor esto Cæsaris per totum mare Ionium.

ANNOTATIONES.

victoriam Augusti, quam canere debet vatum optimus, ipseque Deus Poëtarum Apollo. *Leucadius* autem dicitur *Apollo* à *Leucade* ad Ambraciam civitatem in Epiro promontorio, ubi templum habuit, quod post victoriam Actiacam ampliasse ac ornasse dicitur Augustus.

Versas acies] Classem Antonii in fugam conversam, sociosque ejus prælio devictos.

70. *Una dies.*] Bellum *unius diei*.

71. *At tu.*] Elegiam hanc clausurus Poëta monet per mare Ionium navigantes, ut memores sint & grati, sive ibunt, sive redibunt, quod Augusti beneficio tutò navigent in eo mari, quod Antonius & Cleopatra armis suis prius infestabant, antequam ab Augusto delerentur.

72. *Ionio.*] De mari *Ionio* jam sæpius suprà diximus.

ELEGIA XII.

AD POSTHUMUM.

DE GALLA.

POSTHUME, plorantem potuisti linquere Gallam?
Miles & Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
Ne faceres Gallâ multa rogante tuâ?
Si fas est, omnes pariter pereatis, avari,
Et quisquis fido prætulit arma toro.
Tu tamen injectâ tectus, vesane, lacernâ
Potabis galeâ fessus Araxis aquam.

INTERPRETATIO.

O Posthume, potuistine Gallam lacrymantem deserere? At miles castra fortia Cæsaris sectari? An tam magni pretii tibi fuit laus Parthi devicti ac exuti, ut Gallam tuam te multum etiam atque etiam orantem relinqueres? Si licet, cuncti vos simul, ô avari, pereatis, ac quicumque etiam fideli conjugio militiam antepofuit. Tu quidem, ô demens, contectus penulâ superinductâ sitiens casside haurires aquam Araxis.

ANNOTATIONES.

1. POsthume.] Quemdam *Posthumum* incusat, qui ductus avaritiâ, pecuniarumque congerendarum causâ conjugem suam Gallam lamentantem reliquerat, ut in expeditionem contrà Parthos Augusti sequeretur exercitum; carpitque hominem, quod pluris faceret pecuniam, quam uxorem, quæ castitate & pudicitiâ Penelopen vincere censebatur.

2. *Signa fortia.*] Castra nimirùm, seu vexilla viris *fortibus* & strenuis, qui militabant, munita.

3. *Tantine.*] *Tantine* facis laudem insignem de Parthis hostibus victis & exutis, ut Gallam tuam enixè te precantem, ne se desereres, non exaudire debueris.

5. *Si fas est.*] Non est penitùs dissimile illud Tibulli:

O quantum est auri pereat, potiusque Smaragdi,
Quam fleat ob nostras ulla puella vias.

7. *Lacerna.*] Vestis militaris genus. Isidorus Orig. Lib. 19. cap. 24. *Lacerna*, inquit, *pallium est fimbriatum, quo quondam soli milites utebantur.* Ut autem apud Romanos turba castrensis, seu militaris ab urbana distingueretur; populum urbanum, *togatum*, Castrenses verò seu militares, *Lacernatos* vocabant.

8. *Araxis aquam.*] *Araxes* fluvius est Armeniæ majoris, qui ex eodem monte oriens, ex quo fluit Euphrates, contrario cursu labitur in occidentem, deinde ad Boream conversus in mare Caspium exoneratur. Militibus porrò familiare est, ut haustam *aquam* galeâ potent. Ut apud Plutarchum legimus, Alexandro quondam sitienti oblatam fuisse more militari *aquam* in galea, quam intactam reddidit dicens: *Si solus bibero, cæteri delebunt.*

Illa quidem intereà famâ tabescet inani,
Hæc tua ne virtus fiet amara tibi:
Neve tuâ Medæ lætentur cæde sagittæ,
Ferreus aurato neu cataphractus equo;
Neve aliquid de te flendum referatur in urna:
Sic redeunt, illis qui cecidêre locis.
Ter quater in casta felix, ô Posthume, Galla,
Moribus his aliâ conjuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
Cum sit luxuriæ Roma magistra suæ?
Sed securus eas, Gallam non munera vincent,
Duritiæque tuæ non erit ulla memor.
Nam quocumque die sanum te fata remittent,
Pendebit collo Galla pudica tuo.
Posthumus alter erit mirandâ conjuge Ulysses;
Non illi longæ tot nocuêre moræ;
Castra decem annorum, & Ciconum mons, Ismara, Calpe,

INTERPRETATIO.

Dum ista tua Galla *ob vanam tuam gloriam contabescet, ne tua hac audacia tibi sit gravis & luctuosa, seu ne Medica tela morte tuâ gaudeant, vel ne ferreus cataphractus aurato suo equo lætetur, vel ne aliquid ex te lugendum in urna reperiatur; sicut ii referuntur, qui illis in regionibus perierunt. O Posthume, septies in Galla tua pudica beate, uxore dignus eras alienâ ab istis tuis moribus. Quid,* putas, *aget fœmina nullo metu* custodum *defensa, cum Roma magistra sit sua luxuria? At quieto tranquilloque sis animo, dona Gallam* tuam *non expugnabunt, nec ipsa recordabitur duritia tua. Qualicumque enim die fata volent te salvum & incolumem redire, Galla* tua *dependebit à collo tuo. Posthumus erit admirabili conjuge Ulysses alter, cui tam diuturna absentia non obfuit, nec bellum decem annorum, neque mons Ciconum, neque Ismara, neq; Calpe,*

ANNOTATIONES.

11. *Medæ sagittæ.*] *Medæ*, hoc est, Parthæ; vel populos illos ejusmodi, ut Persas, Medos, Parthos, Scythas, significat, qui Sagittarii insignes, ac præstantes habebantur.

14. *Illis qui cecidêre locis.*] Qui in acie, & peregrina militia perierunt.

16. *Moribus his.*] Cum tam duro ferreoque sis ingenio, conjuge tui simili dignus eras.

17. *Nullo munita timore.*] Nullis quos *timeat* custodibus cincta; ut dixit Lib. 2. Eleg. 23.

Custodum & nullo septa timore placet.

18. *Luxuriæ Roma magistra.*] Cum *Roma*, ubi tua Galla manet, puellas omnes suas luxum, libidinemque, quasi quædam lena doceat.

22. *Pendebit collo.*] Injiciet *collo* tuo brachia, nec ab amplexu tuo cara conjux divelletur.

23. *Alter Ulysses.*] Non dolis ac fraudibus, sed conjugii felicitate; ut enim apud constantem castæ Penelopes animum non Ulyssi nocuerunt longinqui errores, diuturnæque peregrinationes; ita apud Gallam pudicam conjugem non tibi nocebit in Parthos expeditio, modò salvus incolumisque redeas.

25. *Castra decem annorum.*] Enume-

Exustæque tuæ mox, Polypheme, genæ:
Et Circæ fraudes, lotosque, herbæque tenaces,
Scyllaque, & alternas scissa Charybdis aquas;
Lampeties Ithacis verubus mugisse juvencos,
Paverat hos Phœbo filia Lampetie,
Et thalamum Ææ flentis fugisse puellæ,

Interpretatio.

neque tua palpebra adusta. ô Polypheme, neque Circes doli. neque lotos, graminaque tenacia, neque Scylla, neque Charybdis alternantibus undis scissa. In verubus Ithacis mugiisse boves Lampeties, istos enim Phœbo Patri, paverat Lampetie filia, & reliquisse, torum puellæ Ææa lugentis,

Annotationes.

rat omnes peregrinationes, & causas, quæ rotannorum erroribus Ulyssem detinuerunt, incipitque à bello Trojano, quod decennio integro duravit, in quo & Ulysses egregiam contra Trojanos navavit operam, adeò ut etiam ejus ope & arte singulari, post decem tandem annos, Troja sit expugnata.

Ciconum mons.] *Mons* Ismarus seu Ismara, ad cujus radices urbs ejusdem est nominis *Cicones* habuit incolas seu accolas, qui populi Thraciæ sunt juxta flumen Hebrum siti. Contrà hos Ulysses post expugnatam Trojam bellum gessit, eorumque urbem Ismarum diripuit. De his diximus in notis ad Tibullum Lib. 4. Eleg. 1. ad illud

Nam Ciconumque manus, &c.

Calpe.] Mons est in extrema Hispaniæ ora ad fretum Gaditanum, una nimirùm ex columnis Herculis, de qua diximus Elegia superiori. Ad *Calpen* dicitur Ulysses navigasse, ac in ultimis Hispaniæ finibus Ulyssiponem condidisse.

26. *Exustaque tua mox Polypheme.*] Genæ hic sumuntur pro palpebris; *Genas* enim palpebras veteres dixerunt. Nota est etiam fabula, quâ narratur Ulysses præustâ sude oculum *Polyphemo* effodisse.

27. *Et Circæ fraudes.*] Ad *Circen* venisse, hospitioque ab ea fuisse exceptum Ulyssem suprà vidimus.

Lotosque.] Quomodo etiam Ulysses Lotophagos adierit, suprà diximus in notis ad Tibullum Lib. 4. Eleg. 1.

28. *Scyllaque & Charybdis.*] De Scylla & Charybdi jam dictum est sæpiùs ac pluribus.

29. *Lampeties Ithacis.*] *Lampetie* & Phaëtusa filiæ fuerunt Solis, quæ dicuntur boves olim patris sui custodiisse, ac in Sicilia pavisse. Cùm autem in has oras adnavigasset Ulysses admonitus est à Circe, ut ab armentis Solis abstineret, si in patriam incolumis redire vellet. Ulysses verò jurare coëgit socios, sese boves Solis, ovesque nequaquam esse violaturos; qui tamen, cum annona deficeret, immemores juramenti, Solis boves interfecerunt, verubusque figentes assarunt, quorum carnes in verubus mugisse perhibentur. Ut autem injuriam hanc vindicaret Juppiter, orante Sole, sævam immisit tempestatem in Ulyssis classem, quâ novem diebus continuis jactatus Ulysses vix tandem solus enatavit incolumis.

31. *Thalamum Ææ flentis.*] *Ææa* dicitur ab Homero Circe, ab insula quadam, quam incolebat circa Siciliam, sed ut jam de Circe dixit, nunc de Calypso procul dubio loquitur. Plures enim cum Pomponio Mela dicunt circa fretum Siculum insulam esse *Ææam*, quam inhabitasse Calypso dicitur, quod etiam Hyginus fabula 125. asserit; unde non immeritò Propertius hoc in loco de Calypso loqui censetur, licet Homerus *Ææam Circen*, domumque Calypsûs, non *Ææam*, Sed Ogygiam vocaverit.

Totque hyemis noctes, totque nataſſe dies,
Nigranteſque domos animarum intraſſe ſilentum,
Sirenum ſurdo remige adiſſe lacus,
Et veteres arcus leto renovaſſe procorum,
Erroriſque ſui ſic ſtatuiſſe modum.
Nec fruſtrà; quia caſta domi perſederat uxor.
Vincit Penelopes Lælia Galla fidem.

INTERPRETATIO.

& tot hybernas noctes, totque dies fluctuaviſſe, & obſcuras mutarum animarum domos penetraſſe. ſurdo remige Sirenum vada trajeciſſe, & arcus annoſos renovaviſſe ad mortem procorum. & ita vagæ ſuæ peregrinationi finem impoſuiſſe. Neque incaſſum, quia conjux Penelope ſemper caſta domi permanſerat. Sed Penelopes fidelitatem pudicitiamque Lælia Galla longè ſuperat.

ANNOTATIONES.

Sic habet Pompon. Mela Lib. 2. cap. 7. *Circa Siciliam in freto Siculo eſt Ææa inſula, quam Calypſo habitaſſe dicitur.*

33. *Nigranteſque domos.*] Inferos adiiſſe, maneſque evocaſſe Ulyſſem narrat Homerus Lib 11. Odyſſeæ. Quod idem etiam omninò refert Hygin. Fab. 125. *Ulyſſes*, inquit, *ad inferos deſcendit, ibique invenit Elpenorem ſocium, quem ad Circen reliquerat &c. Ibi & cum matre Anticlia eſt locutus de fine errationis ſuæ. Deinde ad ſuperos reverſus Elpenorem ſepelivit. &c.*

34. *Sirenum ſurdo remige lacus.*] *Sirenum lacus* vocat partem illam Siculi maris, quæ inſulam Anthemoëſſam, *Sirenum* ſedem, ambiebat. Nota *Sirenum* omnibus eſt fabula, quæ tres finguntur fuiſſe fluminis Acheloi ac Calliopes Nymphæ filiæ, quæ cum litus Siculum incolerent, ita mirabi[l]iter canebant, ut nautas omnes prænavigantes ſuavitate cantus in naufragium pellicerent. Ulyſſes autem admonitus à Circe, cùm hæc in loca veniſſet, ſociorum aures obturavit, ne Sirenum cantus exaudirent, ſeque malo navis juſſit alligari, quo periculum tutus evaderet. Vide Homerum Lib. 12. Odyſſ. De *Sirenibus* etiam Ovid Lib. 3. de Arte amandi:

Monſtra maris Sirenes erant, quæ voce canorâ
Quaſlibet admiſſas detinuêre naves.

35. *Et veteres arcus.*] *Arcus* nimirùm, qui viginti annis fuerant inutiles. Cùm enim tandem poſt vicennalem peregrinationem domum rediiſſet Ulyſſes, metuens, ne, ſi ſtatim agnoſceretur, à procis Penelopes uxoris, qui domum ſuam obſidebant, interficeretur, ſub habitu mendici ſtatuit aliquandiu delitеſcere. Poſtquam autem arcum tetendiſſet, quem tamen priùs exploraverat, an eſſet corroſus, aut carioſus, ſagittis excuſſis, Procos Penelopes occidit, uxoremque tandem, agnitus quis eſſet, recepit. Vide Homer. 21. & 22. Lib. Odyſſ.

ELEGIA XIII.

ELEGIA XIII.

DE PUELLARUM AVARITIA.

QUÆRITIS unde avidis nox sit pretiosa puellis,
Et Venere exhaustæ damna querantur opes?
Certè equidem tantis causa est manifesta ruinis;
Luxuriæ nimium libera facta via est.
Inda cavis aurum mittit formica metallis,
Et venit è rubro concha Erycina salo:
Et Tyrus ostrinos præbet Cadmea colores,
Cinnamon & multi pastor odoris Arabs.

INTERPRETATIO.

Rogatis cur nox sit avaris feminis tam pretiosa, profusisque in Venerem sumptibus divitiis exinanitæ familiarum ruinas doleant? Profectò tam magnis damnis in promptu causa est, scilicet ad luxum nequitiamque apertum est totum iter. Indica formica ad nos transmittit aurum ex cavernosis fodinis, conchaque Erycina ad nos etiam mittitur è mari rubro. Tyrus etiam Cadmea suppeditat colores purpureos, pasterque Arabs cinnamomum odoris exquisiti.

ANNOTATIONES.

1. QUæritis.] Puellarum avaritiam insectatur, quæ suos amplexus propter nimium luxum tam magno pretio vendunt amatoribus.

2. *Et Venerem exhaustæ.*] *Opes* nimirùm absumptæ conqueruntur *Venerem* esse perniciem, seu causam ruinæ rei familiaris.

4. *Luxuriæ.*] Nunc mores sinunt nimium liberè grassari *luxuriam.*

Inda formica.] Strabo etiam Lib. 2. & 15. scribit *formicas Indicas* ex terræ cavernis aurum egerere; quod etiam referunt Plin. Lib. 11. cap. 31. Lib. 33. cap. 4. Lib. 37. cap. 10. ac Herodotus in Thalia.

Cavis metallis.] *Metalla* posuit pro fodinis, ut abusivè sumitur, ut cùm dicitur, *ad metalla damnare*, apud Suetonium & Jurisconsultos.

6. *Concha Erycina.*] *Erycina* dicitur *Concha* à Venere, quæ *conchâ* dicitur devecta in Cythera, statim atque è mari spumabundo nata est. Venus enim dicitur *Erycina* ab *Eryce* Siciliæ monte, in quo religiosissimè colebatur.

Mare porrò *rubrum* vocat mare Indicum, seu Orientale & Erythræum, in quo, ut suprà jam dictum est, gemmæ, margaritæ, uniones, & lapides pretiosi colliguntur.

7. *Et Tyros Cadmea.*] *Tyrus* urbs Phœniciæ dicitur *Cadmea*, quia nimirùm *Cadmus* filius fuit Agenoris regis *Tyriorum*. Diximus jam suprà sæpiusque *Tyrum* conchyliis & purpurâ præ cæteris urbibus fuisse nobilem.

8. *Cinnamon pastor Arabs.*] *Pastores* dicit *Arabes*, quòd hi greges, & armenta summas divitias æstimarent; ut etiam legimus in sacris Codicibus Iobum dici magnum & divitem inter Orientales, licet ipsius divitiæ solis gregibus, & armentis constarent.

Cinnamomum autem *Arabes* mittunt, apud quos etiam aromata, ac cujuscumque generis unguenta colligi dicuntur; unde & Tibullus Lib. 2, Eleg. 2.

——— *Urantur odores.*

Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quæque terunt fastus, Icarioti, tuos.
Matrona incedit census induta nepotum,
Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.
Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi:
Aut si qua est, pretio tollitur ipsa mora.
Felix Eois lex funeris una maritis,
Quos aurora suis rubra colorat equis.
Namque ubi mortifero jacta est fax ultima lecto,
Uxorum fusis stat pia turba comis.
Et certamen habent leti, quæ viva sequatur
Conjugium: pudor est non licuisse mori.

INTERPRETATIO.

Ista arma vincunt etiam mulieres castas domi inclusas, & quæ tuam superbiam, ô Icarioti, deterunt. Matrona prodit in publicum amicta fortunis hominum luxu perditorum, exuviasque dedecoris gerit in oculis nostris. Non est ullus petendi pudor, non etiam ullus donandi modus: vel si sit aliqua dilatio, munere statim *redimitur. Eximiâ lege funeris felices sunt Orientales mariti, quos Aurora rosea suis equis infuscat. Simul ac enim ferali rogo supposita est extrema tæda, fida turba adstat uxorum, solutis crinibus, ac inter se contendunt de morte, quænam viva comes eat marito suo. Videtur iis turpe sibi non licuisse perire.*

ANNOTATIONES.

Quos tener è terrâ divite mittit Arabs.

10. *Icarioti.*] *Icariotis* dicitur Penelope, quod filia esset *Icarioti* sive *Icarii*. Dicuntur autem terere fastus Penelopes, quæ famâ pudicitiæ gloriam ejus vincunt ac minuunt in repellendis fortiter ac constanter procis. Gemmæ porrò, aurum, purpura, aliaque id genus ornamenta fœminarum pudicitiam, castitatemque profligare consueverunt.

11. *Census induta nepotum.*] *Nepotes dicuntur*, inquit Festus, *luxuriosæ vitæ homines, quod non magis his rei suæ familiaris cura est, quam iis, quibus pater, avusque vivunt.* Ad mentem Propertii Seneca cap. 17. de vita beata. *Quare uxor tua locupletis domûs censum auribus gerit?*

Ovidius Lib. 3. de Arte amandi:

Quis furor est census corpore ferre suos?

12. *Spolia opprobrii.*] Amantium prædas turpiter partas, dedecorisque & ignominiæ plenas longâ veste seu Syrmate gerunt matronæ. Ovid. Lib. 1. de remed. Amor.

———— Gemmis auroque teguntur
Omnia: pars minima est ipsa puella sui.

15. *Felix Eois lex una maritis.*] *Eoi* sunt Orientales, seu Indi, quibus ea *lex* est singularis, ut uxores quarum vir est mortuus, inter se pugnent, judicioque contendant, quam præ cæteris carissimam habuerit, plurimumque dilexerit; plures enim singulis, viris solent esse nuptæ. Quæ verò victrix evadit, læta, ac exquisito cultu ornata, prosequentibus suis, una cum viro in rogum imponitur, ac crematur. Quæ autem victa est, mœsta discedit. Vide Strabonem Lib. 15.

Hæc autem *lex* à Poëta laudatur, ut gravius, acerbiusque carpat, ac insectetur petulantiam, libidinemque matronarum Romanarum.

Ardent victrices, & flammæ pectora præbent,
Imponunrque suis ora perusta viris.
Hîc genus infidum nuptarum, hîc nulla puella,
Nec fida Evadne, nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata juventus,
Divitiæ quarum messis, & arbor erant.
Illis pompa fuit decussa Cydonia ramo,
Et dare puniceis plena canistra rubis;
Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre
Lilia, virgineos lucida per calathos;
Et portare suis vestitas frondibus uvas,
Aut variam plumæ versicoloris avem.
His tum blanditiis furtiva per antra puellæ
Oscula silvicolis empta dedêre viris,
Atque hinuli pellis totos operibat amantes,
Altaque nativo creverat herba toro.

INTERPRETATIO.

Gaudent victrices, ignibusque ultrò corpus offerunt, & facies suas flammis exustas maritis suis admovent. Apud nos verò Romæ perfida gens uxorum est, nullaque nunc est pudica, qualis Evadne fidelis, aut fida Penelope. O beata juventus olim silvicolarum in pace & otio degens, quorum opes erant fruges & arbor. His pompa fuit mala Cydonia arbore dejecta, calathosque rubis purpureis refertos donare; modo verò violas manu decerpere, modò permixta colligere lilia pellucentia in canistris puellaribus, ac etiam uvas suis adhuc pampinis tectas ferre, volucremque plumâ variis coloris distinctam. Hujusmodi quondam blandimentis in speluncis furtis convenientibus empta ferebant oscula maritis suis silvestribus, uniusque hinnuli cutis totos amantes tegebat, gramenque procerum surrexerat in usum lecti, non arte, sed à natura facti.

ANNOTATIONES.

24. *Nec fida Evadne.*] Nulla est, inquit, nunc puella tam casta, ac talis, qualis fuit *Evadne*, aut *Penelope*, quæ tam integrâ, inviolatâque fide fuerunt in conjuges.

Evadne enim fuit uxor Capanei, quem incredibili amore dilexit. Cum enim audivisset eum apud Thebas fulmine periisse, tota in stuporem diriguit, cumque conjugis celebraretur funus, sese in rogum projecit.

Penelopes verò nota est fabula, quæ tam miris artibus procos per annos viginti delusit.

25. *Felix agrestum.*] Priscorum hominum, qui in silvis & agris olim vitam degebant, felicitatem prædicat.

26. *Messis & arbor erant.*] *Arbor* hic ponitur pro fructibus *arborum*, seu pomis.

27. *Cydonia.*] Cotonia etiam dicuntur Catoni. Illa poma sunt ex eorum genere, quibus amor olim apud priscos conciliabatur. Ut Eleg. ultima Lib. 2.

——— *Pomis mercaris amores.*

Virgil. Eclog. 3.

——— ——— *Silvestri ex arbore lecta*
Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

28. *Puniceis rubis.*] *Rubum* posuit pro fructu seu moris, sive illa sint Idæa, quæ vulgò *Frambosjes*, sive alius generis.

33. *Per antra puellæ.*] Illæ nimirùm agrestes aurei seculi, non auro, non gemmis, non purpurâ, sed pomis suos vendebant amores.

Pinus & incumbens laras circundabat umbras,
Nec fuerat nudas pœna videre Deas.
Corniger Idæi vacuam pastoris in aulam
Dux aries saturas ipse reduxit oves.
Dîque, Deæque omnes, quibus est tutela per agros,
Præbebant vestris verba benigna focis.
Et leporem quicumque venis venaberis, hospes,
Et si forte meo tramite quæris avem.
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,
Sive petas calamo præmia, sive cane.
At nunc desertis cessant sacraria lucis;
Aurum omnes victâ jam pietate colunt.
Aurea nunc verè sunt sæcula, plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.
Auro pulsa fides, auro vænalia jura:
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

INTERPRETATIO.

Pinus quoque jacentibus imminens patulas umbras faciebat, neque erat cuiquam supplicium nudatas Divas aspicere. Cornutus aries sponte suâ pastas oves reducebat in vacuatum Opilionis Idæi stabulum. Divi, Divæque omnes, in quorum fide sunt rura, amicas voces aris vestris præsentes reddebant. Tu verò, ô advena, quisquis es, qui leporem venaberis, & si forsan in mea semita inquiris alitem. Et me Pana de monte sibi socium invita, seu prædam calamo captes, seu canibus. Sed modo desertis lucis vacua sunt, jacentque sacella. Fugatâ nunc pulsâque religione omnes aurum pro Deo habent. Jam adest sæculum verè aureum, maxima religionis cultus auro exhibetur. Auro fugata est fides, auro jus venditur, auro lex obsequitur, & absque lege est pudicitia.

ANNOTATIONES.

38. *Nec fuerat pœna nudas videre Deas.*] Alludit ad fabulam Actæonis, cui pœna fuit irrogata, quod Dianam nudam conspexisset. Vide Ovid. Lib. 3. Metamorph.

39. *Corniger Idæi pastoris.*] *Idæus pastor* dicitur Paris, qui in *Ida* monte juxta Trojam à pastoribus nutritus est, & ipse greges pavit. Unde & Horat. Lib. 1. Od. 16.

Pastor cùm traheret per freta navibus
Idæis Helenam perfidus hospitam.

41. *Quibus est tutela per agros.*] Qui scilicet agros, agrestesque tuentur.

42. *Præbebant verba benigna focis.*] Olim se conspiciendos non modò præsentes ostendebant Dii, sed etiam mortales suo clementer dignabantur alloquio.

45. *Pana.*] Deus pastorum non modò, sed agrorum etiam ac silvarum custos *Pan* se comitem in venatione, & aucupio vocantibus præbere non dedignabatur.

47. *Cessant sacraria.*] *Sacrarium*, inquit Isidorus, *est locus, ubi sacra reponuntur.* Fanum igitur est, seu *sacellum*, seu templum, in quo veteres Deos suos venerabantur. *Cessant* autem *Sacraria* seu templa, quando vacua sunt cultoribus Deorum, ita ut ea solùm occupent araneæ; ut Lib. 2. Eleg. 1. dixit Poëta:

Sed non immeritò velavit aranea fanum.
Et malâ desertos occupat herba Deos.

Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna Dei.
At mons laurigero concussus vertice duras
Gallica Parnassi sparsit in arma nives.
Te scelus accepto Thracis Polymnestoris auro
Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.
Tu quoque, ut auratos gereres, Eriphyla, lacertos,
Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.
Proloquar, atque utinam patriæ sim vanus aruspex:
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.

INTERPRETATIO.

Exusti Gallorum oculi Brennum arguunt impium, dum Pythia regna divi intonsi invadit. Sed mons excusso cacumine lauriferi Parnassi nives gelu duratas effudit in Gallos milites. O Polydore, crimen Polymnestoris Thracis, accepto auro, impiè te excepit hospitio. Tu etiam, ô Eriphyle, ut haberes auro ornata brachia; Amphiaraus terra hiatu absumptis equis interiit. Apertè, quod sentio, dicam. & velim, ut patria mea sim mendax augur. Ipsa Roma nimiùs suis opibus insolens ac ferox corrumpitur.

ANNOTATIONES.

53. *Sacrilegum Brennum.*] Tangit historiam Gallorum, qui, duce *Brenno*, opulentissimæ prædæ cupiditate ducti templum Apollinis Delphici dicuntur invasisse; quam impietatem non ferens Apollo, concusso Parnassi vertice, abruptâque terræ motu montis portione, Gallorum exercitum oppressisse narratur. Dicere tamen hic videtur Propertius, quod & alii non pauci, Gallos nimirùm fulminibus à proposito fuisse dejectos.

54. *Intonsi Pythia regna Dei.*] *Pythia regna* vocat Delphos, ubi colebatur, regnabatque Apollo, qui dicitur *Pythius* à *Pythone* serpente, quem occidit: unde & Delphi etiam *Pytho* dicebatur. *Intonsus* etiam dicitur Apollo, quia semper juvenis; unde & Horat. Lib. 1. Od. 21.

Intonsum pueri dicite Cynthium.

55. *Laurigero vertice.*] *Lauriger* dicitur Parnassus, quia in Parnasso laurus copiosissima nascitur.

57. *Scelus Thracis Polymnestoris.*] Rex fuit Thracum *Polymnestor*. cui initio belli Trojani Priamus incertum communis Martis exitum metuens cum magno auri pondere Polydorum filium tradidit educandum, tanquam veteri amico, hospiti, generoque suo. Sed *Polymnestor*, deletâ Trojâ, exterisque ferè omnibus Priami liberis interfectis, auri potiundi cupiditate adductus Polydorum in littore deambulantem telis aggressus Deorum hominumque frustrà fidem, opemque implorantem occidit, tumuloque injecit, cui posteà myrtus increvit sanguineis guttis promanans. Unde non immeritò dicitur *Polymnestor scelestus*. Eamdem omninò historiam retulit Virgil. Lib. 3. Æneid. ac etiam Ovid. Lib. 12. Metamorph.

59. *Eriphyla.*] Diximus jam suprà quomodo *Eriphyle* Amphiarai uxor maritum prodiderit in bellum Thebanum ire detrectantem, accepto monili pretioso, quod illi dono dedit Argia Polynicis uxor.

60. *Amphiaraus.*] Eriphyles conjux, qui ab uxore proditus cùm ad bellum Thebanum proficisci fuisset compulsus, hiatu terræ dehiscentis absumptus est cum quadrigis, ac nusquam posteà visus est.

61. *Utinam sim vanus aruspex.*] Ne patriæ suæ malè videatur ominari, cupit argui mendacii, nec vera dicere.

Certa loquor, sed nulla fides: neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Mænas habenda malis.
Sola Parin Phrygiæ fatum componere, sola
Fallacem patriæ serpere dixit equum.
Ille furor patriæ fuit utilis, ille parenti:
Experta est veros irrita lingua Deos.

INTERPRETATIO.

Vera dico; verùm non mihi creditur: nec etiam Ilia veridica fuit existimata Pergameis ruinis. Illa tamen una prædixit Paridem Phrygiæ exitium machinari, equumque funestum patriæ illabi. Iste furor Cassandræ *patriæ, patrique erat utilis; linguaque frustra vaticinata veraces Deos experta est.*

ANNOTATIONES.

63. *Ilia quondam.*] Licet, inquit, vera dicam, mihi non creditur; quemadmodum nec olim Cassandræ Trojanæ vera nuntianti creditum est. Cassandra igitur dicitur *Ilia* Mænas ab *Ilio*, hoc est Trojana, & *vates Pergamea*, à *Pergamo* seu *Pergamis*. Troja namque dicta est *Ilium*, & *Pergama*. Cassandra autem vaticinata est fore Paridem Trojæ ruinam ac excidium equumque illum Trojanum patriæ suæ esse funestum ac exitiosum; & tamen tanquam furens Mænas a Trojanis habita est, nemoque illi fidem adhibuit, licet vera prædiceret.

67. *Ille furor utilis.*] Salutaris fuisset patriæ patrique Cassandræ vaticinatio, si ipsi creditum fuisset.

68. *Irrita lingua.*] Dicitur, quæ frustra vaticinatur. *Experta est autem veros Deos* vel quia veram suam vaticinationem *experta* malo suo est Cassandra, quia capta, abducta, & necata est; vel quia cùm suum Apollini concubitum eâ mercede pollicita fuisset, ut vaticinandi peritia sibi daretur, votique compos, cùm non staret promissis, indignatus Deus ei prædixit neminem ipsius vaticiniis fidem habiturum.

ELEGIA XIV.

AD SPARTEN,

DE LUDIS LACONICIS.

MULTA tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ,
Sed mage virginei tot bona gymnasii;
Quod non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros;
Cùm pila veloci fallit per brachia jactu,
Increpat & versi clavis adunca trochi;
Pulverulentaque ad extremas stat fœmina metas,
Et patitur duro vulnera Pancratio;

INTERPRETATIO.

O Sparta, plurimùm admiramur luctæ tuæ leges, longè verò plus tot commoda tuæ palæstræ puellaris, quâ puella nudata luctam exercent cum maribus colluctantibus: quando pila celeri lapsu effugit manus, ac clavis incurva trochi voluti crepitat, & puella pulvere sordida ad ultimas consistit metas, plagasque perpetitur duro Pancratio;

ANNOTATIONES.

1. *MUlta tuæ, Sparte, &c.*] Hanc inscribit Propertius Elegiam *Sparta* civitati Peloponesi nobilissimæ, quæ & Lacedæmon dicta est, Roma namque criminatur consuetudinem, quâ puellæ nonnisi magnâ custodum turbâ stipatæ prodibant in publicum, adeò ut ad eas amatoribus non daretur accessus: Laconicam verò, seu *Spartanam* celebrar *Palæstram*, quâ puellæ nudæ cum viris nudis colluctabantur, ex Lycurgi lege, qui corpora virginum cursibus, luctis, ac reliquis id genus exercitationibus cum maribus, citra infamiam ac probrum, cum una utrisque esset natura, voluit exerceri.

Sparte, vocativus est, pro *Sparta*; nomina namque Græca in *a* sæpiùs etiam efferuntur in *e*.

Palæstra.] Testatur Thucydides primos omnium Lacedæmonios in gymnasio corpora nudasse, oleoque ad *Palæstram* perunxisse.

2. *Bona gymnasii.*] *Gymnasia* apud antiquos fuerant exercitiorum loca, multò ante inventa, ut ait Cicero, quam in iis Philosophi garrire cœperunt. Hoc autem in loco *Gymnasium* est locus, in quo nudæ puellæ Laconicæ, seu Spartanæ exercebantur. Unde & Ovidius Epistol. Paridis ad Helenam:

More tuæ gentis nitidâ dum nuda Palæstrâ
Ludis, & es nudis mixta puella viris.

Cùm autem illam Lycurgi legem aliquando improbaret aliquis; respondit Lycurgus se noluisse fœminas viris inferiores.

7. *Pulverulentaque.*] Cursum significat. Diceret verò Horat.

Non indecoro pulvere sordida.

8. *Pancratio.*] *Pancration* seu *Pancratium* certaminis genus est, quo totis corporis viribus certatur. Nonnulli volunt esse *Pentathlon*, quod Festus vocat *Quinquertium*, quia nimi-

Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris,
Missile nunc disci pondus in orbe rotat;
Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,
Virgineumque cavo protegit ære caput.
Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodoontæis turba lavatur aquis:
Et modo Taygeti crines aspersa pruinâ
Sectatur patrios per juga longa canes.
Qualis & Eurotæ pollux & Castor arenis,
Hic victor pugnis, ille futurus equis.
Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec fratres erubuisse Deos.

INTERPRETATIO.

modo levis ad castum innectit latas manus. modò in sublime gyrum torquet onus disci vibrati: in orbem equos impellit. formosa lateri ensem accommodat, ac puellarem verticem æneâ galeâ munit. Cujusmodi est Amazonidum agmen bellicosum, quando nudis papillis Thermodoonte flumine tingitur. Nunc etiam Taygeti pruinâ capillos perfusa canes patrios sequitur per celsa montium cacumina: Quales fuerunt Castor & Pollux in ripa sabulosa Eurota, iste victor futurus pugnis, ille verò equis. Cum quibus dicitur Helena nudatis mammis pugnasse, neque germanos suos divos erubuisse.

ANNOTATIONES.

rûm quinque modis certabatur, cæstu, cursu, saltu, disco, luctâ.

9. *Nunc ligat ad Castum.*] *Castus* significat pugilum arma, quæ ex loris plumbo insuto ac ferro conficiebantur. Quam pugnæ speciem eleganter descripsit Virgil. Æneid. Lib. 5.

10. *Missile disci.*] *Discus* ex plumbo seu ferro fuit orbis latus, & ponderosus, quem in sublime torquentes jaciebant.

11. *Gyrum pulsat equis.*] *Equestrem* significat exercitationem, cujus laus est, ut equus in *gyrum* flectatur.

13. *Amazonidum.*] *Amazones* fuerunt mulieres bellicosæ, quæ Scythiæ maximam partem ad Tanaim amnem, fluviumque Thermodoontem incoluisse dicuntur.

14. *Thermodoontais.*] *Thermodoon* fluvius fuit Amazonum, seu Amazonidum, quem alii in Scythia, alii in Cappadocia, alii in Thracia collocant. Plin. in descriptione Cappadociæ Lib. 6. cap. 3. *Thermodoon fluvius prater radices Amazonii montis lapsus, & oppidum ejusdem nominis.* Virg. etiam Lib. 11. Æneid.

Qualis Threicia cum flumina Thermodoontis
Pulsant, & pictis bellantur Amazones armis.

Ubi Servius ait Amazones digressas à Tanai fluvio in Thraciam ad flumen *Thermodoonta* se contulisse.

15. *Taygeti pruina.*] Mons fuit *Taygetus* Laconiæ, ad cujus radices sita fuit *Sparta* civitas nobilissima. Narrat Pausanias in Laconicis in qualibet montis *Taygeti* parte loca fuisse venationi commodissima ob caprarum, aprorum, cervorum, leporum, ursorum &c. copiam.

17. *Qualis & Eurota.*] *Eurotas* fluvius est Laconiæ, qui Spartanam civitatem seu Lacedæmonem præterlabitur.

Pollux & Castor.] *Pollux & Castor* fratres gemini fuerunt Helenæ, qui cum ipsa ad Eurotæ ripas ludos gymnicos exercuisse dicuntur. Vocatur autem *Pollux* ab Homero fortis & præstans pugil, *Castor* verò domitor equorum.

Lex igitur

Lex igitur Spartana vetat secedere amantes,
Et licet in triviis ad latus esse suæ.
Nec timor, aut ulla est clausæ tutela puellæ,
Nec gravis austeri pœna cavenda viri.
Nullo præmisso, de rebus tute loquaris
Ipse tuis, longæ nulla repulsa moræ.
Non Tyriæ vestes errantia lumina fallunt,
Est neque odoratæ cura molesta domi.
At nostra ingenti vadit circundata turbâ,
Nec digitum angustâ est inseruisse viâ.
Nec quæ sint facies, nec quæ sint verba rogandi,
Invenias: cœcum versat amator iter.
Quod si jura fores, pugnasque imitata Laconum,
Carior hoc esses tu mihi, Roma, bono.

INTERPRETATIO.

Jus igitur Spartanum prohibet amantes discedere, atque etiam jubet in compitis adhærere lateri suæ amicæ. *Neque metus est ullus, vel custodia fœmina inclusa, neque atrox supplicium rigidi mariti timendum est. Nemine priùs misso internuntio, tu ipse res tuas narrare possis* amicæ tuæ, *nulla repulsa est diuturna procrastinationis. Tyria vestimenta non perstringunt oculorum deceptorum aciem, neque est ista sollicitudo incommoda domi suaveolentis. Sed mea puel*la *incedit magno custodum grege cincta, neque licet eam digito contigisse arctâ viâ. Neque possis explorare quinam sint vultus, neque adinvenire verba rogandi; occultam per viam & ignotam errat amans.* O *Roma, si tu Laconum leges & palæstras secuta fuisses, tu mihi illo uno commodo locu omnibus esses dilectior, ac jucundior.*

ANNOTATIONES.

21. *Lex igitur Spartana.*] *Legem* laudat *Spartanam*, quæ non prohibebat amicarum luctationibus amantes interesse.

27. *Non Tyria vestes.*] Avaritiam, luxumque carpit mulierum Romanarum, quarum pudicitia castitasque gemmis, pretiosis vestibus, muneribusque expugnabatur. *Vestes* potiò *Tyria* sunt *vestes* purpureæ, quia nimirùm apud *Tyrum* Phæniciæ civitatem optima purpura tingebatur, ut jam sæpiùs diximus.

33. *Quod si jura fores.*] Sermonem convertit ad urbem Romam, quam hoc uno sibi quâcumque regione cariorem fore dicit, si Lacænas pugnas, exercitationesque puellares imitaretur.

ELEGIA XV.

AD CYNTHIAM.

DE LYCINNA.

SIC ego non ullos jam norim in amore tumultus;
Nec veniat ſine te nox vigilanda mihi.
Ut mihi prætextæ pudor eſt velatus amictu,
Et data libertas noſcere amoris iter.
Illa rudes animos per noctes conſcia primas
Imbuit, heu nullis capta Lycinna datis.
Tertius, haud multò minus eſt, cùm ducitur annus;
Vix memini nobis verba coiſſe decem.
Cuncta tuus ſepelivit amor: nec fœmina poſt te
Ulla dedit collo dulcia vincla meo.
Teſtis erit Dirce tam vero crimine ſæva

INTERPRETATIO.

ITa ego experiar aliquas in amore turbas ac rixas, neque mihi pervigilanda nox eveniat abſque te, ô Cynthia. *Cùm mihi pudor tectus eſt virili togâ, facta etiam poteſtas eſt ſciendi viam amoris. Eheu! iſta Lycinna quondam nullis expugnata muneribus tyronem me perita docuit primis noctibus amoris rudimenta. Non multò minùs quam tertius annus jam vertitur, ex quo non recordor inter nos verba decem conveniſſe. Amor tuus iſta abſtulit omnia, nec ulla poſt te puella blandas injecit catenas mea cervici. Dirce ſtupro tam aſpera teſtabitur*

ANNOTATIONES

1. *SIc ego non ullos.*] Cynthiæ ſuæ ſeſe Lycinnam adamaſſe, cùm adhuc rudis iter amoris ignoraret, ſignificat; ſed ſe, poſtquam ſemel Cynthiam amare incepit, nec Lycinnæ, nec ullius alterius puellæ uſum eſſe conſuetudine proteſtatur; Dirceſque, & Antiopæ, quarum fabulam proſequitur, exemplo conatur Cynthiam in Lycinnam propter pellicatus ſuſpicionem ſævire cupientem emollire, dicitque tandem ad rogum uſque ſe conſtanter ac unicè Cynthiam amaturum.

3. *Prætexta.*] *Prætexta* toga veſtimenti genus fuit, quo pueri Romanorum ingenui ad annum ætatis 17. utebantur. Dicta eſt illa veſtis *prætexta*, quia nimirùm oram ſeu limbum purpurà *prætextum* & ornatum habebat. *Prætextâ* etiam utebantur non modò pueri, ſed etiam puellæ ingenuæ, Magiſtratus, Sacerdotes, magiſtri vicorum. Pueri porrò depoſitâ *prætextâ* anno ætatis 17. vel ut aliis placet, 15. virilem togam libertoremque induebant, pudoremque puerilem, quem præ ſe ferebat *Prætexta*, ſicut & ætatis rudimenta deponebant; unde dicit Propertius ſeſe ſtatim atque togam virilem induiſſet, ac pudorem relictâ *prætextâ* depoſuiſſet, dataque ſibi liberior poteſtas vivendi fuiſſet, à Lycinna rudem adhuc tyronem amoris iter edoctum fuiſſe.

11. *Teſtis erit Dirce.*] Id eſt, ſi in Lycinnam, ut cupis, ſævieris, teſtimonium exhibebis, quo credamus vera eſſe, quæ de ſævitia *Dirces* in Antio-

Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.
Ah quoties pulchros ussit regina capillos,
Molliaque immites fixit in ora manus!
Ah quoties famulam pensis oneravit iniquis,
Et caput in dura ponere jussit humo!
Sæpè illam immundis passa est habitare tenebris;
Vilem jejunæ sæpe negavit aquam.
Juppiter Antiopæ nusquam succurris habenti
Tot mala? corrumpit dura catena manus.
Si Deus es, tibi turpe tuam servire puellam.
Invocet Antiope quem nisi vincta Jovem?
Sola tamen, quæcumque aderant in corpore vires,

INTERPRETATIO.

Antiopen concubuisse cum Lyco suo. *Heu! quam sæpè formosos crines* Antiopes *exussit regina Dirce, ac teneram faciem sævis unguibus appetiit! Heu, quam frequenter captivam* Dirce *pensis injustis oppressit, ac coëgit caput reclinare in dura terra. Frequenter ipsam manere jussit in sordidis ac obscuris tenebris: frequenter etiam ipsi sitis fameque enecta aquam vilem denegavit.* O Juppiter, *tu non subvenis Antiopa tot calamitates patienti?* Ejus tamen formosas *manus ferrea vincula violant. Si tu Deus es, tibi sanè probrosum est captivam esse tuam amicam. Cujus opem imploret Antiopa captiva, nisi Jovis? Illa nihilominùs, quamvis sola, catenas regio jussu sibi injectas ambabus ma-*

ANNOTATIONES.

pen narrantur. *Dirce* porrò fuit Lyci Thebarum regis uxor, quam ille, repudiatâ Antiopâ, conjugem duxerat; quæ cùm Antiopen gravidam esse intellexisset (nam Antiopa post repudium à Jove propter formositatem compressa fuerat,) suspicata virum suum Lycum clam cum illa consuescere, in vincula eam conjecit. Verùm instante jam partus tempore, Jovis miseratione, vinculis soluta in montem Cithæronem confugit, ubi gemellos peperit Amphionem & Zethum, qui à Pastoribus educati; postquam matrem agnovissent, illius injuriam ulciscentes *Dircen* ad taurum indomitum crinibus religatam ac discerptam occiderunt.

12. *Nycteos Antiopen.*] *Antiopa* seu *Antiope* filia fuit *Nyctei* & uxor Lyci Thebarum regis, quæ cùm per dolum ab Epopeo Sicyoniorum rege fuisset stuprata, à viro suo Lyco repudiata est. Hanc autem viduam Juppiter compressit, gravidamque effecit; quod cum Dirce, quam Lycus post ejectam *Antiopen* secundis nuptiis superduxerat uxorem, animadverteret, suspicata Lycum virum suum clam cum *Antiopa* concubuisse, famulis imperavit, ut tenebricoso carcere eam includerent. Sed instante partus tempore, vinculis liberata *Antiopa* in montem Cithæronem confugit, ubi Zethum & Amphionem gemellos peperit, qui à pastoribus educati, certioresque facti matrem suam à Dirce, quomodo dictum est, fuisse cruciatam, Dircen tauro indomito alligatam diris cruciatibus laniarunt, donec ipsius Bacchus misertus eam in fontem sui nominis, qui Dircæus est appellatus, commutavit.

Lyco.] *Lycus* rex fuit Thebarum Nyctei frater, qui secundas nuptias cum Dirce contraxit, postquam Antiopen repudiavisset, quique, quòd Antiopen Dircæ cruciandam tradidisset, à Mercurio jussus est Amphioni regnum concedere.

Regales manicas rupit utrâque manu.
Inde Cithæronis timido pede currit in arces.
Nox erat, & sparso triste cubile gelu.
Sæpe vago Asopi sonitu permota fluentis
Credebat dominæ pone venire pedes.
Et durum Zethum, & lacrymis Amphiona mollem
Experta est stabulis mater abacta suis.
Ac veluti magnos cùm ponunt æquora motus,
Eurus in adversos desinit ire Notos;

INTERPRETATIO.

nibus disrupit, quantulacumque adessent vires in ipsius attrito corpore. Exinde pavido cursu properat in Cithæronis juga, Nox erat, durusque ac frigidus lectus gelu tristi rigens montis solum. *Frequenter murmure confuso Asopi labentis perterrita putabat à tergo sibi imminere pedes regina* Dirces. Ipsa licet *mater exclusa stabulis Zethum sævum, Amphionem verò flatibus suis facilem sensit. Et quemadmodum ubi mare sævos tumultus deponit, Eurusque cessat contrà Notos adversantes præliari, tunc se-*

ANNOTATIONES.

25. *Inde Cithæronis*] *Arces Cithæronis* posuit pro jugis, seu culmine, & vertice, ut dixit Virgil. Lib. 4. Georg. *Rhodopeia arces*, pro montibus Rhodopeis.

Cithæron porrò mons est Bœotiæ Baccho sacer, Thebis vicinus, cujus radices Asopus flumen alluit.

27. *Vago Asopi sonitu.*] *Asopus* est fluvius Bœotiæ Thebas, Plaтæas, & Tanagram præterfluens, radicesque Cithæronis montis alluens, ut scribit Strabo Lib. 8. ubi etiam ejusdem nominis plures fluvios variis in regionibus enumerat. Est enim præter hunc *Asopum* in Bœotia, alius *Asopus* in Asia, qui simul unà cum Lyco flumine Laodiceam urbem præterfluit. Alius est & *Asopus* in Peloponeso fluvius è Chiomio monte nascens, & in sinum Corinthiacum influens. Alius etiam *Asopus* Achaiam irrigans in Epidaurum fluit. *Asopus* etiam est alius Macedoniæ fluvius Heracleam alluens. Est & *Asopus* fluvius in Insula Paro.

29. *Et durum Zethum.*] *Zethus & Amphion* filii fuerunt Antiopes gemelli, quos è concubitu Jovis genuit, quique in Cithærone monte cum fuissent expositi, nutriti sunt à Pastoribus. Durus autem dicitur *Zethus*, quia nimiùm dissimilis fuit moribus fratri suo *Amphioni*, qui mollis fuit, comis, humanus, ac mitis. Fuit enim *Amphion* Citharœdus; *Zethus* verò pastor, agrestis, & severus. Dicitur etiam *durus Zethus*, quia cum Antiope mater ad ipsum sæpiùs confugisset, eam non agnoscens abegit, stabulisque suis eam recipere nolens exclusit.

Lacrymis Amphiona mollem.] *Mollis* dicitur *Amphion*, quia mitis ac humanus, vel etiam quia matris Antiopes *lacrymis*, licet matrem eam esse suam nesciret, movebatur, cùm ad ipsum Dircen fugiens adiisset.

32. *Eurus in adversos Notos.*] Ventus est *Eurus* ab ortu spirans, ut testatur Ovidius Lib 1. Metamorph. statim ferè ab initio:

Eurus ad Auroram, Nabathæaque regna recessit.

Notus autem ventus est qui flat à meridie, alioque nomine dicitur Auster. *Adversos* autem *Notos* posuit pro diversos, *Eurus* enim & *Notus* non sunt contrarii, sed potiùs affines, unde & *Euronotus*.

Littore si tacito sonitus rarescit arenæ :
Sic cadit inflexo lapsa puella genu.
Sera tamen pietas, natis est cognitus error.
Digne Jovis natos qui tueare senex,
Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis.
Antiope, cognosce Jovem; tibi gloria, Dirce
Ducitur in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur Zeti, victorque canebat
Pæana Amphion rupe, Aracynthe, tuâ.
At tu non meritam parcas vexare Lycinnam;
Nescit vestra ruens ira referre pedem.

INTERPRETATIO.

datis fluctibus littoris murmur tandem desinit, ita collapso poplite defessa concidit Antiope. *Attamen pietas*, licet *tardiùs*, adfuit, *filiisque tandem error* suus *est agnitus*. O *Senex digne, qui Jovis filios educes ac custodias, tu restituis filiis parentem; filiique Dircen ad collum tauri indomiti raptandam alligarunt*. Tu verò, *ô Antiope, Jovem agnosce, in ultionem injuria tua Dirce rapitur pluribus in locis funus habitura. Zethi prata Dirces cruore inficiuntur. & Amphion victor Paana canebat è saxis tuis, ô Aracynthe. Sed tu innocentem desinas Lycinnam cruciare; iracundia vestra praceps & impotens non potest revocare gradum.*

ANNOTATIONES.

35. *Sera tamen pietas.*] Quia Zethus & Amphion serò matrem Antiopen agnoscentes, postquam tandem a pastoribus edocti sunt, quod ipsius essent filii, injuriam ipsi ab Dirce illatam ulti sunt.

36. *Senex.*] Pastorem alloquitur, qui filios Jovis Zethum & Amphionem expositos sustulit, sublatos educavit, & quo docente, matrem Antiopen agnoverunt.

41. *Paana Amphion.*] *Paan* propriè dicitur hymnus in laudem Apollinis; sed & abusivè sumitur pro cantu in laudem cujuscumque numinis, ut testatur Servius in Lib. 3. Æneid. Cecinit ergo *Paana Amphion*, hoc est, carmen modulatus est gaudii lætitiæque plenum.

Aracynthe.] *Aracynthus* mons est Bœotiæ mari vicinus, à quo & dicta est Minerva *Aracynthis*, ut testis est Stephanus de urbibus, cum Servio in illud Virgil. Eclog 2.

Amphion Dircaus in Actao Aracyntho.

Plin. Lib. 4. cap. 17. *Aracynthum* etiam montem Acarnaniæ esse dicit; nihil verò obest, quominùs duo sint nominis ejusdem variis etiam in regionibus montes.

44. *Vestra ira ruens.*] Vos mulieres iratæ, nescitis sævitiæ ac furoris impetum moderari. Iræ muliebris impotentiam eleganter admodum expressit Ovid. Lib. 2 de Arte amandi.

Sed neque fulvus aper mediâ tam sævus in ira est,
Fulmineo rapidos dum rotat ore canes,
Nec lea, cum catulis lactentibus ubera prabet,
Nec brevis ignaro vipera læsa pede,
Fæmina quam socii deprensâ pellice lecti
Ardet, & in vultu pignora mentis habet.

Fabula nulla tuas de nobis concitet aures;
Te solam & lignis funeris ustus amem.

INTERPRETATIO.

Nullus populi rumor tuas auriculas de me commoveat, unam te etiam rogi ignibus crematus amabo.

ANNOTATIO.

In ferrum, flammasque ruit, positoque decore
Fertur, ut Aonii cornibus icta Dei.

45. *Fabula nulla.*] Nullo, inquit, vano plebis rumore, fictoque crimine movearis, neque persuasum habeas, quod à me Lycinna adametur; cùm etiam post mortem ego sim te solam constanter amaturus.



ELEGIA XVI.

DE IMPERIO AMICÆ.

NOX media, & dominæ mihi venit epiſtola noſtræ,
Tybure me miſsâ juſſit adeſſe morâ,
Candida quà geminas oſtendunt culmina turres,
Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.
Quid faciam? obductis committam mene tenebris?
Ut timeam audaces in mea membra manus?
At ſi hæc diſtulero noſtro mandata timore,
Nocturno fletus ſævior hoſte mihi.
Peccâram ſemel, & totum ſum pulſus in annum;
In me manſuetas non manet illa manus.

INTERPRETATIO.

MEdia nox erat, cum allata ad me littera Cynthiæ hera mea præceperunt ad ipſam venire Tibur omiſſâ omni cunctatione, quâ parte candentia cacumina duas turres monſtrant, undaque Aniena devolvitur in ſtagna latè patentia. Quid agam? An me ipſum credam tenebris circumfuſis, ita ut fortes in me latronum *vires reformident? Sed ſi iſtis Cynthia juſſis moram attulero la*tronum *metu, dolor erit mihi crudelior latronibus nocturnis. Si quando namque accidat, ut ſemel peccem, ſtatim ab amica in annum integrum excludor; ipſa non habet erga me mites manus.*

ANNOTATIONES.

1. *NOx media*, &c.] Anceps, ac dubius Propertius, an ſit eundum Tibur, quò per literas à Cynthia de media nocte ſibi redditas vocabatur, tandem nullum non ſibi ſubeundum eſſe pro amica periculum ſtatuit, cùm maximè amatores ubique tuti ſint, & inviolabiles. Sed pulcrum etiam eſſe dicit in amore mori, cupitque à ſua Cynthia in loco devio & infrequenti, non circa viam publicam, ut mos erat Romanorum, ſepeliri.

2. *Tibure.*] *Tibur*, hodie *Tiveli*, civitas olim fuit Sabinorum in Latio 16. ab urbe lapide, crebris fontibus irrigua, ſingulari aëris temperie commendata. *Tibure* ſepulta eſt Cynthia, ut videbimus Eleg. 7. Lib. 4. De *Tibure* vide notas noſtras in Eleg. 32. Lib. 2. & Statium Lib. 1. Silvar. in Tiburtino Manlii.

3. *Candida qua geminas*, &c.] *Arcem* Tiburtinam geminis turribus eminentem ſignificat. De qua Juvenal. Satyr. 14.

——— *Summâ nunc Tiburis arce.*

Virg. Lib. 7. Æneid.

Tela novant Atina potens, Tiburque ſuperbum.

4 *Lympha Aniena.*] *Anio ſive Anien* nobilis Italiæ fluvius, qui naſcens è montibus Trebianorum agrum oppidumque irrigat Tiburtinum, ubi è ſublimi in Vallem ſubjectam delabens efficit cataractam, magnaque ſtagna, ac deinde per plana fluens tres lacus ſecum defert in Tiberim. Vulgò dicitur *Teverone*.

10. *Manſuetas non habet illa manus.*] Non ſolet mihi ignoſcere, ſed ſævit in me *manibus*; ut Eleg. 8. hujus Libri:

——— ——— ——— *In me*
Projicis inſanâ cymbia plena manu.

Nec tamen est quisquam, sacros qui lædat amantes,
  Scyronis mediâ si licet ire viâ.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris,
  Nemo adeò ut noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat iter; demonstrant astra salebras:
  Ipse Amor accensas percutit ante faces.
Sæva canum rabies morsus avertit hiantes,
  Huic generi quovis tempore tuta via est.
Sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis
  Improbus? exclusis fit comes ipsa Venus.
Quod si certa meos sequerentur funera casus,
  Talis mors pretio vel sit emenda mihi.
Afferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum

INTERPRETATIO.

Attamen nullus est, qui sacratos amatores violet: sic itaque tutò datur ire per medium etiam *Scyronis iter. Quicumque amator fuerit, quamvis per Scythicas regiones iter faciat, nullus esse cupiet tam immanis & ferus, ut eum lædat. Luna facilem præbet viam, sidera salebras ostendunt. Amor* etiam *ipse tædas præferens agitat, rabies canum morsus rictibus deductis hiulcos alio convertit* ab amatoribus. *Isti hominum genti quolibet tempore iter est securum, ac tutum. Quis namque est tam perditus & crudelis, ut tam exiguo amatoris cruore velit contaminari? Repulsos ab amica comitatur ipsa Venus, ac tuetur. Quod si certum exitium meis vix nocturnæ periculis contingeret, hujusmodi interitus vel sit mihi etiam pretio mercandus. Ubicumque moriar,* Cynthia *afferet mihi aromata, ac meum tumulum floribus decorabit*

ANNOTATIONES.

12. *Scyronis ire via.*] Significat Propertius amatores ubique esse tutos ac inviolabiles, etiamsi iter facerent per media saxa *Scyronia*, quæ sunt in Attica regione. *Scyron* enim fuit olim latro famosus viam obsidens, quæ ducit ab Isthmo Corinthiaco in Atticam & Megaram, ubi rupes angustæ, quæ ab eo *Scyronia* & *Scyronides* petræ dictæ sunt, ubi dicitur *Scyron* viatores spoliatos in mare præcipitasse. Latronem hunc *Scyronem* Theseus interemisse narrat Plutarchus in Theseo.

15. *Luna ministrat iter.*] Lucis suæ ministerio *Luna*, Sideraque viam eunti præbent facilem, locaque aspera demonstrant.

16. *Ipse Amor.*] *Ipse* Cupido tutelaris Deus amantium tanquam facularius minister faces præfert ac concutit, amatori nocturnum iter facienti.

23. *Afferet unguenta mihi.*] Morem tangit Romanorum, qui mortuorum ungere corpora solebant, ut testatur etiam Virgilius Lib. 6. Æneid.

——— Corpusque lavant frigentis & ungunt.

Unde etiam illud Martial. in Fabullum Epigr. 12 Lib. 3.

Qui non cœnat, & ungitur, Fabulle;
Hic verè mihi mortuus videtur.

Duplicem igitur ad usum afferri cupit Propertius unguenta, tum ad ungendum corpus, tum ad spargendum rogum ac tumulum. Diximus enim suprà Lib. 2. Eleg. 13. consuevisse Romanos in rogum corporum cremandorum odores, unguenta floresque injicere, quod etiam testatur Tibullus Lib. 1. Eleg. 3.

Non feret Assyrios cineri qui dedat odores.

Ornabit

Ornabit custos ad mea busta sedens.
Dii faciant, mea ne terrâ locet ossa frequenti,
Quâ facit assiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
Me tegat arboreâ devia terra comâ.
Aut humer ignotæ cumulis vallatus arenæ.
Non juvat in media nomen habere viâ.

Interpretatio.

custos assidens meo rege. Faxint Superi, ne corpus meum componat in loco celebri, per quem vulgus assidue itinere commeat. Ita post obitum amatorum sepulcra diffamantur. Me contegat humus infrequens arboreâ comâ; vel sepeliar tectus arena in ignoto littore. Nihil enim *prodest nomen sepulcro inscriptum circa viam publicam celebrari.*

Annotationes.

24. *Ornabit sepulcrum sertis.*] Solebant etiam mortuorum tumulos exornare. Unde Æneid. Lib. 5. Anchisæ patri parentans Æneas:

Purpureosque jacit flores, ac talia fatur.

Tibullus noster Lib. 2. Eleg. ultima.

Illa mihi sancta est, illius dona sepulcro
Et madefacta meis serta feram lacrymis.

28. *Devia terra.*] Inter frondes & arbores extrà viam publicam in loco secreto ac devio vult sepeliri Propertius, ut jam Lib. 2. Eleg. 13. dixit:

Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quæ tegat extincti funeris umbra locum.

30. *Nomen habere via.*] Solebant veteres juxta viam publicam mortuis erigere monumenta; ut testatur cum Propertio nostro Varro Lib. 5. de ling. Lat. *Monimenta*, inquit, *à monendo, & ideò secundum viam, ut prætereuntes admoneant, & se fuisse, & illos esse mortales.*

Solebant etiam mortuorum incidi *nomina* sepulcris, ut diximus Eleg. 1. Lib. 2. ad illud:

Et breve in exiguo marmore nomen ero.

ELEGIA XVII.

AD BACCHUM.

NUNC, ô Bacche, tuis humiles advolvimur aris,
  Da mihi pacato vela secunda, pater.
Tu potes insanæ Veneris compescere fastus,
  Curarumque tuo fit medicina mero.
Per te junguntur, per te solvuntur amantes.
  Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo.
Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
  Lyncibus in cœlum vecta Ariadna tuis.

INTERPRETATIO.

Nos jam, ô Bacche, supplices prosternimur ad altaria tua: ô Pater, concede mihi tranquilla felicia lintea. Tu vales coërcere furentis Veneris superbiam, & vinum à te inventum remedium est ægritudinum. Per te sociantur, per te etiam divelluntur amici. Tu curam aufer, ô Bacche, ex animo meo. Namque etiam te non esse amoris imperitum testis est Ariadne inter sidera per tuos lyncas in cœlum translata.

ANNOTATIONES.

1. *NUnc, ô Bacche.*] Ad sollicitudines amovendas, curasque amoris à se propellendas suppetias implorat auxiliumque petit à Baccho, cujus se laudes decantaturum pollicetur.

Bacchus porrò, qui & Liber pater, Bromius, Lenæus, Lyæus, & Dionysius dictus est, fuit Jovis ex Semele filius, vini inventor, unde & pro ipso vino sæpiùs sumi consuevit.

2. *Vela secunda.*] Metaphoricè Liberi patris favorem ac auxilium implorat. Eodem ferè sensu Virgilius Lib. 1. Georgic.

Da facilem cursum, atque audacibus annue cœptis.

5. *Per te junguntur. &c.*] Quia nimirùm ut ait Ovid. Lib. 2. de remed. Amor.

Vina parant animos Veneri, nisi plurima sumas.

Sed sæpè etiam dissidia, & rixæ ex vino, unde & Propert. Lib. 2. Eleg. ultimâ.

Pellnit ille Deus cognatos, solvit amicos.

8. *Lyncibus in cœlum vecta Ariadna.*] *Lynces* sicut & Tigres, & Pantheræ, feræ sunt Baccho dicatæ, ut etiam cum Propertio testatur Ovidius Lib. 3. Metamorphos.

Quem circa tigres, simulacraque inania Lyncum.

Idemque Lib. 4 Metamorphos. ferè statim ab initio:

——— Tu bijugum pictis insignia frænis
Colla premis Lyncum, Bacche. Satyrique sequuntur.

Hoc autem loco Propertius significat ipsam etiam *Ariadnen* in cœlum fuisse devectam, quanquam cæteri Scriptores id de ejus tantùm corona scribunt, Catullus in comâ Berenices:

Scilicet in vario ne solum limite cœli
  Ex Ariadnæis aurea temporibus
Fixa corona foret.

Ovidius Lib. 5. Fastor.

Bacchus amat flores; Baccho placuisse coronam
  Ex Ariadnee sidere nosse potes.

Vide etiam Ovidium Lib. 8. Metam.

Hoc mihi, quòd veteres custodit in ossibus ignes,
Funera sanabunt vel tua vina malum.
Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes,
Spesque timorque animum versat utroque modo.
Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis
Accersitus erit somnus in ossa mea:
Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles,
Quos carpant nullæ, me vigilante, feræ.
Dummodo purpureo spument mihi dolia musto,
Et nova pressantes inquinet uva pedes.
Quod superest vitæ, per te, & tua cornua, vivam;
Virtutisque tuæ, Bacche, Poëta ferar.
Dicam ego maternos Ætnæo fulmine partus,

INTERPRETATIO.

Tuum saltem merum, quod more est amoris, medebitur isti maximè malo, quod inveteratos mihi servat in medullis amores. Jugiter namque nox vino vacua cruciat amicâ carentes amatores, & spes & metus mentes eorum agitat in utramque partem. O Bacche, quod si tuo munere, dum mihi vino caput incaluerit, advocatus venerit sopor in corpus meum, ego tibi vineas plantabo, & colles ordine conseram, quos nulla pecudes, me diligenter custodiente, detondeant. Dum mihi musto rubro cadi spumescant, ac uva recens inficiat plantas calcantes. Quod mihi reliquum est vitæ traducam per te, ô Bacche, tuaque cornua, tuæque præclaræ laudis, nominis, ac beneficentiæ prædicabor. Ipse ego canam maternos tuos partus cum Ætnæo fulmine,

ANNOTATIONES.

& Lib. 1. & 2. de Arte amandi, ubi tota pluribus verbis fabula refertur.

11. *Nox sobria.*] *Nox* abstemia, quæ temeto caret, ideoque, ut suprà dixit, pervigilanda.

14. *Somnus in ossa.*] Merum largiùs ac liberaliùs sumptum conciliat somnos, curasque levat, ut etiam testatur Ovid. Lib 1. Fast.

Nox erat, & vino somnum facient jacebant.

16. *Quos carpant nulla feræ.*] Alludit ad illam fabulam tantoperè decantatam de Capro, qui vitem arroserat, de quo Ovid. Lib. 1. Fastor.

19. *Per te & tua cornua*] Binis eum *cornibus* Bacchum fingi notum est, ac vulgatum; unde & illud:

Accedant capiti cornua, Bacchus eris.

Alii verò bina *cornua* tribuunt Baccho, ut ejus duplex virtus significetur, inventio nimirùm vini, vomeris, & aratri. Festus verò ait. *Cornua Liberi simulacro adjiciuntur, quod homines nimio vino truces fiant.* Apollodorus Lib. 3. Scribit ideò *cornua* tribui Baccho, quia Juppiter eum vertit in hædum, ut Junonis vitaret insidias. Alii dicunt ideò *cornutum*, quasi taurum fingi Bacchum, quia nimio vino calentes iracundi sunt, protervi, ac petulci veluti tauri. Alii denique Baccho *cornua* affingunt, quia *cornibus* antiqui pro poculis utebantur.

21. *Ætnæo fulmine partus.*] Duplices dicit *partus* Bacchi; nam primus ejus *partus* fuit, cùm mater ejus Semele *fulmine* percussa abortum ejecit: deinde cùm illum femori suo insertum maturo *partus* tempore, more gravidæ mulieris, Juppiter iterùm edidit in lucem. Unde etiam Bacchus Bimater, & bis genitus dictus est. Ovidius fabu-

In vada pampineâ dissiluisse rate.
Et tibi per mediam bene o'entia flumina Naxon,
Unde tuum potant Naxia turba merum.
Candida laxatis onerato colla corymbis,
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.
Lævis odorato cervix manabit olivo,
Et feries nudo veste fluente pedes,
Mollia Dircææ pulsabunt tympana Thebæ;
Capripedes calamo panes hiante canent.

INTERPRETATIO.

luisse è navi pampinis exornata. fluviosque tibi suavissimum odorem spirantes per mediam tuam Naxon, è quibus vinum à te profusum Naxis incolæ bibunt. Niveâ tuâ è cervice ornatâ vagis ac pendentibus ederæ baccis tibi vinciet infula Lydia crines Bassaricos. tibi molle collum odorifero diffluet unguento, audatesque tibi tales effusa laxaque palla percutiet. Thebæ Dircææ cava tympana ferient. tibi quoque Panes Capripedes biulcis arundinibus concinent.

ANNOTATIONES.

duxisse navem prædatoriam *Tyrrhenorum*, ut ex Icaria insula Naxon transmitteret. Cùm autem *Tyrrheni*, relicta Naxo, Bacchum vellent in Asiam asportare, ut eum venderent, hanc ob rem iratum numen eorum oculis serpentes lynces, ac tygres objecit, qui seu timore, seu furore perciti in mare præcipites exilierunt, ac in Delphines sunt transformati. Paulò aliter fabulam illam refert Ovid. Lib 3. Metamorphos.

16. *Pampineâ rate.*] Navis, quâ vehebatur Bacchus, dicitur *Pampinea*, quia nimirùm eam *pampinis*, ac hederâ ornaverat, tibiarumque sonitu repleverat.

27. *Naxon.*] *Naxos*, seu *Nexus* insula est maris Ægei, ex Cycladibus una, Strongyle quondam, ac etiam Dia vocata. vitibus ac vino fertilissima, unde non mirum, si dicatur Baccho sacra. In insula *Nax* relicta Ariadne à Theseo nuptias cum Baccho fecit. Fabulati sunt autem in *Naxe* vino fluere fontem, fluviosque, quos incolæ potarent, quod nimirùm summa vini copia illa insula abundaret.

30. *Lydia mitra comas Bassaricas.*] *Lydi* seu Mæonii *Lydia* qua & Mæonia dicta est, incolæ *mitrâ* inter cæteras gentes in primis usi sunt, unde rectè dicitur *Lydia mitra* cingere caput Bacchi, qui dictus est *Bassareus*, seu *Bassarus*, à quodam genere vestis ad talos demissæ, quâ Bacchus utebatur, & quam Thraces vocabant *Bassaram*: vel a vulpibus, quarum pellibus Bacchæ cingebantur: vulpes enim Thraces vocant *Bassares*. Acron autem & Porphyrio *Bassareum* dicunt, a genere vestis, cui nomen *Bassaru*, quæ vestis, inquit Acron, ad pedes usque demissa, dicta est à *Bassara* loco Lydiæ, ubi fit *Bassarides* etiam vocatæ sunt Bacchæ, seu Mænades à *Bassaree*.

33. *Dircææ Thebæ.*] *Dircææ* dicuntur *Thebæ* Bœotiæ à fonte *Dirce*, in quem mutata dicitur fuisse *Dirce* Lyci regis *Thebarum* uxor.

34. *Capripedes Panes.*] Faunos, Satyros, Silenos, Lares, & Silvanos vocat numero multitudinis *Panes*, tùm quia *Pana* silvarum, agrorumque Dei tutelaris comites erant ac ministri, tùm quia hi, qualis *Pan* fingebatur, humano capite, sed cornuto, pedibus *caprinis*, toto corpore villoso, repræsentabantur; unde & Poëta dixit *Capripedes Panes*, quomodo dixit etiam Virg. in Culice:

—— *Viridi ludentes Panes in herba.*

Vertice turrigero juxta Dea magna Cybelle
Fundet ad Idæos cymbala rauca choros.
Ante fores templi crater antistitis auro
Libatum fundens in tua sacra merum.
Hæc ego non humili referam memoranda cothurno,
Qualis Pindarico spiritus ore tonat
Tu modò servitio vacuum me siste superbo,
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

INTERPRETATIO.

Cybelle etiam Diva potens turrito capite tibi raucisona crotala pulsabit apud cœtus Idæos. Ad templi tui valvas aurea patera Sacerdotis oblatum tibi vinum in tuis sacrificiis effundet. Ipse ego ista celebranda canam sublimiori socco, quemodo vis ac facultas pangendi carminis Pindaricâ voce detonat. Tu nunc liberum ac immunem me redde ab injusta gravique servitute, meumque caput curis anxium somno opprime.

ANNOTATIONES.

Pan autem Sileni, Fauni, Satyrique inter Bacchi ministros ac comites à veteribus numerabantur; ut vidimus suprà Eleg. 3. hujus Libri.

35. *Vertice turrigero Cybelle.*] *Cybelle* Cæli & Terræ filia, & uxor Saturni fingitur, aliis nominibus Ops. Rhea, Vesta, magna Mater, Dyndymene, Mater Deorum, Idæa, Dea-Phrygia, Pessinuntia, & Berecynthia appellata. Dicitur autem *turrigera*, *turrigerum me* habere caput *Cybele*, quia tellus, sive terra est, in qua sunt urbes, & oppida. Lucretius Lib. 2.

Hanc veteres Grajum docti cecinere Poëta
Sedibus in curru bijugos agitare leones,
Aëris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem, &c.
Muralique caput summum cinxere coronâ.
Eximiis munita locis quod sustinet urbes.

Inducit autem Poëta *Cybellen* laudes etiam Bacchi celebraturam, quia sacra *Cybelles* sicut & Cereris, multa habent communia cum sacris Liberi patris, ut scribit Strabo Lib. 10. Ipse Propertius Eleg. 7. Lib. 4.

36. *Ad Idæos choros.*] *Chori* dicuntur *Idæ* ministri, sacerdotesque Cybeles, quæ *Idæa* vocata est, quòd in *Ida* monte Phrygiæ summâ religione coleretur, vel saltem coli cœpta fuisset.

37. *Crater. Antistitis.*] Cum *cratero* aureo mero pleno sacra Bacchi celebrabant antiqui.

39. *Humili cothurno.*] Hoc est, stylo, carmineque grandiloquo, ac sublimi, qualis Poëtarum tragicorum est. *Cothurnus* enim fuit certum calceamenti genus, quo tragœdiarum actores utebantur in Scena.

40. *Pindarico Spiritus ore.*] *Pindarus* Græcorum Lyricorum princeps *Spiritus* magnificentiâ, carminisque inimitabilis excellentiâ celebratur. Vide Quinctilian. cap. 1. Lib. 10. Velleii Patercul. Lib. 1. Horat. Lib. 4. Od. 2. &c.

42. *Vince sopore caput.*] Eodem sensu dixit noster Tibullus Eleg. 2. Lib. 1.

Adde merum, vinoque graves compesce dolores.
Occupet ut fessi lumina victa sopor.

ELEGIA XVIII.

MORTEM ESSE INEVITABILEM.

CLAUSUS ab umbroso quà ludit Pontus Averno
Humida Bajarum stagna tepentis aquæ,
Quà jacet & Trojæ tubicen Misenus arenâ,
Et sonat Herculeo structa labore via;
Hîc ubi mortales dextrâ cùm quæreret urbes,
Cymbala Thebano concrepuêre Deo;

INTERPRETATIO.

Quâ parte mare divisum ab Averno silvis opaco liquidos alluit lacus aqua calida Bajarum, quâque parte sepultus dicitur in littore Misenus Trojæ tubicen, ac Herculeo opere stratum iter teritur. In eodem ipso loco, in quo crepitum ediderunt Divæ Thebanæ, dùm in suam vi & armis potestatem civitates orbis redigeret, obiit Marcellus.

ANNOTATIONES.

1. *Clausus ab umbroso.*] Hâc Elegiâ Propertius mortem deflet Marcelli, qui filius Octaviæ sororis Augusti fuit, & qui cùm Ædilis esset, periit in Bajano secessu annum agens ætatis vigesimum. Huic Augustus filiam suam Juliam desponderat, ejusdemque obitum Romani vehementer doluerunt. Mater ejus Octavia nullum flendi, gemendique finem per totum reliquæ vitæ suæ spatium fecit, bibliothecamque ad memoriam filii procurandam construxit. Marcelli quoque nomine theatrum Augustus ædificavit. Iste est Marcellus, de quo dixit Virgilius Lib. 6. Æneid.

Tu Marcellus eris, &c.

Averno.] *Avernus* lacus est Campaniæ non procul à Baiis, quem Plutoni dicatum, inferorumque limen esse rudis credidit antiquitas; unde non rarò pro ipsis sumitur inferis. Sensus igitur is est: Ubi, inquit, est *Avernus*. ubi sunt tepidi fontes Bajarum, ubi Misenum promontorium, ubi semita Herculea; iisdem in locis extinctus est Marcellus, cum magno crimine aquarum Bajarum, quæ cum dicantur saluberrimæ, Marcello tamen exitiales fuerunt, ac funestæ.

2. *Humida Bajarum.*] *Bajæ* civitas est Campaniæ secùs mare sita, in cujus agro sunt aquæ calidæ tùm ad voluptatem, tùm ad varios morbos commodæ. Fuit enim hæc urbs aëris temperie, Romanorum civium frequentiâ, ornamentisque ædificiorum celeberrima. Unde Horat. Lib. 1. Epistol. 1.

Nullus in orbe locus Bajis prælucet amœnis, &c.

3. *Trojæ tubicen Misenus.*] *Misenum* designat promontorium, cui nomen dedit *Misenus* Æneæ *tubicen* ibidem sepultus; unde & Virg. Lib. 6. Æneid. v. 234.

Monte sub aërio, qui nunc Misenus ab alto
Dicitur æternumque tenet per secula nomen.

4. *Herculeo structa labore via.*] Diximus Lib. 1. Eleg. 11 quomodo Hercules viam seu aggerem construxerit in Campania, quò suos boves traduceret; quæ via dicta est *Herculea*. Hanc Augusti temporibus exornavit Agrippa.

6. *Cymbala Thebano Deo.*] Hic Herculem, qui Deus fuit *Thebanus*, cujus nimirùm patria fuit *Thebæ* Bœotiæ, Propertius intelligit. Duo namque fuerunt præcipua *Thebanorum* numina,

At nunc invisæ magno cum crimine Bajæ,
  Quis Deus in vestra constitit hostis aqua?
His pressus Stygias vultum demisit in undas,
  Errat & in vestro spiritus ille lacu.
Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
  Mater, & amplexum Cæsaris esse focos?
Aut modò tam pleno fluitantia vela theatro,
  Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, & misero steterat vigesimus annus.
  Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos, & tecum finge triumphos;
  Stantiaque in plausum tota theatra juvent.
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis

INTERPRETATIO.

Sed jam verò, ô Bajæ grandi scelere odiosæ, & infames, quis Deus hostis pedem posuit in vestris fontibus, ut eos inficeret? *Iis enim ebrutus* Marcellus *faciem depressit in aquas Stygias, ac in vestris stagnis ejus umbra vagatur. Quid ipsi profuit avita gentis nobilitas, vel virtus, vel parens optima, illumque fuisse amplexatum Cæsaris Penates? Vel nunc etiam quid ipsi profuunt velamina ventis agitata, theatro tantâ spectatorum turbâ referto, manibusque maternis cuncta administrata? Mortem obiit, currebatque infelici annus ætatis vigesimus: tot bona dies* una *tam exiguo annorum spatio circumscripsit. Vade jam, altosque gere spiritus, ac triumphorum spem apud te concipe, & cuncta theatra ad plausum assurgentia te delectent. Aulæa Attalica vince, cunctaq; ma-*

ANNOTATIONES.

Bacchus scilicet & Hercules. Dicuntur autem *Cymbala* Herculi *concrepuisse* juxta Bajas, quia in eadem regione, in campis nempè Phlegræis olim gigantes devicit; ut jam supra diximus.

7. *At nunc invisa Bajæ.*] *Bajæ* quæ priùs ob amœnitatem omnibus erant jucundissimæ, nunc propter Marcelli mortem factæ sunt *invisa*, & infames.

9 *His pressus.*] Marcellus oppressus Bajanis aquis Stygias undas petiit.

12. *Amplexum Cæsaris focos.*] Nihil Marcello profuit amplexum fuisse *Cæsaris focos*; hoc est, fuisse cum Cæsare arctissimo affinitatis vinculo conjunctum; quia nimirùm ipsi fuerat desponsata Julia *Cæsaris* filia.

13. *Vela theatro.* Marcellus Ædilis non *theatrum* modo, sed etiam forum *velis* inumbrasse, ut salubrius litigantes consisterent narratur. Vide Plin. Lib. 19. cap. 1.

14. *Per maternas manus.*] Commendat Marcellum à pietate, quod nimirùm omnem ædilitatis suæ curam Octaviæ matri commendasset, quæ sapienter omnia administraverat.

18. *Stantiaque theatra.*] In *Theatro* spectatores assurgere solebant honoris causâ plausum daturi. Cicero in Lælio. *Stantes plaudebant in re ficta, quid arbitramini in vera esse facturos.* Idem Lib. 2. ad Attic. Epistol. 19. *Inimici erant equitibus, qui Curioni stantes plauserant.*

19. *Attalicas vestes.*] *Attalica vestes* sunt non modo aulæa pretiosa, auro argentoque intexta, tapetesque & thori, sed & alia id genus supellectilia, quæ dicuntur *Attalica*, quia *Attalus* rex Pergami pretiosæ supellectilis magnificentiâ, splendore, & abundantiâ mortales omnes dicitur superasse.

Ludis magnis.] *Ludos magnos* appellabant, seu Romanos quos in honorem Jovis, quem principem Deorum puta-

Gemmea

Gemmea sint ludis; ignibus ista dabis.
Sed tamen huc omnes; huc primus, & ultimus ordo.
Est mala, sed cunctis ista terenda via est.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla:
Scandenda est torvi publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat, & ære;
Mors tamen inclusum protrahet inde caput.
Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
Crœsum aut Pactoli quas parit humor opes.
Hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
Atridæ magno cùm stetit alter Amor;

Interpretatio.

guis ludis gemmata sint; flammis hæc omnia tecum inferes. Attamen illuc etiam cuncti nos ibimus; *illuc Princeps & infimus ordo* tendit: *illud ad inferos iter odiosum est, ac invisum, nihilominùs tamen omnibus est calcandum.* *Triceps canis* Cerberus *est eblandiendus, ne allatret: communis conscendenda ratis est trucis vetuli.* *Quamvis autem aliquis sibi multum providus callidusque sese ferro tegat & ære, attamen illinc letum caput ejus probè munitum eruet. Nireum non eximia forma, nec vis Achillem eripuit* morti, *neque Crœsum divitiæ, quas Pactoli liquor trahit. Similis quendam fletus pene exhausit funeribus Achivos nescientes, quando novus amor tam magno pretio constitit Atridæ.*

Annotationes.

bant, faciebant: ut testatur Festus.

Ignibus ista dabis.] *Ista* omnia in flammas rogi tui, cùm mortuus cremaberis, mittentur. Consueverant enim pretiosissima quæque cum mortuo in rogum injici, flammisque rogalibus exuri.

23. *Canis.*] Cerberi tricipitis Inferorum custodis, ut dictum est ad Eleg 5.

Nunc tribus infernum custodit faucibus antrum.
Cerberus. ——————

24. *Torvi senis Cymba.*] Charontis nimirùm, qui in Inferos transvehit animas mortuorum.

27. *Nirea non facies.*] Non pulcritudo, non vires, non divitiæ possunt homines à conditione mortis eximere; nec enim *Nireus*, ereptus est fato, quamvis esset formosissimus, neque Achilles, licet fortissimus, neque Crœsus quanquam ditissimus mortem effugerunt.

Nireus rex fuit Naxi, quem omnium, qui ad Trojam expugnandam venerunt, formosissimum fuisse refert Homerus Lib. 2. Iliad.

28. *Crœsum aut Pactoli.*] *Crœsus* Lydiæ rex fuit longè ditissimus, qui dicitur immensas opes conflavisse ex aureis arenis, quas *Pactolum* ejusdem Lydiæ fluvium traxisse fabulantur.

29. *Luctus populavit Achivos.*] Designare videtur stragem cladem que illam, quæ ferè castra Græcorum exhausit funeribus, cùm *Atrides*, hoc est Agamemnon, amare cœpit Briseidem, quam etiam Achilli eripuit Unde indignatus Achilles amplius decertare noluit adversus Trojanos, qui Græcos ferociùs invadebant, seriusque quotidie trucidabant; unde magnus Græcorum *luctus* ob amissos tot socios frustrà Achillis opem implorantium, donec Briseidem Achilli restituisset Agamemnon.

30. *Atridæ magno cùm stetit alter Amor.*] *Atridæ* dicti sunt fratres Agamemnon & Menelaus ab *Atreo* patruo, cui Plisthenes ipsorum pater moriens

A tibi, nauta, pias hominum qui trajicis umbras,
Huc animæ portent corpus inane tuæ:
Quâ Siculæ victor telluris Claudius, & quâ
Cæsar ab humana cessit in astra via.

INTERPRETATIO.

Sed tu, ô portitor, qui piorum mortalium animas in Inferos *transmittis, umbra tua vehant Marcelli corpus exanime illum in locum, per quem Claudius terra Sicula debellator ac Cæsar è cœtu hominum in sidera discesserunt.*

ANNOTATIONES.

commendaverat. Hoc autem in loco *Atrida* nomine designatur Agamemnon, cujus fuit *secundus Amor* Briseis, quam rapuit Achilli, & quæ *magno* illi pretio constitit; nam cùm Achilles indignatus ereptam sibi puellam ab Agamemnone nollet adversus Trojanos arma capessere, magnam stragem Græcorum ediderunt Trojani ferociùs irruentes, adeò ut Briseidem Achilli reddere, & cum ipso reconciliari compulsus sit Agamemnon.

31. *At tibi, nauta, pias*, &c.] Charontem significat, qui in Inferos mortuorum animas transvehit.

33 *Siculæ telluris victor Claudius.*] Eâdem viâ cupit Marcellum ad superos ire, quâ proavus ejus Claudius Marcellus, qui superavit Annibalem, Syracusas, Siciliamque expugnavit universam, quique Romanorum gladius est dictus, & quâ Julius Cæsar adiverunt.

34. *Cæsar cessit in astra.*] Julius *Cæsar* ore non modò decernentium, sed etiam persuasione vulgi in Deorum numerum relatus est, factusque est astrum, ut scribunt Suetonius in Julio Cæsare, Plin. Lib. 2. cap. 25. Horat. Lib. 1. Od. 12.

Julium sidus. ———

Virgil. Eclog. 9.

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

Ovid. Lib. 15. Metamorphos. ac ipse etiam Propertius Eleg. 4. Lib. 4.

At pater Idalio miratus Cæsar ab astro.

ELEGIA XIX.

AD CYNTHIAM.

DE MULIERUM INCONTINENTIA.

OBJICITUR toties à te mihi nostra libido;
Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos, ubi contempti rupistis fræna pudoris,
Nescitis captæ mentis habere modum.
Flamma per incensas citiùs sedetur aristas,
Fluminaque ad fontis sint reditura caput;
Et placidum Syrtes portum, & bona littora nautis
Præbeat hospitio sæva Malea suo;
Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus,
Et rapidæ stimulos frangere nequitiæ.
Testis, Cretæi fastus quæ passa juvenci
Induit abiegnæ cornua falsa bovis.

INTERPRETATIO.

EXprobratur à te mihi tam sæpè virorum incontinentia, sed profectò vobis fœminis illa longè plus dominatur. Vos mulieres cum semel spreta verecundia repagula perfregistis, rationis penitùs expertes nullam novistis adhibere moderationem. Ignis ardens, qui maturas messes corripuerit, potiùs restinguatur, ac fluvii potiùs revertantur ad scaturiginem fluenti sui, Syrtesque tranquillam, securamque navibus stationem præbeant, ac littore suo faciles accessus navigantibus exhibeat infesta Malea; quam aliquis vestros valeat impetus retinere, aculeosque vestra libidinis retundere. Illud testatur Pasiphaë, *qua Cretensis tauri repulsam sæpiùs perpessa aptavit sibi cornua ficta juvenca ex abiete structa.*

ANNOTATIONES.

1. *OBjicitur nobis.*] Præsens Elegia demonstrat mulieres ad libidinem longè viris esse procliviores, multoque in fœminis, quam in maribus acriores esse cupiditatis & incontinentiæ stimulos.

7. *Placidum Syrtes portum.*] De *Syrtibus*, quæ duo sunt sinus in mari Libyco periculosissimi navigantibus, abundè diximus supra, maximè verò Eleg. 9. Lib. 2.

8. *Sæva Malea.*] *Malea* promontorium est Laconiæ longiùs in mare prominens, adversisque ventorum flatibus navigationem efficiens periculosam; unde proverbium illud. *Cùm ad Maleam deflexeris, domesticos obliviscere.* Significat autem Poëta *Maleam*, quæ suâpte naturâ inhospita est citiùs futuram nautis hospitalem, fluminaque potiùs ad fontem reditura, Syrtesque portuosas commodasque fore stationes, quam quisquam possit imperum fœmineæ libidinis retinere.

11. *Cretæi fastus quæ passa juvenci.*] Exemplis probat effrænatam esse ac furibundam mulierum incontinentiam. Hoc autem loco Pasiphaën Minoïs *Creta* regis uxorem designat, quæ cùm amore tauri flagraret, dicitur ope Dædali intrà ligneam vaccæ figuram corio formosæ juvencæ coopertam inclusa cum tauro concubuisse, ex quo genuit Minotaurum.

12. *Abiegna bovis.*] Vaccæ ligneæ; *abietem* posuit pro quovis ligno.

Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quæ voluit liquido tota subire Deo.
Crimen & illa fuit patriâ succensa senectâ
Arboris in frondes condita Myrrha novæ.
Nam quid Medeæ referam, quo tempore matris
Iram natorum cæde piavit amor?
Quidve Clytemnestræ, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus?

INTERPRETATIO.

Id etiam *testatur Salmonis ardens amore Enipei Thessali, quo cupivit tota Deo humido succumbere. Infamis etiam ac scelesta fuit habita Myrrha, quæ correpta amore senectutis paterno mutata est in folia recentis arboris. Quid verò commemorem Medeæ* crimen, *quando matris dolorem placavit Amor filiorum nece? Quid etiam Clytemnestræ* scelus *referam, ob cujus libidinem omnis familia Pelopea adulterio Mycenis diffamata est?*

ANNOTATIONES.

13. *Flagrans Salmonis Enipeo Thessal.*] *Salmonis* est nomen patronymicum. Designatur autem *Tyro* Salmonei filia, quæ cùm *Enipei* fluvii *Thessaliæ* amore flagraret, atque ad illius fluenta continenter accedens conqueri minimè desineret, Neptunus, sumptâ *Enipei* formâ, cum ipsa concubuit, ex eaque genuit Peliam & Neleum.

14. *Liquido Deo.*] *Liquidus Deus* est Enipei fluvii numen, cujus formam indutus Neptunus cum Tyro concubuit.

16. *Myrrha.*] *Myrrha* fuit Cinyræ Cypriorum regis filia, quæ ejusdem Cinyræ patris sui amore nefando correpta, nutricis auxilio, cum eo concubuit, ex quo filium Adonim genuit. Cùm autem pater Cinyras illud nefas cognovisset, filiamque gladio persequeretur, illa fugiens in Arabiam Deorum miseratione conversa est in arborem sui nominis. Vide Ovid. Lib. 10. Metam.

17. *Quid Medeæ referam.*] Supple *scelus*. *Medea* namque Æetæ regis Colchorum filia, Jasonis uxor fuit, quam cùm repudiasset Jason, Creusamque superduxisset, factum adeò molestè tulit, ut furore correptâ geminos filios, quos ex Jasone pepererat, in ultionem ante patris oculos jugulaverit. Vid. Euripid. & Senecam in Medea.

19. *Quidve Clytemnestra.*] *Clytemnestra* filia fuit Tyndari, seu Tyndarei & Ledæ, Agamemnonis Argivorum & Mycenarum regis uxor, quæ belli Trojani tempore Ægisthi Agamemnonis consobrini amore capta turpissimis cum eo se libidinibus implicuit, maritumque Agamemnonem, post captam Trojam in patriam reversum ab Ægistho adultero adjuta per insidias interfecit.

20. *Infamis stupro Pelopea domus.*] Per Clytemnestræ *stuprum* dicitur *infamis Pelopis familia*, quæ tamen jam priùs adulteriis, & incestibus ignominiosa erat ac diffamata. Thyestes enim *Pelopis* filius, fraterque Atrei Æropen non modò *Atrei* fratris uxorem violavit, sed etiam ex propria filia sua *Pelopea* Ægistum genuit, qui filium adoptivum Atrei Agamemnonem consobrinum, adjuvante Clytemnestrâ adulterâ, interfecit. Familia *Pelopæa* dicitur, quæ ex *Pelope* duxit originem. *Pelops* enim, qui nomen dedit Peloponeso, Tantali filius genuit Atreum, Thyestem, & Plisthenem, qui juvenis moriens duos liberos suos Agamemnonem, & Menelaum Atreo fratri commendavit, qui ipsos educavit, ac in filios adoptavit; unde dicti sunt Atridæ, filiique Atrei existimati. Thyestes Æropen fratris uxorem stupravit, ac Ægisthum ex propria filia genuit. *Infamis* igitur *stupro* uxoris Atreus; *infamis stupro*

Tuque ô Minoa venundata, Scylla, figura,
  Tondens purpureâ regna paterna comâ.
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti?
  Nise, tuas portas fraude reclusit Amor.
At vos, innuptæ, feliciùs urite tædas,
  Pendet Cretæâ tracta puella rate.
Non tamen immeritò Minos sedet arbiter Orci.
  Victor erat, quamvis æquus in hoste fuit.

INTERPRETATIO.

Tu verò, ô Scylla vendita formâ Minoâ, spolians regnum patrium purpureis capillis. Talem ergo dotem hosti paterno promiserat puella? O Nise, urbis tuæ *portas Amor aperuit. Sed vos, ô puellæ, melioribus auspiciis faces nuptiales incendite:* Scylla *virgo suspensa est districta Cretæâ navi. Non injustè ergo Minos* apud Inferos *Orci judex sedet: quanquam* enim *erat victor*, tamen *in hostem etiam* suum *fuit justus.*

ANNOTATIONES.

ac incestu Thyestes; *infamis* adulterio cum Clytemnestra Ægisthus Thyestis filius; *infamis* Agamemnon uxoris Clytemnestræ *stupro*, qui Arginum etiam juvenem, Cassandram, Briseidem adamavit. *Infamis stupro* seu adulterio Helenæ cum Paride Menelaus, unde non mirum si in proverbium abierunt *Pelopidæ. Nequitudo Pelopidarum.*

21. *Minoâ Scylla figura.*] *Scylla* Nisi regis Megarensium filia fuit, quæ *Minois* hostis paterni flagrans amore patrem capillo purpureo, in quo situm erat regni totius fatum, spoliavit, eumque *Minoi* tradidit, quasi futuri conjugii dotem.

24. *Nise, tuas portas.*] *Nisum* Rex fuit Megaræ, quem *Scylla* filia Minoi paterno hosti, cujus amore flagrabat, abscisso purpureo capillo, à quo regni fata pendebant, prodidit.

25. *Feliciùs urite tædas.*] Lætioribus auspiciis nubite. Nubentibus enim *tædas* præferri consuevisse apud veteres notum est ex Catulli Epithalamio Manlii & Juliæ. Vide quæ diximus ad illud, *Pineam quate tædam.* V. 15. & ad illud de Nuptiis Pelei. v. 302.

Nec Thetidis tædas voluit celebrare jugales.

26. *Cretæa tracta puella rate.*] Scylla dicitur *tractâ rate Cretensi*, quod, cum in mare projecta fuisset submergenda, puppim navis arripuit; unde trahebatur non vehebatur; vel quia, ut ait Apollodorus, è puppi pedibus vincta submersa est.

27. *Minos arbiter Orci.*] Jure quidem meritò *Minos* est judex Inferorum constitutus, qui tantâ justitiâ, æquitateque pollebat, ut quamvis esset victor, qui solet insolens esse, superbus ac iniquus; fuit tamen æquus ac justus, cùm Scyllam proditricem aspernatus à se submovit, ac Nisi, licet hostis, vicem ultus est.

Orcus autem Deus est Inferorum, quem Ditem Latini modò, modò Summanum dicunt. Hunc Poëtæ vocant Jovem Stygium, ac Plutonem: sæpè etiam pro ipsis Inferis accipitur.

ELEGIA XX.

DE CONTEMPTORE AMICÆ.

CREDIS eum jam posse tuæ meminisse figuræ,
Vidisti à lecto quem dare vela tuo ?
Durus, qui lucro potuit mutare puellam.
Tantisne in lacrymis Africa tota fuit ?
At tu, stulta, Deos, tu fingis inania verba.
Forsitan ille alio pectus amore terit.
Est tibi forma potens, sunt castæ Palladis artes;
Splendidaque à docto fama refulget avo.

INTERPRETATIO.

AN existimas illum nunc posse pulcritudinis tua recordari, quem mox è cubili tuo surgentem vela facere sensisti? Ferreus ille fuit, *qui propter quastum sustinuit amicam deserere. An aliquando omnis Africa fuit in tam magno luctu? Sed tu nimium credula tibi persuades esse Divos vana illius promissa.* Forsan tamen *aliâ cum amicâ corpus consumit. Singularis est tibi summaque pulcritudo. sunt tibi pudica Palladis disciplina, illustrisque* tua *nobilitas splendorem accipit ab erudito tuo avo.*

ANNOTATIONES.

1. *CRedis eum.*] Amicam alloquens infidum quemdam amatorem, puellæ desertorem, quod lucri causâ reliquisset amicam, insectatur, significatque se fidum, ac constantem amatorem fore, qui nunquam fidem legitimi conjugii sit violaturus.

3. *Durus.*] In hanc sententiam Tibullus noster Eleg. 2. Lib. 1.

Ferreus ille fuit, qui te, cùm posset habere,
Maluerit prædas stultus, & arma sequi.

4. *Africa tota.*] Hujus loci duplex esse potest sensus. Alii namque legunt, *Tantisne in lacrymis*, &c. & sensus erit, *Africam* quondam, cum à Scipione diriperetur, non tantùm lacrymarum effudisse, quantùm puella illa deserta ab amatore. Alii verò legunt; *tantine in lacrymis* &c. & sensus est, *Africam totam* illum amatorem tanti æstimare non debuisse, ut ejus causâ amicam in fletus & lacrymas effusam relinqueret.

5. *Stulta Deos tu fingis inania verba.*] Nimium credula putas illud verum esse, quod non est, credisque Deos esse, quos ille non audeat fallere, postquam per eos fidem tibi promissam juravit; sed illa promissa sunt *inania* ac irrita, cùm ille nullos putet esse Deos.

7. *Casta Palladis artes.*] Ingenuæ artes *Palladis* dicuntur, quas ipsa *Pallas* adinvenit, ut *Ars* nendi, texendi, doctrinæ, litteræ, versus, lyræ, cantus, bella, milleque aliæ. *Pallas* enim, ut canit Ovidius,

Mille Dea est operum, &c.

unde & *rerum sapientia Pallas.*

8. *Splendidaque à docto.*] Omnia, quæ hîc commemorat Propertius, Cynthiæ conveniunt; nam Cynthia nendi, texendique perita fuit, ut supra El. 6. hujus libri annotatum est ad illud,

——— *Media nebat & ipsa loco.*

præterea Cynthiæ fuerunt doctrinæ, ingenuæ disciplinæ, litteræ, carmina, lyræ cantus; ut vidimus Eleg. 2. & 3. Libri 1. Eleg. 2, 3, & 13. Lib. 2. Illustrem etiam avum Cynthiæ doctri-

Fortunata domus, modò sit tibi fidus amicus;
Fidus ero, in nostros curre, puella, toros.
Tu quoque, qui æstivos spatiosiùs exigis ignes,
Phœbe, moraturæ contrahe lucis iter.
Nox mihi prima venit, primæ data tempora noctis
Longiùs in primo, Luna, morare toro.
Fœdera sunt ponenda priùs, signandaque jura,
Et scribenda mihi lex in amore novo.
Hæc amor ipse suo constringit pignora signo,
Testis sidereæ tota corona Deæ;
Quam multæ ante meis cedant sermonibus horæ,
Dulcia quam nobis concitet arma Venus.
Namque ubi non certò vincitur fœdere lectus,
Non habet ultores nox vigilanda Deos.

INTERPRETATIO.

O beata tua domus, dummodò tibi sit amator fidelis! Certus ero tibi, ô amica, properè veni in meum thalamum. Tuque, ô Phœbe, qui dies æstivos cursu longiores efficis, breviorem redde dies longa viam. Imminet mihi prima nox: ô Luna, longius effice spatium mihi datum primæ noctis in lecto tuo primo diutiùs commorando. Pactiones sunt ante mihi constituenda, leges sancienda, conditionesque proponenda in amore recenti. Istas amor ipse cautiones sigillo suo munitas connectit. Testatur cœtus omnis diva stellatæ, quam plures nostris colloquiis horæ consumantur, priusquam blanda nobis Venus excitet bella. Cum enim certo jure, certisque legibus non constringitur conjugium, nox sine somno traducenda non habet Divos vindices.

ANNOTATIONES.

nâ fuisse diximus Eleg. 13. Lib. 2.

9. *Modò sit tibi fidus amicus.*] Tibi, inquit, omnia suppetunt bona, ingenuæ artes, nobilitas avorum, divitiæ domesticæ, forma potens, &c. adeò ut domus tua dici felix, ac fortunata possit, nisi tibi deest *amicus* certus, constans, ac fidelis, qualem me futurum polliceor.

12. *Phœbe, moratura, &c.*] Solem rogat, ut diem faciat breviorem; Lunamque precatur, ut noctem reddat longiorem, ut diutiùs deliciis fruatur.

18. *Testis siderea corona Deæ.*] *Dea siderea* dicitur Nox, quæ *siderum* mater stellarum choros, astrorumque agmina, magno apparatu, longoque undequaque ordine ostentat, Tibullus Eleg. 1. Lib. 2.

Ludite jam nox jungit equos, currumque sequuntur
Matris lascivo sidera fulva choro.

Hoc igitur in loco Propertius *coronam* pro choro, seu *siderum cœtu*, quem sacri Codices *militiam Cœli* dicunt, posuit, seu pro Stellarum *corona*, quâ nox exornari solet. Apuleius de Deo Socratis. *Radiantes Deos*, (astra,) *quibus Cœli chorum comptum, & coronatum sudâ tempestate visimus.* Hinc manifestum est quàm frustrà se torserint, qui hunc locum de *corona* Ariadnes, aut alia quacumque de re, quam de nocte voluerunt exponere.

21. *Non vincitur fœdere lectus.*] Non consignantur certis conditionibus matrimonii tabulæ. *Lectus* enim passim, ut & *thalamus*, & *torus*, pro conjugio sumitur.

22. *Ultores Deos.*] Nox insomnis amarori prodito in curis traducenda nullos habet Deos, qui injuriam hu-

Et quibus imposuit solvit mox vincla libido.
Contineant nobis omina prima fidem.
Ergo qui pactas in fœdera ruperit aras ;
Pollueritque novo, sacra marita toro ;
Illi sint, quicumque solent in amore dolores,
Et caput argutæ præbeat historiæ.
Nec flenti dominæ patefiant nocte fenestræ.
Semper amet, fructu semper amoris egens.

INTERPRETATIO.

Statimque, quos impurus amor conjunxit, tos separat, ac dirimit. Auspicia primis in amoribus nostris captata nobis servent in amore conjugali constantiam. Quicumque igitur fidem conjugalem in sacris altaribus juratam violaverit, ac jura connubialia alio amore temeraverit; adveniant illi quotquot mala, calamitatesque in amore esse consueverunt; famaque garrula ipsum se totum exponat; Neque ipsi nocttu conquerenti ac lugenti amica fenestra aperiantur. Perpetuò ille amet, perpetuò carens amoris fructu.

ANNOTATIONES.

jusmodi, perfidiamque ulciscantur, quia, cùm ad talem firmandum amorem testes non sint adhibiti, proditione, aut perfidiâ non sunt violati.

24 *Omina prima fidem.*] Auspicia *primis* in amoribus nostris, ac nuptiis captata *fidem* servent nobis in amore conjugali constantem, ac perpetuam. Solebant autem veteres in nuptiis, & connubiis firmandis auspices adhibere, captareque auspicia. Cicero Lib. 1. de Divin. *Cùm vellet sororis suæ filiam in matrimonium collocare, exiisse in quoddam castellum, ominis captandi causâ. quod fieri more veterum solebat.* Idem Cicero Orat. pro Cluent. *Nubit genero socrus nullis auspiciis, nullis auctoribus, funestis ominibus omnium.* Valer. Maximus, Lib. 2. cap. 1. de Institut. antiq. *Nuptiis, ait, etiamnùm auspices interponuntur. qui quamvis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia usurpantur.*

25. *Pactas ruperit aras.*] Hoc est, Deos violaverit, per quos ad *aras* fœdera conjugalia *pacta* sunt, ac jurata. Veteres enim Deorum *aras* in fœderibus ac *pactis* conjugalibus sanciendis jurantes tangebant.

26. *Sacra marita.*] Jura, fœderaque connubialia. Ovidius Epist. Hypsipyles.

Heu ubi pacta fides, ubi connubialia jura?

Idem Lib. 3. de Ponto Eleg. 1.

Exigit hoc socialis amor, fœdusque maritum.

27. *Illi sint quicumque dolores.*] Ærumnas omnes ac miserias amatorias fallenti fidem imprecatur.

ELEGIA XXI.

ELEGIA XXI.

AD CYNTHIAM.

MAGNUM iter ad doctas proficiſci cogor Athenas,
Ut me longa gravi ſolvat amore via.
Creſcit enim aſſiduè ſpectando cura puellæ,
Ipſe alimenta ſibi maxima præbet amor.
Omnia ſunt tentata mihi, quacumque fugari
Poſſit: at ex omni me premit ipſe Deus.
Vix tamen aut ſemel admittit, cùm ſæpè negavit;
Seu venit, extremo dormit amica toro.
Unum erit auxilium mutatis, Cynthia, terris;
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.
Nunc agite, ô ſocii, propellite in æquora navem,
Remorumque pares ducite ſorte vices.

INTERPRETATIO.

Longam adire viam compellor. Athenas nimirùm *eruditas, quò me longinquum ac diuturnum iter amore moleſto liberet. Amor namque fœmina magis augetur, dùm illa continuò videtur. Amor ipſe ſibi maxima pabula ſuppeditat. Cuncta ſunt mihi tentata, quâvis ille ratione poſſit à me procul amoveri; ſed iſte Deus undecumque mihi gravis inſtat. Puella tandem ægrè* me in domum ſuam *ſemel recipit, poſtquam ſæpiùs me excluſit; ſi verò ad me accedit, in ultima lecti parte veſtita cubat. Unicum* illud *erit* mihi *remedium, ô Cynthia, mutato climate, quod Amor tam longè diſcedet à meo pectore, quantum recedam à tuo conſpectu. Jam agite, ô ſodales, in mare ratem perducite, pariterque vices ſortiti remos impellite.*

ANNOTATIONES.

1. *MAgnum iter.*] Amorum variis curis Poëta ſignificat ſe Cœlum mutare cogi, Athenaſque proficiſci, ut loci mutatione minuatur amoris æſtus, qui, quandiu ſpectatur amica, in dies creſcere conſuevit.

Ad doctas Athenas.] Olim etiam præpoſitionem propriis urbium nominibus adhibebant, ut dixit etiam Cicero 2. Philipp. *Cùm ad Aquinum accederet.* Virgilius etiam Eclog. 6.

Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

Athenæ porrò *doctæ* dicuntur, quod ibi non modò artes inventæ ſint, educataque eloquentia, ſed etiam quia, ut ait Cicero, inde humanitas, doctrina, leges, jura, fruges mortalibus ob venerunt. *Athenæ* civitas fuit totius Græciæ lumen, regionis Atticæ primaria, non procul à mari ſita, Philoſophorum, & Oratorum mater, Poëtarum alumna.

6. *Me premit ipſe Deus.*] Amor, qui & Cupido. Tibullus Eleg. 9. Lib. 1.

Ipſe Deus ſomno domitos emittere vocem
Juſſit. ———

10. *Quantum oculis.*] Vulgatiſſima ſententia eſt, oblivionem amicitiæ ex diuturniore abſentiâ induci. Unde proverbium illud Græcorum apud Athenæum Lib. 4. *Procul degentes amici non ſunt amici.* Ad mentem etiam Propertii docet Ovid. præſentiſſimum amoris tollendi remedium eſſe migrationem, ac fugam.

Jungiteque extremo felicia lintea malo:
  Nam liquidum nautis aura secundat iter,
Romanæ turres, & vos valeatis amici,
  Qualiscumque mihi tuque puella vale.
Ergo ego nunc tudis Adriaci vehar æquoris hospes;
  Cogar & undisonos nunc prece adire Deos.
Deinde per Ionium vectus cum fessa Lechæo,
  Sedarit placidâ vela phaselus aquâ:
Quod superest sufferte pedes, properate laborem;
  Isthmos quà terris arcet utrinque mare.
Inde ubi Piræi capient me littora portus,

INTERPRETATIO.

& aptate malo supremo vela candida: ventus enim benignior secundam navigantibus ac prosperam prebet navigationem. O arces Romanæ, vosque ô amici, valete: tu quoque, ô amica, qualiscumque mihi sis, vale. Jam igitur ego navigationis imperitus Adriatici maris advena vehar. Deosque marinos invocare mihi necesse erit. Postquam verò per Ionium mare transmissa navis carbasa longo itinere pœnè fracta quiescere fecerit in Lechæo tranquillo littore, quod reliquum est iter, vos, ô pedes mei, sustinete, viam celeriter conficite per illud intervallum, quo Isthmus ex utraque parte terris æquor depellit. Deinde postquam me ora Piræi portus acceperit,

ANNOTATIONES.

16. *Qualiscumque mihi.*] Formosa nimirùm, sed impudica. Sic etiam Ovidius Eleg. 6. Lib. 1. Amor.

Qualiscumque vale, sentique abeuntis amorem:
Lente, nec admisso turpis amante, vale.

17. *Adriaci æquoris hospes.*] Indignatur Propertius, quod contrà quod apud se statuerat, navigare cogatur. Dixerat enim suprà Eleg. 7.

At tu, sæve Aquilo, nunquam mea vela videbis.

Adriacum porrò, & *Adriaticum* mare dicitur, quod Picenum, Æmiliam, Venetiam, Carnos, Istriam, & Illyricum alluit, Ionio, Tyrrhenoque conterminum, vulgò *mare* seu *Golfo di Venetia*, quod à solis Veneris navigari solet, utpote cujus ipsi soli tenent imperium. Gallicè dicitur *le Golfe de Venise*.

19. *Per Ionium.*] *Ionium* mare, de quo jam sæpiùs, est illud quod à mari Adriatico incipiens inter Siciliam, Græciam, Macedoniam, Epirum, Achaiam, Peloponesum, & Italiam interfusum, extenditur.

Lechæo] *Lechæum* portus est urbis Corinthi ad Occidentem in sinu Crissæo seu Corinthiaco. Constat enim geminos portus fuisse Corinthi, *Lechæum*, & *Cenchreum*, testaturque Pausanias in in Corinth. illis promontoriis Isthmum Corinthiacum disterminari. Utrumque describit Plin. Lib. 4. cap. 4. Strabo verò Lib. 8. dicit uti portu *Lechæo*, qui ex Italia Corinthum navigant, ut Cenchreo, qui ex Asia. Ex hoc duplici portu Corinthus dicta est *Bimaris* apud Horat. Lib. 1. Od. 7.

22. *Isthmos quà terris.*] *Isthmus* significatur Corinthiacus, qui nihil aliud est, quam angustum illud terræ intervallum inter duo maria Ægæum, & Ionium exporrectum, unde procedit Peloponesus, in quo medio intervallo, seu in cujus intervalli faucibus sita fuit Corinthus. *Isthmum* porrò hunc Corinthiacum Julius Cæsar, Caligula, ac Nero Imperatores Rom. infelici exitu, irritoque conatu, perfodere tentarunt.

23. *Piræi portus.*] *Piræus Portus* fuit Athenarum 400. navium capax muro

Scandam ego Theseæ brachia longa viæ.
Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis;
Persequar aut studium linguæ, Demosthenis arma,
Librorumque tuos, docte Menandre, sales.
Aut certe tabulæ capient mea lumina pictæ,

INTERPRETATIO.

ego via Thesea longa brachia transcendam. Athenis verò aggrediar corrigere mentem meam disciplinâ Platonis, vel tuis hortulis, ô Epicure; vel assiduam diligentemque operam dabo eloquentiæ, quæ Demosthenis arma sunt, salesque & jocos comœdiarum tuarum, ô Menandre, sectabor; vel saltem tabella depicta,

ANNOTATIONES.

duorum millium passuum urbi conjunctus.

24. *Thesea brachia longa via.*] Sic vocat Propertius *viam* illam inter longos muros Themistoclis consilio ab urbe Athenis ad mare usque 40. stadiorum spatio perductos, ut urbi Piræus portus jungeretur. *Thesea via* est illa, quam *Theseus* olim latronibus purgavit, liberamque à prædonum metu fecit.

25. *Studiis mentem emendare Platonis.*] Philosophiam significat, quæ morum est emendatrix, vitiorum expultrix, virtutumque commendatrix. *Plato* Philosophus fuit insignis, Academicæ sectæ Princeps, non minùs morum integritate quam discipulorum frequentiâ celebris. Hic in Academia vico Athenis proximo primus scholas seu gymnasium erexit.

26. *Epicure.*] *Epicurus* etiam Philosophus fuit celebris, qui primus Athenis hortos instituit; cùm anteà moris non fuisset in oppidis haberi rura. Unde & refert Laërtius Epicurum scholam habere, ac in horto docere consuevisse. Significat autem Poëta sese Athenis esse philosophaturum, sectaturumque, aut dogmatica Platonica, aut Epicuri sectam.

27. *Demosthenis arma*] Unum *Demosthenem* Atheniensem Oratorum principem instar omnium appellavit; dixitque *linguam* seu eloquentiam esse *Demosthenis arma*, quia Oratores tanquam *armis* muniuntur eloquentiâ. Unde & Cicero Lib. 1. de Juvent. *Qui verò ita sese armat eloquentiâ, ut non oppugnare commoda patriæ, sed pro his pugnare possit, is mihi vir & suis, & publicis rationibus utilissimus, atque amicissimus civis fore videtur.* Petronius etiam dixit:

—— Ingenuis quatiat Demosthenis arma.

28. *Docte Menandre sales.*] *Menander*, seu *Menandrus* Atheniensis, Poëta fuit comicus, Strabus, mente acutus, amore in mulieres insanus. Comœdias scripsit 80. Tanto porrò fuit in pretio, ut etiam oblatis magnis honoribus ac divitiis invitatus sit ab Ægypti regibus. De Menandro scribens Quinctilianus Lib. 10. cap. 1. Institut. Orator. ait: *Vel unus Menander, meo quidem judicio, diligenter lectus ad cuncta, quæ præcipimus effingenda sufficiat: ita omnem vitæ imaginem expressit, tanta in eo inveniendi copia, & eloquendi facultas, ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus. . . . . Atque ille quidem omnibus ejusdem operis auctoribus abstulit nomen, & fulgore quodam suæ claritatis tenebras obduxit.* De Menandro quoque canit Ovid. Lib. 2. Trist. Eleg. 1.

Fabula jucundi nulla est sine amore Menandri,
Et solet hic pueris virginibusque legi.

29. *Aut certè tabula.*] *Tabulis pictis* ac signis inspiciendis vehementer oblectabantur Romani. Testatur autem Plinius cum nostro Propertio magnam

Sive ebore exactæ, ſeu magis ære manus:
Aut ſpatia annorum, & longa intervalla profundi
Lenibunt tacito vulnera noſtra ſinu.
Seu moriar fato, non turpi fractus amore,
Atque erit illa mihi mortis honeſta dies.

INTERPRETATIO.

vel ſtatuæ ex ebore, vel ex ære exquiſitâ arte elaboratæ ſpectantem me detinebunt, vel temporum longinquitas, vel diuturna maris intercapedines ſilenti in pectore meo *ſedabunt mala mea. Si verò ex fatorum lege mortem obibo, non* ſaltem *infami vexatus amore occumbam, mihique iſta dies leti decora erit.*

ANNOTATIONES.

copiam Athenis fuiſſe tabularum ab Apelle, Zeuxide, Parrhaſio, pictarum.

30. *Sive ebore exacta.*] Signa etiam ex *ebore*, vel *ære* diligenter à peritiſſimis artificibus elaborata Athenis viſebantur.

31. *Aut ſpatia annorum.*] Nullum enim tantum eſt malum, nullus tantus dolor, cui longinquitas temporis, aut locorum diſtantia non medeatur.

ELEGIA XXII.

AD TULLUM.

FRIGIDA tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiacâ quà fluit Isthmus aquâ,
Dindymus, & sacræ fabricata inventa Cybellæ,
Raptorisque tulit quæ via Ditis equos.

INTERPRETATIO.

O Tulle, an tibi per tanti temporis spatium placuit Cyzicus inamœna, ac gelida, quà Isthmus mari Propontiaco alluitur? Dindymusque ubi templum Divæ Cybellæ ædificatum est, iterò que quod equos Ditis Proserpinam rapientis tulit.

ANNOTATIONES.

1. *Frigida tam multos.*] Tullum amicum diutissimè peregrinantem Propertius revocat in urbem Romam, quâ nihil in toto terrarum orbe pulcrius ac mirabilius esse demonstrat. Quis verò fuerit ille Tullus, incertum est, nisi forsan filius fuerit fratris L. Volcatii Tulli, qui collega fuit Augusti in secundo ipsius consulatu, ut scribit Dio sub finem Libri 49. nam suprà dixit Propert. Eleg. 6. Lib. 1.

Tu patrui meritas conare anteire secures.

Cyzicus.] Vel *Cyzicum* civitas est minoris Asiæ ad Propontidem, quæ quondam magnitudine ac pulcritudine primis Asiæ urbibus non cedebat, paci, belloque apta, mœnibus, arce, turribus marmoreis, armisque inclyta.

2. *Propontiacâ qua fluit Isthmus aquâ.*] *Propontis* dicitur totum illud mare, quod ab Hellespontì angustiis ad Thracium usque Bosporum protenditur. Nam Geographi primas maris Ægæi sese coarctantis angustias Hellespontum vocant. Deinde illa laxitas, in quam latiùs exspatiatur æquor, *Propontis* appellatur; ubi verò iterum mare in arctum coit, ac stringitur, Bosporus Thracius nuncupatur. Deinde ubi rursùs diffunditur, Pontus Euxinus dicitur. *Isthmum* autem dicit Poëta allui *Propontiacis undis*, quia nimirùm Cyzicus civitas, ut dictum est, satis ampla, intrà *Propontidem* sita arcto tantum & angusto terræ spatio in mare porrecto adhærebat continenti; ut te statur Pompon. Mela Lib. 1. cap. 19. *Trans amnem*. inquit, *sedet in cervice peninsulæ Cyzicum.*

3. *Dindymus*] Seu *Dindyma, orum*, mons est urbi Cyzico imminens; unde & aliquando Cyzicus dicta est *Dindymis*, ut scribit Plin. Lib. 6. cap. 32. In monte *Dindymo* Cybelæ Deorum matri, quæ & inde dicta est *Dindymene*, & *Dindymi* domina, templum est olim ab Argonautis ædificatum; ut testatur etiam Strabo Lib. 12. Hic porrò Propertii locus videtur corruptus, nam vario modo legitur à variis. Libri veteres habent.

Dindyma quâ Argivûm, & quæ sunt templa alta Cybelles.

Sic autem Passeratius legendum putavit:

Dindyma quâ Argivæ sunt templa sacrata Cybellæ:

vel hoc modo:

Dindyma, quæ sacra fabricata in templa Cybella.

Quæ quidem lectio sensum efficit apertum ac planum ad mentem Strabonis mox laudati. *Argivi* namque sunt Argonautæ, qui templum *Cybelæ Argivæ* in illo monte dedicarunt. Scaliger autem locum hunc sic explicat: *Fabricata inventa Cybellæ*, inquit, *sunt urbis Cyzici, fabricæ, quæ pulcherrimæ erant in hoc oppido. Vocat autem Poëta Cybellæ fabricas, quia oppidum illud Cybelen colebat.*

4. *Raptorisque Ditis, &c.*] *Dis, itis*, Latinis dicitur Pluto, quem hoc in

Si te forte juvant Helles Athamantidos urbes,
Et desiderio, Tulle, movere meo;
Tu licet aspicias cœlum omne Atlanta gerentem,
Sectaque Perseâ Phorcidos ora manu,
Geryonæ stabula, & luctantum in pulvere signa
Herculis, Antæique, Hesperidumque choros,

INTERPRETATIO.

Si forsan oblectant te, ô Tulle, civitates Helles Athamantidos, meique desiderio teneris; tu quamvis aspectes Atlantem totum Cœlum humeris sustinentem, caputque Phorcidos amputatum manu Perseâ, Geryonis armenta, Herculis que & Antæi inter se pugnantium vestigia pulveri impressa, Hesperidumque choros;

ANNOTATIONES.

loco Propertius dicit circa Propontidem rapuisse Proserpinam; licet omnes alii ferè scriptores eam in Sicilia raptam fuisse referant.

Quà via tulit equos.] Ad Heracleam urbem Ponti specus est Acherusia, quà ad Inferos aditum patere fabulati sunt veteres. Unde per illam *viam* ac specum Proserpinam rapuisse Plutonem dicit Propertius. Inde etiam extractum ad Superos ab Hercule Cerberum Inferorum custodem existimarunt.

5. *Helles Athamantidos urbes.*] *Hellespontiacas* civitates intelligit, quæ ad *Hellespontum* sitæ sunt. *Hellespontus* autem est fretum illud angustum, quod inter Ægæum mare & Propontidem, inter Sestum & Abydum interfluit; hodie vulgò *El far*, vel *Il streito di Gallipoli*; Gallicè, *le détroit des Dardanelles*. *Hellespontus* porrò dictus est ab *Helle Athamantis* regis Thebarum filia, quæ una cum fratre Phryxo novercam fugiens, Pontumque trajiciens decidit in mare, in quo submersa est. Ovid. in Epist. Leandri.

Hoc mare cùm primùm de virgine nomina mersa
Quæ tenet, est nactum, tale fuisse puto.
Et satis amissâ locus hic infamis ab Helle,
Utque mihi parcat, crimine nomen habet.

7. *Cœlum Atlanta gerentem.*] *Atlas* Japeti & Clymenes filius, frater Promethei Mauritaniæ rex, magnus fuisse dicitur Astrologus, sphæramque primus adinvenisse; unde Cœlum portare, humerisque sustinere fingitur. Virgil. Æneid. Lib. 4.

——— ——— Cœlifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Atlas etiam Mauritaniæ mons est altissimus, in quem *Atlas* rex conversus dicitur à Perseo, cùm ipsi caput Gorgonis Medusæ spectandum objecisset.

8. *Perseâ Phorcidos ora manu.*] *Phorcis* est Medusa seu Gorgonis, cujus caput amputatum est à *Perseo*. Gorgones fuerunt tres filiæ *Phorci*, à quo *Phorcides* dictæ sunt.

De *Perseo* jam suprà satis superque dictum est.

9. *Geryonæ stabula.*] Rex fuit Hispaniæ *Geryon*, quem tricorporem seu tricipitem fuisse fabulati sunt. Alii dicunt fuisse tres tantæ concordiæ fratres, ut uno animo duci viderentur. *Geryonem* Hercules interfecit, ejusque boves & armenta, quæ erant copiosissima, abegit in Græciam.

10. *Herculis Antæique.*] Statuas & simulacra. *Antæus* Terræ filius fuisse dicitur, qui cogere solebat hospites, ut secum palæstrâ decertarent, quos deinde inter luctandum enecabat. Hunc *Hercules* à terrâ sublimem medio corpore oppressum elisit. Plinius autem Lib. 3. cap. 8. à Polycleto factum refert *Herculem Antæum* procul à terra sublimem opprimentem.

Hesperidumque choros.] *Hesperides*

Tuque tuo Colchon propellas remige Phasin,
Peliacæque trabis totum iter ipse legas,
Quà rudis Argoâ natat inter saxa columbâ
In faciem proræ pinus adacta novæ:
Et quà Gygæi visenda est ora Caystri,
Et quà septenas temperat unda vias;

INTERPRETATIO.

ac tu Colchicum Phasin remige tuo impellas, omnemque peregrinationem navis Peliacæ ipse perlustres. Quà parte pinus inculta in formam navis recentis exstructa fertur inter cautes cum *columba Argoa, & quà parte spectanda est regio Caystri Gygæi, & quà alveus unicus in septem divisus cursum* suum *moderatur.*

ANNOTATIONES.

sorores tres dicuntur filiæ fuisse *Hesperi* fratris Atlantis, quas Poëtæ finxerunt hortos habuisse nemore aurifero pretiosos, quos pervigil servaret draco, quem Hercules dicitur interfecisse, pomaque aurea abstulisse. Significat autem hoc loco Poëta, quod in hortis suis *Hesperides choros* ducerent, choreasque agerent.

11. *Colchon Phasin.*] *Phasis* fluvius est Colchicæ regionis seu *Colchorum* maximus, ex Armeniæ montibus nascens, & in Pontum Euxinum illabens.

12. *Peliacæque trabis.*] *Peliaca trabs* est navis Argo, quæ ex arboribus & lignis è Pelio Thessaliæ monte prognatis constructa est, quæque Argonautas in Colchidem ad vellus aureum vexit; ut canit etiam noster Catullus in nuptiis Pelei & Thetidis, carm. 64.

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas
Phasidos ad fluctus. ——— ———

13. *Argoà columbà.*] *Argonautas* monuerat Phineus, ut *columbam*, quam ipsis dederat, viæ ducem ad Symplegadas insulas emitterent, quam ab *Argo* navi vocat *Argoam* Propertius.

Inter saxa.] Symplegades, seu Cyaneæ insulæ sunt, quæ procul visentibus apparent cautes sive scopuli inter se concurrentes. Sunt autem trans Bosporum Thracium in ipso Ponti Euxini ingressu.

14. *In faciem novæ proræ.*] Omnium namque navium prima fuisse dicitur Argo.

15. *Gygæi Caystri.*] *Cayster* fluvius est Lydiæ, qui dicitur *Gygæus* a *Gyge* Lydorum quondam rege, à quo etiam *lacus Gygæus* Eleg. 11. hujus libri. Sardes urbem Lydiæ nobilissimam alluit *Cayster*, ac deinde per regionem amœnissimam labens in sinum Ionium influit. Dicitur autem *Visenda ora Caystri*, tùm propter regionis amœnitatem, tùm propter urbium, quæ in ea sunt, nobilitatem. Multa pro more suo hîc conjicit, divinatque ac mutat Scaliger, quæ nos relinquimus.

16. *Quà septenas temperat unda vias.*] Hoc est, fluvius unus in *septem vias*, septemque alveos unus alveus divisus cursum suum moderatur, ac minùs rapidum reddit. Per *septem* porrò *vias* quas *una temperat unda*, vel Rhesum fluvium Phrygiæ, qui *Septem* habet vada, significat, vel Gangem, Indiæ fluvium, qui septem ostiis in mare delabitur Orientale; de quo Virgil. Lib. 9. Æneid.

Cùm septem surgens sedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges. ——— ———

Vel Nilum intelligit, qui septem ostiis celeberrimis Ægyptum fœcundans in mare Mediterraneum ingreditur. De hoc jam suprà satis superque diximus.

Potaque Pollucis lympha salubris equo.
At non squamoso labuntur ventre cerastæ,
Itala portentis nec furit unda novis.
Non hîc Andromedæ resonant pro matre catenæ,
Nec tremis Ausonias, Phœbe fugate, dapes;
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
Exitium nato matre parante suo.

INTERPRETATIO.

& aqua salutaris hausta Pollucis equo. Sed ibi non serpunt cerastæ, quorum *alvus squamis horret; neque etiam mare Italum monstris insolitis concitatur. Ibi non sonant Andromedes ob maternum fastum vincula; neque tu, ô Phœbe, indignatus abhorres Ausonias epulas. Neque ibi in cujusquam vitæ perniciem absentes incensi sunt ignes, genitrice filio* suo *necem machinante.*

ANNOTATIONES.

26. *Potaque Pollucis lympha.*] Fons est Juturna, cujus aquam bibisse quondam dicitur Cyllarus *Pollucis* equus. Dicitur autem *salubris* aqua Juturnæ fontis, quia fuisse dicitur ægris salutaris. Duplex autem Juturnæ dicitur fuisse fons, alter in agro Latino in amnem Numicum influens: alter verò Romæ in Velabro, ubi nunc sacra ædes sanctæ Mariæ Liberatricis.

27. *Non labuntur ventre Cerastæ.*] Postquam à propriis commodis regionem laudavit Romanam, nunc eandem laudat ab incommodis, quæ non habet. Nec repunt, inquit, in solo Romano serpentes *Cerastæ*, quibus sunt cornicula quadrigemina.

28. *Itala nec furit unda portentis.*] In mari *Italo* non visuntur insolita monstra, nec immanes belluæ, qualia sunt cete, monstraque illa, quibus expositæ olim fuerunt Hesione, & Andromede.

29. *Non hic Andromedæ*] Quomodo fuerit olim Andromede propter matris suæ Cassiopes, quæ se Nymphis præposuerat, superbiam monstro marino exposita, dictum est ad Eleg. 28. Lib. 2. v. 21.

30. *Nec tremis Ausonias dapes. Phœbe.*] Sol fingitur olim ad Auroram revocato cursu retrocessisse, ne spectaret epulas humanas, appositosque liberos propriis parentibus comedendos; qualis fuit cœna Thyestea, quâ proprium filium Thyesti comedendum apposuit Atreus, Quale etiam convivium illud regis Thraciæ Terei, cui Progne conjux proprium filium Ityn apposuit etiam epulandum. Similes epulas in *Ausonia*, quæ & Italia, nunquam aversatum Solem exhorruisse significat Poëta, quia nimirùm Romana tellus tantis sceleribus non fuit obnoxia.

31. *Nec cuiquam arserunt ignes.*] De fato Meleagri, ejusque matris Althææ crimine fabulam tangit, quam pluribus Lib. 8. Metamorphos. Ovidius narrat. Hanc verò paucis verbis subjiciemus. Cùm natus esset Meleager, Parcæ stipitem quemdam flammis comburendum imposuerunt, dicentes tamdiu Meleagrum victurum, quamdiu stipes ille duraret inconsumptus ab *igne*. Althæa igitur arreptum stipitem extincto *igne* asservavit diligentissimè. Cùm autem aliquando accepisset fratres suos à Meleagro filio fuisse interfectos Althæa, doloris impatientiâ in furorem versa fatalem stipitem illum conjecit in *ignem*, quo exusto, Meleager etiam *absens* exustis intùs intestinis consumptus est, sicque, ut ait Propertius, mater filio paravit exitium. Ovidius Eleg. 6. Lib. 1. Trist.

Usque cremasse suum fertur sub stipite natum
Thestias, & melior matre fuisse soror.

Pentheä non ſævæ venantur in arbore Bacchæ,
Nec ſolvit Danaas ſubdita cerva rates.
Cornua nec valuit curvare in pellice Juno,
Aut faciem turpi dedecorare bove.
Arboreaſque cruces Scinis, & non hoſpita Grajis
Saxa, & curvatas in ſua fata trabes.
Hæc tibi, Tulle, parens, hæc eſt pulcherrima ſedes.

INTERPRETATIO.

Ibi furentes Baccha non inſectantur Pentheum arbori inſidentem, neque cerva ſuppoſita Danaas naves dimiſit, neque Juno potuit ibidem in pellice cornua recurva efformare, vel vultum fœdâ vaccæ figurâ deturpare. Ibi quoque nullus *habet Scinis arboreos cruciatus, neque petras Grajis inhoſpitales, in ſuamque ipſius perniciem flexas arbores. Iſta feliciſſima regio tua patria eſt, ô Tulle, tuumque jucundiſſimum domicilium.*

ANNOTATIONES.

33. *Penthea non ſæva venantur Bacchæ.*] Fabulam etiam tangit *Penthei*, quem Mænades, ſeu *Bacchæ*, hoc eſt, mater ipſius propria, duæque matertera *Bacchantes* arbori inſidentem diſcerpſerunt. De hac fabula dictum eſt ad Eleg. 17. v. 24 hujus Libri.

34. *Nec ſolvit Danaas ſubdita cerva rates.*] Attingit fabulam Iphigeniæ Agamemnonis filiæ, quæ cum eſſet immolanda ad placandos ventos, quorum flatus contrarii Græcorum in Aulide portu claſſem retinebant, cerva loco Iphigeniæ ad ſacrificium ſuppoſita eſt; quo peracto, mare fuit Græcis ad bellum Trojanum properantibus navigabile. Fabulam hanc attigimus Eleg. 7. v. 24. hujus Libri.

35. *Cornua nec valuit in pellice Juno.*] De Io in vaccam à *Junone* converſa fabulam intelligit, de qua etiam ſæpiùs dictum eſt, maximè verò Lib. 2. Eleg. 33. v. 13.

37. *Arboreaſque cruces Scinis.*] *Scinis* latro fuit famoſiſſimus ac crudeliſſimus, qui quondam Iſthmum Corinthiacum infeſtabat, duaſque arbores flectebat, quibus ſimul flexis homines utrinque alligabat, ut iiſdem arboribus in ſublime tenitentibus eorum membra diſcerperentur. *Cruces* autem hoc loco poſuit Poëta, pro eo omni inſtrumento, quod *cruciat*. *Iſte* enim modo *Scinis* homines *cruciabat* atrociſſimè. De *Scine* ſic Ovidius Lib. 8. Metamorphoſ.

Occidit ille Scinis magnis malè viribus uſus,
Qui poterat curvare trabes, & agebat ab alto
Ad terram latè ſparſuras corpora pinus.

Non hoſpita Grajis ſaxa.] *Saxa* Scyronia, ſeu petras Scyronidas intelligit à Scyrone latrone Megarenſi ſic dictas, qui viatores è ſcopulis in mare præcipitabat. De Scyrone dictum eſt ad Eleg. 16. hujus Libri v. 12.

38. *Curvatas in ſua fata trabes.*] Non, inquit, in Italia audita ſunt hujuſcemodi flagitia, quæ fuerunt apud Græcos, apud quos Althæa mater filium Meleagrum interfecit, Agave filium Pentheum in fruſta diſcerpſit, Iphigenia virgo mactata eſt; &c. Neque etiam fœminæ Romanæ in vaccas deformantur, quemadmodum Io à Junone dicitur in Græcia mutata. Non etiam in Italia Scinis & Sciron latrones graſſantur, neque quiſquam ibi in ſuam ipſius perniciem flexas *arbores* experitur. Quibus quidem ultimis verbis ſignificat Poëta Theſeum eadem omninò pœnâ affeciſſe Scinin latronem, quâ ipſe alios affecerat.

Hic tibi pro digna gente petendus honos.
Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum
Spes, & venturæ conjugis aptus amor.

INTERPRETATIO.

Ibi capessendi tibi sunt honores pro generis tui eximiâ claritate. Ibidem tibi præsto erunt *cives, qui eloquentiam* tuam audiant; *ibidem magna tibi spes posterorum, facilisque ac conveniens amor futuræ conjugis.*

ANNOTATIONES.

40. *Hic tibi pro digna, &c.*] Illic tibi capessendi sunt magistratus prout dignitas nobilitasque gentis tuæ postulat.

41. *Ad eloquium cives.*] Tibi præsto erunt cives, qui tuam facundiam audiant, vel quos eloquentiâ tuâ possis adjuvare,

ELEGIA XXIII.

DE TABULIS PERDITIS.

ERGO tam doctæ nobis periêre tabellæ,
Scripta quibus pariter tot periêre bona.
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
Qui non signatas jussit habere fidem.
Illæ jam sine me norant placare puellas,
Et quædam sine me verba diserta loqui.
Non illas fixum caras effecerat aurum,
Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescumque mihi semper mansêre fideles;
Semper & effectus promeruêre bonos
Forsitan hæc illis fuerant mandata tabellis:
Irascor, quoniam es, lente, moratus heri.
An tibi nescio quæ visa est formosior? an tu
Non bona de nobis crimina ficta jacis?
Aut dixit, Venias hodie; cessabimus una;
Hospitium totâ nocte paravit amor.
Et quæcumque dolens reperit non stulta puella,
Garrula quum blandis ducitur hora dolis.

INTERPRETATIO.

Nobis igitur tam eruditi pugillares amissi sunt, cum quibus una simul tot bona scripta perdita fuerant? Istas olim tabellas manibus meis ac puella simul usus detriverat, qui eas etiam non obsignatas fidem habere praecepit. Hæ quidem etiam, absente me, didicerant puellas iratas lenire, ac etiam facundas quasdam voces renuntiare. Istas aurum affixum pretio as non reddiderat; erat in buxo communi cera vilis. Sed quanquam viles essent, mihi tamen jugiter fideles permanserunt, meritoque suo felices rerum eventus perpetuò consecuta sunt. Ista forsasse iis in tabulis inscripta fuerant: succenseo tibi, ô piger quod hesternâ die venire distuleris. Num tibi nescio qualis alia tibi visa est pulcrior? Namquid falsas in me contumelias affingis? vel dixit; ad me venias hodie; nos una simul desidia dabimus operam; hospitium amor in omnem noctem praeparavit; & quidquid callida puella irata excogitat, quando tempus garriendo teritur blanditiis delusis.

ANNOTATIONES.

1. *Ergo tam docta.*] Amissos pugillares, in quibus res amatorias scribere consueverat, conqueritur, illique qui repertos sibi retulerit præmia pollicetur.

4. *Signatas.*] Etsi, inquit, illæ tabellæ sigillo non essent munitæ ac obsignatæ, iis tamen à me & à puellâ fides habebatur, quia sæpè manibus meis ac puellæ terebantur, nobisque erant familiares, ac notæ.

12. *Irascor.*] Hæc sunt verba, quæ forsan in tabellis erant inscripta. Convitium est puellare in lentum, ac tepidum amatorem.

Me miserum! his aliquis rationem ſcribit avari,
Et ponit duras inter ephemeridas.
Quas ſi quis mihi rettulerit, donabitur auro.
Quis pro divitiis ligna retenta velit?
I, puer, & citus hæc aliquâ propone columna;
Et dominum Exquiliis ſcribe habitare tuum.

INTERPRETATIO.

O *me infelicem! iſtis* in tabulis *quiſpiam expenſa avari* nunc *deſcribit, haſq; inter diaria moleſta ſtatuit. Has ſi quis mihi reddiderit, aurum accipiet. Quisnam malit lignum pro auro retinere? Vade, ô famule, & properans iſta alicui columnæ affige, herique tui ſignifica domicilium in Exquiliis eſſe.*

ANNOTATIONES.

20. *Inter Ephemeridas.*] Hoc in loco *Ephemerides* ſunt diaria rationum ſeu expenſarum diurnarum.

23. *Aliquâ inſcribe columnâ.*] Illa *propona* dicuntur, quæ publicis in locis omnium oculis exponuntur, ut conſpiciantur. *Columnæ* porrò illæ publicæ, quibus ſua programmata, libelloſque affigere, ac vulgare ſolebant veteres, erant vel templorum, ut Eleg. 14. Lib. 2.

Magna ego dona tuâ figam, Cytherea columnâ.

Vel in porticibus publicis, vel in Circo, vel in foro, aliiſque locis; qualis erat, v. c. *Columna Aurea* in foro Romano; *Columna Lactaria.* in foro Olitorio; *columna Mevia*, *Delphinorum Columna* in Circo &c.

Exquiliis ſcribe habitare.] Exquilia mons fuit urbis Romæ, qui & *Exquilinus* dictus eſt ab excubiis Tulli Hoſtilii regis, qui collem hunc urbi adjecit, & in eum, ut frequentius incoleretur, domicilium ſuum tranſtulit. Ab *Eſquiliis, Eſquilenus* lucus, *Exquilina* porta. In *Exquiliis* autem habitaſſe ſe hoc in loco dicit Propertius, ac etiam infra Lib. 4. Eleg. 8. De *Eſquiliis* Horat. Satyr. 8. Lib. 1. ait:

Nunc licet Eſquiliis habitare ſalubribus.

ELEGIA XXIV.

AD CYNTHIAM SUPERBIENTEM.

FALSA est ista tuæ, mulier, fiducia formæ,
Olim oculis nimium facta superba meis.
Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes.
Versibus insignem te pudet esse meis.
Mistam te variâ laudavi sæpe figurâ,
Ut quod non esses, esse putaret amor.
Et color est toties roseo collatus Eoo,
Quum tibi quæsitus candor in ore foret.
Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
Eluere aut vasto Thessala saga mari.
Hæc ego non ferro, non igne coactus, & ipsa
Naufragus Ægæâ verba fatebar aquâ.
Correptus sævo Veneris torrebar aheno:
Vinctus eram versas in mea terga manus.

INTERPRETATIO.

O mulier, inanis est ac vana illa tua pulcritudinis confidentia, quæ meo quondam aspectu facta est nimis arrogans. O Cynthia, amor meus hujusmodi formæ tibi largitus est existimationem ac gloriam; modo verò *erubescis te carminibus meis esse celebratam. Frequenter te variâ distinctam formâ prædicavi, ut sibi persuaderet amor te esse, quod reverâ non esses. Tuusque color est à me sæpè comparatus colori rubeo Auroræ, licet tamen arcessitâ fucatâque albedine facies tua niteret. Quod à me necessariis paterni non poterant avertere, nec maga Thessalica toto mari abluere. Ego ista nec gladio, nec flammis adactus, nec in naufragii discrimine per Ægæos fluctus constitutus dicta confitebor; Ego percitus infesto Veneris æstu coquebar, constrictus eram brachiis post tergum retortis.*

ANNOTATIONES.

1. *Falsa est ista tua, mulier.*] Arrogantiam fastumque Cynthiæ pulcritudinis formæque nomine superbientis insectatur, ac retundit; significatque sese carminibus eam celebrando effecisse, ut formosissima existimaretur, licet reverâ non esset. Lætatur denique se tandem ab ejus pedicis laqueisque amatoriis esse liberum.

Mulier.] Convitium illud est gravissimum superbæ fœminæ, cùm suo nomine appellatur.

7 *Color roseo collatus Eoo.*] Sæpè, inquit, comparavi *colorem* tuum *colori roseo* Orientis Auroræ; *Eous* dicitur Orientalis, ac etiam aliquando sumitur pro Lucifero; ut apud Virgil. Lib. 1. Georg.

Te matutinus flentem conspexit Eous,
Et flentem paulo vidit post Hesperus idem.

9. *Non patrii amici.*] De istorum hominum genere Propertius erat, qui non possunt amicorum consilio sibi moderari.

10. *Thessala saga.*] *Thessalicæ* mulieres erant artis magicæ, veneficiorumque peritissimæ. Significat autem tantum fuisse, quo tenebatur, amoris incendium, ut nec maga peritissima, quanquam omnes adhiberet aquas Oceani, posset illud extinguere.

Ecce coronatæ portum tetigêre carinæ,
Trajectæ Syrtes, anchora jacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus æstu,
Vulnera & ad sanum nunc coïêre mea.
Mens bona, si qua Dea es, tua me in sacraria dono.
Exciderant surdo tot mea vota Jovi.

INTERPRETATIO.

En linter mea *fertis redimita portum attigit; trajecta sunt Syrtes, anchora mihi jacta est. Jam tandem ingenti tempestate jactati mentem recipimus ac respiramus; vulneraque nostra ad sanitatem coaluerunt.* O *bona Mens, si Diva es aliqua, me tibi in tua templa addico; tam multa* namque *mea vota Jovi surdo non sunt exaudita.*

ANNOTATIONES.

15. *Portum tetigêre carinæ*] Hoc est, omnes effugi amoris procellas, omnes scopulos. Solebant autem veteres è longinqua peregrinatione redeuntes naves in portu consistentes sertis ac floribus coronare seu ornare. Ovidius Lib. 3. Amor. Eleg. 10.

Jam mea votivâ puppis redimita coronâ
Læta tumescentes æquoris audit aquas.

Idem etiam Ovid. Lib. 2. de remedio Amor.

——————— *fessæ date serta carinæ*
Contigimus portum. ——————

16. *Trajectæ Syrtes.*] De *Syrtibus* dictum est sæpiùs. Significat autem se penitùs omnia amoris discrimina ac tempestates evasisse.

19. *Mens bona.*] *Mentem bonam* Deam esse veteres existimarunt, eique sæpiùs supplicabant; ut etiam testatur Augustinus Lib 4. de civitate Dei cap. 21. Ovid. Lib. 6. Fastor.

Spem metus abstulerat, cùm Menti vota Senatus
Suscipit, & melior protinùs illa venit.

T. Livius Lib. 22. scribit Attilium prætorem ædem Menti vovisse, quam deinde Attilius Crassus Duumvir dedicavit. Augustus justitiam & *Mentem* in eadem æde consecravit.

Si qua Dea es.] Quandoquidem, inquit, Juppiter aures surdas votis meis hactenus adhibuit, ad templa tua confugio, ô Mens bona, si revera es in numero *Dearum*, meque tibi totum devoveo, ut per te scilicet resipiscam, & in meliorem frugem me recipiam.

20. *Exciderunt surdo Jovi.*] *Surdi* dicuntur etiam qui nolunt audire, vel votis annuere. Ex hoc loco perspectum est parum religiosè Jovem suum habuisse Propertium; de quo etiam suprà Eleg. 15. hujus Libri v. 21.

Si Deus es, tibi turpe tuam servire puellam.

Solet etiam *Jovem* irridere, ut suprà Eleg. 11. hujus Libri. v. 28. & 66. & Eleg. 3. v. 12. Eleg. ultima Lib. 2. v. 18. aliisque in locis.

ELEGIA XXV.

AD AMICAM.

RISUS eram positis inter convivia mensis,
Et de me poterat quilibet esse loquax.
Quinque tibi potui servire fideliter annos.
Ungue meam morso sæpe querere fidem.
Nil moveor lacrymis; ista sum captus ab arte.
Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles.
Flebo ego discedens, sed fletum injuria vincit;
Tu bene conveniens non sinis esse jugum.
Limina jam nostris valeant lacrymantia verbis,
Nec tamen iratâ janua fracta manu.

INTERPRETATIO.

Fabula, ludibriumque fui conviviis tuis, ô Cynthia, *ad epulas accumbentibus, ac quisque de me potuit esse disertus. Per annos quinque sustinui famulari tibi inviolatâ cum fide. Frequenter roso pollice dolebis, quod fidelitatem meam amiseris. Sed* nunc *fletibus non commoveor, hoc* olim *artificio sum in fraudem inductus.* O *Cynthia, jugiter consuevisti lugere ex insidiis. Ego te relinquens lugebo; verùm nunc crimen* erga me *tuum lacrymas supprimit. Tu jugum bene conveniens esse non pateris. Nunc valeant fores meis querelis flentes, ac ostium* à me quamvis *irato non effractum.*

ANNOTATIONES.

1. *Risus eram.*] Conqueritur se fuisse *risui*, ludibrioque epulonibus, qui de ipso, ipsiusque amoribus inter calices & pocula confabulantes loquaciter procaciterque garrierant. Postquam verò Cynthiæ, quam receptus ad meliorem mentem prorsùs relinquit, fraudes perfidiamque exprobravit, ejusque Januæ vale dixit, ipsi rugas, senium, ac omnes diras, ærumnasque imprecatur.

3. *Quinque tibi annos servire.*] Obdurantis est, ac increpantis, ut illud Eleg. 8. hujus Libri:

Ergo tam multos nimiùm temerarius annos,
Improba qui tulerim teque tuamque domum.

4. *Ungue morso.*] *Ungues* rodere, ac *mordere*, gestus est dolentium, ac iratorum hominum.

Sæpè querere fidem.] *Sæpè querelis tuis* dolorem tuum testaberis, quod tuâ culpâ meam *fidem* amiseris.

5. *Nil moveor lacrymis.*] *Lacrymis* quoque fœminarum, quibus nihil est fraudulentius, non esse credendum in primis etiam docuit Ovidius Lib. 1. de remed. Amor.

Neve puellarum lacrymis moveare caveto.
Ut flerent, oculos erudière suos.

Idem etiam Lib. 3. de Arte amandi.

Quo non ars penetrat? discunt lacrymare decenter,
Quoque volunt, plorant, tempore, quoque modo.

8. *Bene conveniens jugum.*] Ferre non potes, ut jugum tuum, servitium, seu connubium concors sit, aptum, justum, ac tolerabile.

9. *Limina lacrymantia.*] Sic loquitur, quasi Cynthiæ janua, quam sæpè exclusus irrigavit fletibus, querelis ipsius etiam illacrymaret.

At te

At te celatis ætas gravis urgeat annis,
Et veniat formæ ruga sinistra tuæ.
Vellere tum cupias albos à stirpe capillos;
Ah! speculo rugas increpita te tibi.
Exclusa inque vicem fastus patiare superbos;
Et quæ fecisti, facta queraris anus.
Has tibi fatales cecinit mea pagina Diras;
Eventum formæ disce timere tuæ.

INTERPRETATIO.

Sed molesta senectus te pondere suo premat, occultis tectisque annis, rugaque inimica pulcritudinis faciem tuam occupet. Tunc velis canos crines radicitùs evellere; Heu! speculo tibi rugas exprobrante. Tunc etiam vicissim deserta perpetiaris dura fastidia, factaque vetula doleas eadem, quæ aliis quondam fecisti. Mei versus istas tibi diras exitialesque prædixerunt ærumnas. Disce metuere id, quod tuæ pulcritudini debet accidere.

ANNOTATIONES.

13. *Vellere tum cupias.*] Fœminæ canescentes, ut ætatis vitium occultent, canos *capillos* clàm radicitùs evellunt. Tibullus noster Lib. 1. Eleg. 8.

Tollere tunc cura est albos à stirpe capillos,
Et faciem demptâ pelle referre novam.

Hinc Augusti ille jocus celebratur, qui cum aliquando filiam Juliam canos evellentem deprehendisset, interrogavit. *Cana esse mallet, an calva?* Cùmque respondisset se malle esse canam; *Quid ergo*, inquit, *te calvam facis?*

17. *Fatales Diras.*] *Diræ* sunt Furiæ, seu malorum ultrices Deæ, quæ apud Inferos dicuntur Eumenides. Per *Diras* hic intelliguntur execrationes, imprecationes, ac quæcumque ærumnæ, calamitates, & infortunia. De *Diris* dictum est in notis ad illud Tibulli Eleg. 7. Lib. 2.

Tunc tibi, Lena, precor Diras, satis anxia vivas,
Moveris è votis pars quotacumque Deos.

18. *Eventum formæ.*] Non bene vaticinatus est Propertius: Cynthia namque non consenuit, sed integrâ adhuc florentique ætate interiit; ut ex Eleg. 7. Lib. 4. perspicuum est.

LIBRI TERTII FINIS.

SEXTI AURELII PROPERTII ELEGIARUM LIBER QUARTUS.

ELEGIA I.

DE URBE ROMA.

HOC, quodcunque vides, hospes, quam maxima Roma est;
Ante Phrygem Æneam collis & herba fuit.
Atque ubi navali stant sacra palatia Phœbo,

INTERPRETATIO.

Istud, quidquid cernis, ô advena, quantacumq; Roma est, ante Phrygem Æneam mons & gramen erat. Et quo in loco templum Phœbo navali conditum est,

ANNOTATIONES.

1. *HOc, quodcunque vides.*] Omissis paululùm rebus amatoriis, ad res serias ac graves stilum convertit Propertius, blandeque quasi hospitem ac peregrinum quempiam compellans, altiusque repetens urbis Romæ primordia, vitam priscorum Romanorum rudem, moresque ac ritus rusticanos ingenios describit. Deinde quemdam Vatem seu Astrologum inducit, à quo se fingit res futuras edoctum fuisse. & à scribendo carmine heroïco deterritum, ut pote qui non sit ad hoc idoneus.

2. *Ante Phrygem Æneam.*] Dicitur *Phryx Æneas*, qui Trojanus fuit, quia nimirùm in *Phrygia* Asiæ minoris Provincia Troja civitas *Æneæ* patria sita fuit.

Collis & herba fuit,] Sic etiam Ovid. Lib. 5. Fastor.

Hic ubi nunc Roma est orbis caput, arbor, & herba,
Et paucæ pecudes, & casa rara fuit.

3. *Navali sacra palatia Phœbo.*] Templum Apollinis in *Palatio* seu monte *Palatino* constructum ac dedicatum ab Augusto post victoriam Actiacam significat. Fuit & aliud templum *Phœbo* seu A-

Evandri profugæ procubuêre boves.
Fictilibus crevêre Deis hæc aurea templa,
Non fuit opprobrio facta sine arte casa.
Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat,
Et Tiberis nostris advena bobus erat.
Quo gradibus domus ista Remi se sustulit, olim
Unus erat fratrum maxima regna focus.

INTERPRETATIO.

Evandri vaccæ vagæ jacuerunt. Ista delubra auro undequaque illita è simulacris Deorum testaceis sic aucta sunt, neque tunc dedecori fuit rude tugurium. Tarpeius parens è frigido saxo fulgurabat, ac tauris nostris tunc Tiberis peregrinus erat. Ubi verò hoc Remi palatium paulatim exstructum est, unica casa fuit summum fratrum imperium.

ANNOTATIONES.

pollini dicatum extra portam Carmentalem inter forum Olitorium, & Circum Flaminium, cujus meminit Cicero in Epistolis ad Atticum.

4. *Evandri boves profugæ.*] Nemo nescit Palatium seu Palatinum montem ante Romam conditam ab Arcade *Evandro* fuisse habitatum; unde idem *Evander* dicitur a Virgil. Lib. 9. Æneid. Palatinus. *Evander* porrò Arcas fuit, seu ex Arcadia Peloponesi provincia oriundus, qui cùm patrem casu interfecisset, avito regno pulsus, suadente matre, quæ vates erat, navim conscendens in Italiam venit, pulsisque Aboriginibus populis, ea loca tenuit, ubi postea Roma condita est. De *Evandri* exilio Ovid. Lib. 1. Fastor. ac etiam Virgil. Lib. 8. Æneid.

Me pulsum patriâ, pelagique extrema sequentem
Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum
His posuêre locis.——

5. *Fictilibus crevêre Deis.*] Ista templa aurea in hanc altitudinem ac majestatem accreverunt ex illis parvis ac vilibus delubris, in quibus *fictilia Deorum* erant simulacra, quia nimirùm simul cum imperii majestate aucta est, & templorum majestas, & amplitudo. *Deos* autem hic posuit Poëta pro *Deorum* simulacris, quæ *fictilia* quondam fuerunt. Ovid. Lib. 1. Fastor.

Juppiter angusta vix totus stabat in æde,
Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.

6. *Sine arte casa.*] Remi Romulique ædes ac palatia erant è rudibus lignis & impolitis constructa tuguria, neque id opprobrio, aut infamiæ ducebatur, quia tunc paupertate gloriabantur, quæ nunc tanquam vitium exprobratur.

7. *Tarpeïus pater.*] Juppiter intelligitur, qui *Tarpeia* arcis, seu Capitolii præses, ac Deus tutelaris erat; unde & Juppiter Capitolinus dictus est. Vide annotat. ad Eleg. 11. Lib. 3. v. 45.

Tonare porrò dicitur *Juppiter nuda de rupe*, quia priscis olim temporibus *rupes* Tarpeia, quæ & Capitolium, inculta erat, deserta, ædificiisque vacua.

9. *Domus ista Remi.*] *Domus Remi* dicitur urbs Roma, ubi cum fratre *Remo* Romulus habitavit; unde & Romani Catullo dicuntur *Remi nepotes*.

10. *Unus erat fratrum focus.*] Unica pastoris Faustuli Remi Romulique educatoris casa, vel etiam Remi, vel Romuli tuguriolum amplissimum fuit fratrum una pariter regnantium imperium.

Curia prætexto, quæ nunc nitet alta senatu,
  Pellitos habuit rustica corda patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites,
  Centum illi in prato sæpè senatus erat.
Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro;
  Pulpita solemnes non oluêre crocos.
Nulli cura fuit externos quærere Divos,
  Cùm tremeret patrio pendula turba sacro.
Annuaque accenso celebrare Palilia fœno,
  Qualia nunc curto lustra novantur equo.

INTERPRETATIO.

Curia, quæ jam prætextato Senatu superba fulget, pelliti patribus, animis agrestibus constabat. Cornu vocabat ad concionem veteres Quirites, sæpiusque in campo centum hujusmodi curiam confecere. Laxa sparsa tunc theatro contavo non appendebantur, nec pulpita crocum effusum redoluerunt. Nemo curabat peregrina numina longè accersere; cum sacrificiis more ritusque patrio peractis attonita plebs contremisceret. Palilia verò, quæ quotannis tunc inflammato fœno celebrabant, iis erant similia, quæ jam quinto quoque anno, decurtato equo, peraguntur.

ANNOTATIONES.

11. *Curia.*] *Curia* nomen est ordinis ac loci. Hic videtur accipi pro loco, in quo senatus habebatur.

12. *Pellitos habuit rustica corda patres.*] *Patres* dicit animos agrestes ac *rusticos*, quos etiam *pellitos* vocat, quia nimirum erant pastores & aratores, pellibusque induebantur.

13. *Buccina cogebat priscos Quirites.*] Veteres Romanos ad concionem vocabat *buccina* clangor per cornicinem datus, ut cum Propertio testatur etiam Varro Lib. 5. de Ling Lat.

14. *Centum illi.*] Testatur etiam cum Propertio Livius Lib 1. *Centum* creavisse Senatores Romulum, quos *patres* vocavit, & quorum posteri dicti sunt *Patritii*

In Prato.] Quia scilicet plerique Senatores tùm pastores erant, qui sub Jove frigido facilè durabant.

15. *Vela theatro.* De *velis theatralibus* vide annotat ad Eleg. 18 Lib. 3. v. 13.

16. *Pulpita non oluêre crocos.*] *Pulpitum est* inquit Isidorus Lib. 15. cap. 14. *locus in quo lector positus in publico conspici potest à populo, ut liberiùs audiatur.*

Crocos porrò *solemnes* vocat; qui spargi solebant ludis *solemnibus* seu anniversariis, & qui statis fiebant diebus. De qua quidem profusione Martial. Lib. 5 Epigram. 26.

Hoc, rogo, num meliùs, quam rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuso permaduisse croco?

19. *Annuaque Palilia.*] Festa *Palilia* dicta sunt à *Pale* pastorum Dea, ut Cerealia, à Cerere; quæ quidem *Palilia* Romæ quotannis celebrabantur undecimo Calendas Maias, qui dies est urbi natalis, & vigesimus secundus mensis Aprilis Sic autem celebrabantur *Palilia*. Cum fœno stipulas congerebant, ignemque magnum accensum transiliebant, sic sese expiari credentes. Unde & Ovid. Lib 4. Fastor.

Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos
Transiliant celeri strenua membra pede.

20. *Curto lustra novantur equo*] *Lustrum* quinquennale tempus est, quo quondam quinto quoque anno urbs *lustrabatur*. quod *Lustrum* Servius Tullus Romanorum rex instituit, cùm

Vesta coronatis pauper gaudebat asellis;
 Ducebant macræ vilia sacra boves.
Parva saginati lustrabant compita porci,
 Pastor & ad calamos exta litabat ovis.
Verbera pellitus setosa movebat arator,
 Unde Licens Fabius sacra Lupercus habet.

Interpretatio.

Tunc *inops Vesta coronatis asinis lætabatur, macilentaque boves humilia ac sine sumptu sacra vehebant. Pingues exigua compita sues expiabant, opilioque ad fistulam porrectis pecorum visceribus Deos placabat. Agricola pellibus indutus villosa quatiebat lora, unde lascivus Fabius Lupercus sacra sua habet.*

Annotationes.

exercitum in campo Martio facto sacrificio de sue, ove, & tauro *lustravit.*

Fuit autem postea *lustrum* opus Censorum, qui completo quoque quinquennio populum *lustrabant.* Dicit autem *Lustra curto equo novari*, quia nimirum in sacrificiis *lustri* quinquennalibus *lustratio* fiebat cum sanguine caudæ equinæ, quæ decurtabatur, sicut in sacrificiis Palilionum, in quibus erat etiam suffimen sanguis equinus, ut eleganter refert Ovid. Lib. 4 Fastor.

Sanguis equi suffimen erit, vituli que favilla,
Tertia res duræ culmen inane fabæ.

21. *Vesta coronatis gaudebat asellis.*] Vel sensus est; ut *Vesta Asellorum* dorso gestari gauderet, ut Isis, & Cybele; vel ut in sacris Deæ *Vestæ* panibus *Aselli* coronarentur, rudi seculo, dum *Vesta* erat pauper.

Consualibus autem *asellos* & equos coronari solitos fuisse scribit Ovid. Lib. 6. Fastor.

Ecce coronatis panis dependet asellis
Et velant scabras sordida serta molas.

22. *Ducebant vilia sacra boves.*] Tunc *boves sacra ducebant* ad templa in pauperrimis plaustris. Solebant autem apud Romanos *sacra* curru ad templa duci; ut testatur Virgil. Lib. 8. Æn.

23. *Lustrabant compita porci.*] Festa *Compitalia* instituta sunt à Servio Tullo rege. Erant autem Laribus, eorumque matri Maniæ sacra, quibus *Porci*, sicut & Cereri & Telluri immolabantur. De his vide annotat. ad Tibul. Eleg. ultimâ Lib. 1.

24. *Exta litabat ovis.*] *Litare* propriè est sacrificio peracto placare numen, propitiare, veniamque impetrare; sacrificare verò est veniam petere. Ad fistulæ concentum pastores sacra sua peragebant, ovemque sacrificabant.

25. *Verbera pellitus movebat arator.*] Olim in festis suis solemnibus agricolæ *pellibus* induti scuticas, & lora è *pellibus* caprinis quatiebant, quibus obvios quosque ferire solebant. Sed postquam Luperci fuerunt instituti ritum hunc ab agricolis eumdem mutuati in sacris suis observarunt, ut ex versu sequenti manifestum est.

26. *Unde Licens Fabius sacra Lupercus habet.*] Ad agricolarum exemplum *Luperci* Panos agrorum Dei tutelaris sacerdotes per licentiam ac lasciviam quamdam nudi discurrentes, ac scuticas & lora quatientes obviis infligebant flagella. Unde *Licens dicitur Lupercus*, quia nimirùm protervus, ac lascivus. Vide Livium Lib. 1. Festum in *Crepos* & in *Februarius*, Varron. Lib. 4 de Ling. Lat. Servium in 8. Æneid Plutarch. in Romulo, Ovid. Lib. 2. Fastor. &c.

Lupercus autem dicitur *Fabius*, à *Fabio*, & *Quintilius* à *Quintilio*, unde & *Luperci* dicti sunt *Fabiani* & *Quintiliani*; quia nempè à Remo, & Romulo primùm duo *Lupercorum* præpositi fuerunt instituti, nimirùm *Fabius* & *Quintilius*, quorum hic à Romuli,

Quippe suburbanæ parvâ minus urbe Bovillæ,
Et qui nunc nulli, maxima turba Gabii;
Et stetit Alba potens albæ suis omina nata,
Hâc, ubi Fidenas longè erat ire, viâ.
Nil patrium nisi nomen habet Romanus alumnus;
Sanguinis ultricem nunc pudet esse lupam.
Huc melius profugos misisti Troja Penates,
O quali vecta est Dardana puppis ave!
Jam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
Læserat abiegni venter apertus equi,
Cùm pater in nati tremulus cervice pependit,
Et verita est humeros urere flammâ pios.
Tunc animi venêre Decii, Brutique secures,

INTERPRETATIO.

Siquidem tunc urbs Roma *minor erat oppidulo Bovilla suburbana. Gabiique, qui jam extincti sunt, maxima* fuit *populi frequentia: tunc etiam floruit Alba potens albæ suis ostento condita eo in itinere, quo fuit ad Fidenas via longinqua. Populus Romanus nihil paternum retinet, præter nomen; jam lupam erubescit habere suæ gentis nutricem. Istuc, ô Troja, Deos tuos Penates feliciùs transmisisti. O quam fausto auspicio Dardana classis delata est* in Italiam! *Augurio tùm faustum illi pollicebantur eventum, quod equi lignei alvus aperta ipsi non nocuerit, quando parens in filii collo tremens suspensus est, ignisque pios lædere timuit humeros. Tùm deinde Decii magnanimi ac Bruti secures prodiêre,*

ANNOTATIONES.

Fidenatibus, de Camerinis iterùm, ac tertium de Veientibus; ut refert idem eodem in loco Dionys. Halicarn. & Plutarch. in Romulo, & Titus Livius Lib. 1.

33. *Bovillæ suburbana.*] *Bovillæ* civitas fuit in Latio non procul ab urbe Roma, unde dicitur *Suburbana.*

34. *Gabii.*] *Gabii.* & Bovillæ, quæ loca nunc vix nomen retinent, primis nascentis Romæ temporibus habebantur in pretio, erantque instar civitatum, quibus longè minus erat oppidulum Roma. *Gabii* porrò stadiis centum distabant ab urbe Roma, medio itinere inter Romam ac Præneste.

35. *Alba potens.*] *Albam* civitatem sub *Albano* monte condidit Ascanius Æneæ filius, quam ita vocatam fuisse dicit cum Virgilio Propertius, ab omine suis *albæ* quæ triginta porcellos pepererat.

36 *Fidenas.*] *Fidena* civitas fuit distans ab urbe Roma 30. stadiis, cujus incolæ dicti sunt *Fidenates*, quos Romulus devicit.

38. *Sanguinis ultricem.*] Romani nunc, inquit, fateri nolunt lupam fuisse nutricem Romuli suæ gentis auctoris.

40. *Dardana puppis.*] O quam, inquit, fausto dextroque auspicio Trojana navis Æneam portans delata est in Italiam.

42. *Abiegni venter apertus equi.*] Felix illud fuit augurium, quod Æneæ ipsiusque navibus antequam Troja excederet, & mare conscenderet, nihil nocuerit *equus* ille ligneus, ex quo Græci in urbem Trojam effusi sunt. Nota est historia equi illius Trojani, quam latè prosequitur Virgil. Lib. 2. Æneid.

43. *Cùm pater nati.*] Anchises nimirùm filii sui Æneæ cervice succollatus.

45. *Decii Brutique secures.*] Tunc temporis, inquit, in Italiam venerunt animosi *Decii*, fortesque *Bruti*. De De-

Qualia creverunt mœnia lacte tuo!
Mœnia namque pio conor diſponere verſu;
Hei mihi quod noſtro eſt parvus in ore ſonus.
Sed tamen exiguo quodcunque è pectore rivi
Fluxerit, hoc patriæ ſerviat omne meæ.
Ennius hirſutâ cingat ſua dicta coronâ;
Mi folia ex hedera, porrige, Bacche, tua.
Ut noſtris tumefacta ſuperbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.
Scandentes ſi quis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros æſtimet ille meo.
Roma, fave, tibi ſurgit opus; date candida cives
Omina, & incœptis dextera cantet avis.

INTERPRETATIO.

Quam alti muri lacte tuo extructi ſunt! Hos autem muros carminibus meis celebrandos aggredior. Heu me! quod exigua mihi ſit vena; verùm nihilominùs quidquid rivuli manabit ex tenui ingenio, id totum patria mea ſit addictum ac mancipatum. Ennius ſcripta ſua redimiat corollâ hiſpidâ; mihi verò, ô Bacche, præbe frondes ex hedera tua, quò mea Umbria ſcriptis meis ſuperba glorietur; Umbria, inquam, *Romani Callimachi patria. Si quis è planis campis ſeſe attollentia propugnacula viderit, is illa mœnia æſtimet ex meo ingenio.* O *Roma, votis meis annue; in tui gratiam novum carmen oritur.* O *Romani, felicia date auſpicia, meiſque cœptis proſpera ales accinat.*

ANNOTATIONES.

ſermonem convertit, quæ Remum Romulumque dicitur lacte ſuo nutriviſſe, cùm eos ad Tiberis ripam expoſitos repeririſſet. Hiſtoria notiſſima eſt, quam pluribus verbis proſequuntur Titus Livius Lib. 1. Dionyſius Halicarn. Florus Lib. 1. cap. 1. Juſtin. Lib. 13. Velleius Patercul. Lib. 1. &c.

Martia porrò dicitur *lupa*, tùm quia *lupi Marti* Deo dicuntur ſacri, quia rapto vivunt, tùm quia illa *lupa Martis* filios, Remum & Romulum lacte ſuo nutrivit.

61. *Ennius hirſuta*] Ut *Ennio* Epici Carminis Poëtæ, qui primus res Romanas verſu heroïco ſcribere aggreſſus eſt, corona detur ex frondibus aſperis, ac *hirſutis*, quales lauri ſunt, ac Myrti, petit Propertius, modò ſibi Lyricorum ac Elegiacorum carminum ſcriptori tempora cingantur hederâ Baccho ſacrâ.

63. *Noſtris Umbria Libris.*] *Umbria* Italiæ regio fertiliſſima; quæ nunc ducatus dicitur Spoletanus, patria fuit noſtri Propertii, quam ſuis Elegiarum Libris cupit illuſtrari.

64. *Romani patria Callimachi.*] *Callimachi* Latini nomen vehementer ambiebat Propertius, ut ex hoc tùm loco videre eſt, tùm ex Eleg. 1. Lib. 3. Equidem in primis æmulatus eſt *Callimachum* Propertius, qui talis eſt apud Romanos, qualis eſt apud Græcos *Callimachus*, Elegiarum ſcriptor.

67. *Roma fave.*] Cœptis meis annue, ô Roma, novum enim in tuam laudem oritur carmen; & favete, Quirites, felixque avis proſpero cantu ſuo fauſtum det auſpicium.

68. *Dextera cantet avis.*] Opus aliquod arduum aggreſſuri captabant auguria veteres, aveſque à dextra parte cantantes, vel volantes felicitatem; à ſiniſtra verò denuntiare putabant infortunium.

Sacta, diesque canam, & cognomina prisca locorum;
Has meus ad metas sudet oportet equus.
Quo ruis imprudens vage dicere facta, Properti?
Non sunt à dextro condita fila colo.
Accersis lacrymis cantus: aversus Apollo.
Poscis ab invita verba pigenda lyra.
Certa feram certis auctoribus; haud ego vates
Nescius æratâ signa movere pilâ.
Me creat Archytæ soboles Babylonius Horos,
Horos, & à proavo ducta Conone domus.
Dii mihi sunt testes, non degenerasse propinquis,
Inque meis libris nil prius esse fide.

INTERPRETATIO.

Sacros ritus, & dies festos referam, ac antiqua locorum nomina. In hocce stadio, hosque ad limites necesse est, ut equus meus desudet. O incaute & inconstans Properti, quò temerè raperis ad canendas historias! Stamina tua non sunt à dextra colu contexta. Fletibus tuis cantus adjungis; sed tibi non favet Apollo: petis carmina pœnitenda à cithara renuente. Ego vera tibi dicam veris ex auctoribus. Non ego sum astrologus, qui nesciam, quaenam signa in anea sphærâ moveantur. Horos Babylonius Archytæ filius me procreavit, meaque gens à Conone atavo orta est. Deos ego testor à parentibus me non descivisse, & in meis scriptis nihil esse potius, ac antiquam veritate.

ANNOTATIONES.

69. *Sacra diesque canam.*] Loquitur quasi fastos Romanos esset scripturus, quibus sacra, ritusque *sacrorum, diesque* festi ac profesti recenserentur.

71. *Quò ruis imprudens.* Verba sunt Vatis, seu Astrologi cujusdam, quem inducit Poëta, à quo se fingit fuisse de rebus futuris edoctum, ac deterritum à scribendis rebus gravioribus ac bellicis.

72. *Non sunt à dextra*, &c.] Opus, inquit, quod à te texitur, non est à colu felici ac fausta deductum; quia nimirùm vires tuas superat, ad id non es idoneus, ac denique tibi infensus Apollo versus cothurnatos suggerere renuit.

73. *Accersis cantus lacrymis.*] Tu qui fles amores tuos, ad lacrymas vis adjungere cantus, ac res lætas, sacra scilicet diesque festos.

74. *Poscis ab invita.*] *Lyram* tuam, quasi esset Musa, oras, ut tibi versus suppeditet, quæ non alia futura sunt; quam quorum te, lectoresque pœniteat: erunt enim versus malè nati.

76. *Signa movere pila.*] *Pilam æratam* vocat sphæram æneam, quæ rotunda est instar *pilæ*, quam invenisse dicitur Archimedes.

77. *Me creat Archytæ soboles.*] *Archytas* Philosophus eximius fuit Pythagoricus, patriâ Tarentinus, qui columbam ligneam ita affabrè effinxit, ut vivæ volatum imitaretur.

Babylonius Horos.] *Horos* vel *Horus Babylonius* dicitur non à patria, sed à professione, quia nimirùm *Babylonii* seu Chaldæi peritissimi semper habiti sunt Astrologi seu Vates, & Genethliaci; de quibus vide Strabonem Lib. 16. & Ciceron. Lib. 1. & 2. de Divinat.

78. *A proavo ducta Conone domus.*] *Conon* insignis fuit Mathematicus ex Samo insula oriundus, qui septem de rebus Astrologicis Libros edidit.

Nunc pretium fecêre Deos, & fallitur auro
Juppiter. Obliquæ signa iterata rotæ,
Felicesque Jovis stellas, Martisque rapaeis,
Et grave Saturni sydus in omne caput,
Quid moveant Pisces, animosaque signa Leonis,
Lotus & Hesperiâ quid Capricornus aquâ,
Dicam. Troja cades, & Troïca Roma resurges,
Et maris, & terræ longa sepulcra canam.
Dixi ego, cum geminos produceret Arria natos,
Illa dabat natis arma vetante Deo,
Non posse ad patrios sua pila referre Penates.
Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.
Quippe Lupercus equi dum saucia protegit ora,

INTERPRETATIO.

Jam in lucrum, quæstumque Deorum religionem verterunt, auroque decipitur Juppiter. Ego canam signa sepiùs decursa rota obliqua, faustum, beneficumque Jovis sidus, violentasque avidi Martis stellas, ac perniciosum in omnes mortales astrum Saturni, quid Pisces moliantur, quid furibundi Leonis sidus, quidque Capricornus Hesperio mari perfusus. Corrues, ô Troja, tuque, ô Roma Troïca, renasceris; dicamque diuturna longinquaque & maris & terra funera. Ego prædixi, cùm duos filios Arria produceret (ipsa namque iis arma dabat, Deo invito ac prohibente) non posse eos ad paternos Penates tela sua reportare. Equidem nunc duo illorum sepulcra vaticiniorum meorum veritatem confirmant. Nam dum Lupercus os equi graviter vulneratum tutatur,

ANNOTATIONES.

81. *Nunc pretium fecere Deos.*] Astrologos ac Mathematicos insectatur, qui pecuniam, & aurum Deorum habent loco, & qui pretio corrupti fortunatam genituram, fataque salutaria emeu tiuntur.

Inde verò *falli* dicitur *auro Juppiter*, quia propter aurum lucrandum Astrologi stellam Jovis beneficam ac faustam alicui assignant in genitura, qui stellam fortasse Saturni perniciosam habet.

82. *Obliqua rota.*] Orbita Solis seu Zodiacus, in quo duodecim signa sunt, intelligitur. Per *obliquum* enim Zodiacum Sol inflectitur, signaque sæpiùs *oblique* tramite percurrit.

83. *Felicesque Jovis stellas.*] Profitetur Astrologus ille se siderum naturam, rerumque cœlestium causas habere perspectissimas, cur nimirùm *Jovis Stella* sit benigna, Martis verò malefica, Saturni perniciosa.

85. *Quid moveant pisces.*] *Quid Pisces*, quid *Leo*, quid *Capricornus*, quid *Hesperia*, in genitura dominantes portendant.

88. *Longa sepulcra canam.*] *Sepulcra* posuit pro funeribus. Quænam verò sint illa funera, quæ prædicit, non liquet, nisi forsan de terræ, maris, ac universi mundi interitu loqui intelligatur.

89. *Dixi ego.*] Orationem persequitur Genethliacus, probatque ab exemplo se peritissimum esse vatem, quandoquidem *Arria* cuidam fœminæ, cùm duos filios ad bellum mitteret, prædixerat, illos domum salvos & incolumes non esse redituros.

90. *Arma dabat natis.*] Filios ad bellum mittebat, invitis Diis.

93. *Lupercus.*] *Lupercus & Gallus* duo sunt Arriæ filii, qui, ut prædixe-

Heu sibi prolapso non benè cavit equo.
Gallus at in castris dum credita signa tuetur;
Concidit ante aquilæ rostra cruenta suæ.
Fatales pueri duo funera matris avaræ!
Vera sed invito contigit ista fides.
Idem ego cùm Cynaræ traheret Lucina dolores;
Et facerent uteri pondera lenta moram.
Junonis votum facite impetrabile, dixi.
Illa parit, libris est data palma meis.
Hoc neque arenosum Libyæ Jovis explicat antrum;
Aut sibi commissos fibra locuta Deos,
Aut si quis motas cornicis senserit alas,

INTERPRETATIO.

Eheu! equo concidente, sibi parùm consuluit. Gallus verò dùm commissa sibi vexilla protegit, corruit ante rostra sanguine respersa aquilæ suæ. O filii fatales, duo matris avaræ funera! Hæc certa vaticinii mei veritas evenit mihi, sed renuenti. Ipse ego, cùm Lucina Cynaræ parientis *dolores protraheret, ventrisque onus tardius moraretur, dixi, votum exorabile Junoni nuncupate. Cynara statim parit:* exinde *scriptis ac vaticiniis meis palma donata est. Id non docet specus sabulosa Jovis Libyci, nec exta, quæ Deorum voluntatem sibi creditam enuntiant, nec quicumque intellexerit agitatas corniculæ pennas;*

ANNOTATIONES.

rat Astrologus, in bello perierunt; alter equi lapsu extinctus, alter dum aquilam suam tuetur interemptus.

99. *Cùm Cynaræ traheret Lucina dolores.*] Significat etiam Astrologus se *Cynaram* puellam partus dolores patientem citra mortis periculum parituram prædixisse, si Junoni votum faceret. Quod cùm evenisset, omnes eum veridicum agnoverunt, librosque ejus Astrologicos in summo habuerunt pretio.

Lucina à parturientibus invocari solita dicebatur Latinis *Juno Lucina*, Græcis *Illythyia*.

103. *Libyci Jovis antrum.*] Hammonis Jovis oraculum in extrema Libya situm, ac toto orbe celeberrimum significat, de quo vide Curt. Lib. 4. Plin. Lib. 6. cap. 29. Arrian. Lib. 3. Diod. Sicul Lib. 17.

104. *Fibra locuta Deos.*] *Fibræ* sunt jecinoris extremitates, seu, ut alii malunt, venæ quædam & nervi, qui decurrunt per jecur. *Fibræ* tamen etiam dicuntur de cæteris visceribus, perinde ac de jecinore.

Fibra porrò dicitur *loqui Deos sibi creditos*, cùm per aruspicinam ex *fibris* ab aruspice exploratis futura cognoscuntur, & voluntas Deorum aperitur. Aruspices enim diligentissimè considerabant, quid periculi, quid commodi exta portenderent, quid jecur, quid reliqua viscera denuntiarent. Ovid. Lib. 15. Metamorphos.

> *Protinùs ereptas viventi corpore fibras*
> *Inspiciunt, mentemque Deûm scrutantur in illis.*

Fibram enim veteres putabant voluntatem Deorum habere commissam ac veluti inclusam, unde *fibra* dicitur Tibullo nostro *Deorum conscia*, Eleg. 1. Lib. 2.

> *Eventura precor, viden ut felicibus extis*
> *Significet placidos conscia fibra Deos.*

105. *Cornicis senserit alas.*] Ostendit *cornicem* non cantu tantum, sed etiam volatu facere auspicium, ideoque non modo *oscinem*, sed & *alitem* esse.

Umbraque nec magicis mortua prodit aquis.
Aspicienda via est cœli, versusque per astra
Trames, & ab zonis quinque petenda fides.
Exemplum grave erit Calchas. Namque Aulide solvit
Ille bene hærentes ad pia saxa rates.
Idem Agamemnoniæ ferrum cervice puellæ
Tinxit, & Atrides vela cruenta dedit.
Nec rediêre tamen Danai: tu diruta fletum
Supprime, & Euboïcos respice, Troja, sinus.

INTERPRETATIO.

nec etiam umbra mortui hominis aquis magicis id indicat. Speculandum est iter Cæli, & callis flexus per sidera, prædictionumque *veritas à quinque Zonis est arcessenda. Magnum exemplum Calchas fuerit.* Hic enim Græcorum *naves ad pios scopulos benè morantes ex Aulide dimisit. Ubi idem suum gladium cruentavit collo virginis Agamemnoniæ. Atrides statim lintea funesta ventis commisit. Nihilominùs Danai non sunt reversi. Tu verò, ô Troja, eversa lacrymas cohibe, & oculos reflecte ad freta Euboica.*

ANNOTATIONES.

106. *Magicis aquis.*] Quas scilicet spargunt in suis nefariis sacris magi.

107. *Versusque per astra trames.*] Zodiacum circulum intelligit.

108. *A Zonis quinque.*] In *quinque Zonas*, quas alii dicunt fascias, cœlum seu mundus dividitur, ut testatur Virgilius:

Quinque tenent cœlum Zonæ. &c.

Harum duæ extremæ frigidæ sunt. media adusta ac penitùs torrida, duæ verò intermediæ temperatæ. De his jam suprà dictum est pluribus.

109. *Exemplum grave Calchas.*] *Calchas* fuit Græcorum Augur; qui cum ipsis ad expeditionem Trojanam profectus est. Ostendit autem ipsius *Calchantis* exemplo aruspicinam esse mendacem; ariolosque & aruspices esse fallaces & vanos præstigiatores. *Calchas* enim ariolandi scientiâ præstantissimus, postquam ex Aulide portu solvissent Græci, prædixit eos in patriam eversâ Trojâ victores sospitesque redituros; quod tamen secùs accidit, quam prædixerat. Nam omnes ferè ad Caphareum promontorium Euboicum, ad quod Nauplii dolo eorum classis delata est, naufragio perierunt; ut suprà jam diximus. Meliùs ergo classis Græcorum hæsisset in Aulide, cui *Calchas* vates auctor fuit, ut solveret, mactatâ Iphigeniâ Agamemnonis filiâ, ad Dianam ventosque placandos.

110. *Benè hærentes.*] Quia feliciter inde moveri non poterant, adversis ventis; quoniam illa mora proderat Græcis ipsis ad Trojam perituris.

Ad pia saxa.] Quia bella, cædesque prohibebant. Scribit autem Strabo Lib. 9. regionem illam, in qua Aulis est portus, *saxosam* ac petrosam esse.

111. *Agamemnonia puella.*] *Calchas* Iphigeniam *Agamemnonis* filiam ad placandos ventos ac Dianam, dum ad portum Aulidem classis consisteret Græcorum, jussit immolari.

112. *Atrides vela cruenta dedit.*] *Atrides* est Agamemnon, qui ipse sanguine filiæ Iphigeniæ mactatæ cruentatus, ad Trojam navigavit.

114. *Euboïcos sinus.*] *Sinus* est major maris recessus intra terræ veluti duo brachia longiùs procurrens. Hic autem Poëta per *Euboicos sinus* Caphareum promontorium, seu Caphareas cautes, & saxa significat, ubi classis Græcorum post deletam eversamque Trojam Nauplii dolo naufragium fecit.

Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Græcia pressa tuis.
Victor Oilide rape nunc, & dilige vatem,
Quem vetat avelli veste Minerva suâ.
Hactenus historiæ: nunc ad tua devehor astra.
Incipe tu lacrymis æquus adesse novis.
Umbria te notis antiqua Penatibus edit,
Mentior? an patriæ tangitur ora tuæ?
Quà nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et lacus æstivis intepet umber aquis,

INTERPRETATIO.

Nauplius accendit nocte faces vindices spoliisque tuis oppressa Græcia mergitur. O Oilide, jam voti compos abripe, ac deperi vatem, quam Minerva prohibet à suo amiculo abstrahi. Huc usque historia. Jam ad tuum natale sidus venio: Incipe tu præsens carminibus novis favere. Umbria nobilis te claris Penatibus genuit. An mendax sum? An patria tua fines non attinguntur? Qua nimbosa Mevania agro humili ac concavo rore semper manat, & lacus Umber tepescit æstivis aquis.

ANNOTATIONES.

115. *Nauplius.*] Palamedis pater, rex Eubœæ insulæ ut ulcisceretur necem filii, qui fuerat Ulyssis artibus in expeditione Trojanâ interemptus, Græcis captâ jam Trojâ in patriam redeuntibus, & tempestate laborantibus ex Caphareo monte noctu facibus accensis ignes ostendit; quos, cùm existimarent Græci indicare portum tutissimum, illuc deductâ classe inter asperrimos scopulos naufragium fecerunt; unde versu sequenti dicitur *natare Græcia oppressa* spoliis Trojanis. Vide quæ dicta sunt ad Eleg. 7. Lib. 3. v. 39.

117. *Victor Oilide.*] Ajaci Oilei filio insultat, qui furiis amoris agitatus Cassandram *vatem* in templo Minervæ violavit; quæ causa fuisse potissima dicitur Græcorum naufragii; quamvis etiam ipse fulmine perculsus ob hoc crimen periisset. Vide Virgilium Lib. 1. Æneid.

123. *Nebulosa Mevania.*] *Mevania* Civitas Umbriæ ad viam Flaminiam sita, de qua Lucanus ait Lib. 1.

——— *Thuriferis ubi se Mevania Campis*

Explicat. ——— ———

Mevania porrò dicitur *nebulosa*, quia licet in planitie sita sit, valles tamen circumjacentes, agrique pingues ac rore multo madentes nebulas exhalant, quibus continuò ferè respergitur.

Mevaniam urbem plures loci hujus auctoritate ducti Propertii patriam esse contendunt. Scaliger verò *Mevaniam* regionem esse, non urbem existimans Ameriam civitatem in colle sitam, agro *Mevaniensi* vicinam Propertio natale solum decretorio quasi judicio assignavit. Lilius Giraldus Ferrariensis, Franciscus Alumnus etiam Ferrariensis, Justus Lipsius, Laurentius Schraderus Halberstadiensis, Christophorus Saxus Perusinus Assisium Propertio ortum dedisse scripserunt. Nonnulli etiam Fulginiam, alii Trebiam, Montefalchium alii, alii Vectonium, alii Perusiam eidem Propertio patriam adstruunt.

Omnium verò novissimus Thaddæus Domnola Jurisconsultus anno Domini 1629. Fulginiæ Librum edidit reconditioris eruditionis plenum, qui penes me est, ut Propertio nostro sedem natalem Hispellum Umbriæ civitatem assereret.

124. *Lacus intepet Umber.*] Nonnulli, ut Scaliger, significari volunt lacum Vadimonis, nunc *lago di Bassa-*

Scandentiſque axis conſurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.
Oſſaque legiſti non illâ ætate legenda
Patris, & in tenues cogeris ipſe Lares.
Nam tua cùm multi verſarent rura juvenci,
Abſtulit excultas pertica triſtis opes.
Mox ubi bulla rudi demiſſa eſt aurea collo,

INTERPRETATIO.

& eminentis collis juge ſeſe attollunt mœnia carminibus tuis clariora. Tu quoque cineres collegiſti eâ ætate non colligendos, patris nimirùm, ipſeque ad domum parvam & exilem compelleris. Cùm enim plurimi boves agros tuos exercerent, infelix decempeda nitida rura cultiſſimaſque facultates eripuit. Deinde cùm bulla aurea tibi adoleſcenti è collo penderet.

ANNOTATIONES.

nello, à caſtro Baſſano, cui adjacet, ſic dictum. Et quia Plinius Junior Lib. 8. Epiſt. 22. Vadimonis lacum in Amerino agro ſitum deſcribit: inde, & ex hoc loco Propertii Scaliger more ſuo Thraſonico putavit omnes homines, atque adeò ipſos Umbros ſe docere poſſe non aliam, quàm Ameriam urbem fuiſſe Propertii patriam.

Alii verò per *lacum Umbrum lacum* Velinum deſignari putant, qui non procul ab Interamna civitate, vulgò *Piedeluco*, nunc *il lago di piedeluco*, nomen accepit.

Thaddæus verò Domnola Libro ſuo doctiſſimo de patria Propertii per *lacum Umbrum* Clitumni fluvii fontes Hiſpello vicinos deſignari contendit, ut inde probet ſuam urbem Hiſpellum, non Mevaniam, aut Ameriam, ortum dediſſe Propertio. Cùm enim idem Plinius Lib. 8. Epiſtol. 8. fontes Clitumni deſcribens dixerit illos, locumque vicinum Hiſpellatibus Auguſtum dediſſe, qui ibidem balineum publicè præberent hoſpitium; inde conatur evincere locum hunc Propertii nonniſi de Clitumni fontibus rectè poſſe explicari.

125. *Scandentiſque arcis.*] Quæcumque tandem fuerit Propertii patria, ſive Mevania, ſive Hiſpellum, ſive Amelia, ſive quæcumque civitas alia, eam ille vocavit *ſcandentem arcem*, quæ nimirùm de plano & humili campo aſſurgens, & in colle ſeu editiori clivo ſita ſeſe attolleret; ut perſpicuè huic omninò reſpondens Elegiæ hujus declarat verſus 65.

Scandentes ſi quis cernet de vallibus arces.

Alii verò legunt, *ſcandentis axis*; nos verò lectionem antiquam retinemus.

127. *Oſſaque legiſti.*] Propinqui ac neceſſarii cremato cadavere defunctorum, extincto rogo, completoque funere, oſſa reliquiaſque colligere ſolebant, quas urnis incluſas tumulo inferebant.

128. *In tenues cogeris ipſe Lares.*] Amiſſo patre adhuc junior Propertius in anguſtam & exilem domum ſub matris cuſtodia, ubi & arctè habitus eſt, compulſus fuiſſe videtur.

130. *Pertica triſtis.*] Romani ſolebant agros *perticis*, ſeu decempedis menſos attribuere Veteranis. Quod quidem accidiſſe ſibi teſtatur Poëta. Significat enim fuiſſe ſe poſſeſſionibus paternis pulſum, & ad paupertatem redactum, agroſque ſuos *perticâ triſti* deſcriptos aliis fuiſſe aſſignatos.

131. *Bulla aurea* Ornamentum fuit pueris ingenuis attributum. Macrobius Lib. 1. Saturnal cap. 6 ait *bullam* illam *auream* in cordis figuram ante pectus annexam fuiſſe, quam inſpicientes ita demùm ſe homines cogitarent, ſi corde præſtarent.

Matris & ante Deos libera ſumpta toga.
Tùm tibi pauca ſuo de carmine dictat Apollo;
Et vetat inſano verba tonare foro.
Et tu finge elegos fallax opus, hæc tua caſtra;
Scribat ut exemplo cætera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patiere ſub armis,
Et Veneris pueris utilis hoſtis eris.
Nam tibi victrices, quaſcumque labore paraſti,
Eludet palmas una puella tuas.
Et benè cum fixum mento diſcuſſeris uncum,
Nil erit hoc, roſtro te premet anſa ſuo.
Illius arbitrio noctem, lucemque videbis,
Gutta quoque ex oculis non niſi juſſa cadet.
Nec mille excubiæ, nec te ſignata juvabunt
Limina, perſuaſæ fallere rima ſat eſt.
Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
Vel licet armatis hoſtis inermis eas,
Vel tremefacta cavo tellus deducat hiatum,
Octipedis cancri terga ſiniſtra time.

INTERPRETATIO.

& coram maternis Laribus virilis toga data eſt; tùm etiam Apollo aliquid tibi inſpiravit de ſua vi verſus fingendi, prohibuitque te verba facere in foro clamoſo. Sed tu, inquit, *Elegias ſcribe, carmen ad fallendum aptum; iſta ſunt tua caſtra; ut reliqua multitudo* Poëtarum *te imitata idem faciat. Veneris bellum feres jucundis in armis, Venerisque pueris utilis adverſarius eris. Unica enim fœmina quotquot induſtriâ tuâ quæſiviſti laudes triumphales tuas inanes reddet, cùmque uncum collo penitùs impactum excutere conatus fueris; id fruſtra fiet; anſa te ſuo hamo constringet. Ad hujus placitum noctes dieſque duces, nullaque ex oculis tuis lacryma manabit niſi ejus juſſu expreſſa. Neque mille vigiliæ, neque obſerata fores proderunt. Decipere, aut effugere volenti* unica *ſufficit rimula. Jam quamvis tua navis vaſtis jactetur fluctibus, aut quamvis ſine armis occurras armatis hoſtibus, aut concuſſa terra profundas rimas agat, octipedis tantùm Cancri læva poſteriora fuge.*

ANNOTATIONES.

132. *Matris & ante Deos.*] Sub *matris* tutela, ac in ejus exili domo poſt mortem patris, paternis etiam pulſus poſſeſſionibus, educatus eſt Propertius, unde & coram ejuſdem matris Laribus, ut mos erat, togam virilem ſumpſit.

138. *Veneris pueris.*] Cupidinibus, quorum gloriam cum ipſis bellando auxit Propertius.

141. *Mento diſcuſſeris uncum.*] Quo magis amoris te jugo conaberis ſubducere, hoc arctius alligaberis. Eſt metaphora ſumpta ab unco illo, qui reorum ac fontium gutturi, gulæ, collo, aut *mento* impingebatur, ut à carnifice traherentur in carcerem, vel in ſcalas Gemonias. Ovid. in Ibin.

Carnificisque manu populo plaudente traheris,
Infixusque tuis oſſibus uncus erit.

150. *Octipedis Cancri.*] Ab *octo pedibus*, quos habet *Cancer*, *octipes* dicitur, ut *bipes*, *multipes* &c. Cur autem Poëtæ ſit metuendus *Cancer*, incertum eſt; niſi forſan ipſius, aut avaræ Cynthiæ natale fuerit aſtrum,

ELEGIA II.

ELEGIA II.

FABULA VERTUMNI.

QUID mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna Dei.
Thuscus ego, & Thuscis orior, nec pœnitet inter
Prælia Volsinios deseruisse focos.
Hæc me turba juvat, nec templo lætor eburno;
Romanum satis est posse videre forum.

INTERPRETATIO.

CUr admiraris tot meas unico in corpore figuras? Audi Vertumni Dei patrias notas. Ego sum Thuscus, ac è Thuscis originem duco, neque me pœnitet inter pugnas Lares Volsinienses reliquisse. Multitudine istâ delector, nec æde eburneâ gaudeo; mihi sufficit spectare posse forum Romanum.

ANNOTATIONES

1. *QUid mirare meas.*] Inducitur hâc Elegiâ Vertumnus vires suas multiplices, ac varias formas referens, causasque cur Vertumnus nuncupetur, locumque ubi colatur indicans.

2. *Signa Vertumni Dei.*] *Vertumnus*, vel, ut alii volunt, *Vertumnus Deus* ita dictus est, vel ab anno verso, vel quod præesse crederetur rebus vertendis, hoc est permutandis, vendendis, vel emendis. Acron verò dixit *Vertumnum* esse *Deum* humanarum cogitationum præsidem, ideoque multiformem fingi & inconstantem, quemadmodum & hominum cogitationes variæ sunt, ac mutabiles. Unde, qui suas cogitationes regere non possent, dicebantur *iniquo Vertumno nati*, ut ait Horat. Lib. 2. Satyr. 7. Asconius in 3. Verr. scribit *Vertumnum Deum* esse mercaturæ. Dicitur autem *Vertumnus* fuisse rex antiquissimus Thuscorum, qui vinearum, & arborum pomiferarum serendarum rationem tradiderit, cui Thusci illi, qui cum Lucumone in auxilium Romulo contrà Tatium Sabinorum regem venerunt, Romæ templum ædificarint in vico Thusco, ubi & simulacrum ejus constitutum est, ut testatur Varro Lib. 4. de Lingua Latina.

Festa verò *Vertumni*, quæ *Vertumnalia* dicebantur Octobri mense, quotannis celebrabantur.

Vertumni porrò fabulam, qui Pomonam dicitur amavisse, prosequitur Ovidius Lib. 14. Metamorphos.

3. *Thuscus ego.*] *Thuscus* fuit Vertumnus, quia is Deus fuit Hetruriæ; unde & Varro dicit ejus statuam stare Romæ in vico Thusco, ubi à Thuscis templum ei constructum est.

A Thuscis orior.] Ex Hetruria duxit originem Vertumnus, cujus rex vetustissimus fuisse perhibetur.

4. *Volsinios focos.*] Non malè secum actum fuisse putat Vertumnus, quod *Volsinios* deseruerit, ut Romam migraret, dum Romani *Volsinios* debellarent.

Volsinii porrò, seu *Volsinium* civitas Hetruriæ fuit opulentissima, quam totam olim fuisse fulmine concrematam refert Plinius Lib. 2. cap. 52. De bello *Volsiniensi* cum Romanis scripsit Livius Lib. 5. & 9. ubi *Volsinienses* pacem petiisse, & inducias in annos 40. dicuntur impetrasse.

5. *Hæc me turba juvat.*] Frequentia nimirùm ac ingens populi Romani multitudo.

6. *Romanum forum.*] Ad differentiam *fori* Piscarii, Boarii, Olitorii &c. Nam P. Victor Romæ *fora* 17. fuisse refert, quorum primum ac maximum fuit *fo-*

Hac quondam Tiberinus iter faciebat: & aiunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis;
Vertumnus verso dicor ab amne Deus.
Seu quia vertentis fructum percepimus anni,
Vertumni rursùs credidit esse sacrum.
Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hîc dulces cerasos, hîc autumnalia pruna
Cernis, & æstivo mora rubere die.
Insitor hîc solvit pomosâ vota coronâ,
Cùm pirus invito stipite mala tulit.
Mendax fama noces, alius mihi nominis index;

INTERPRETATIO.

Hunc olim fluebat Tiberinus; ac fama est remorum sonitus in undis ibi impulsis auditos fuisse. Verùm ubi tantumdem populo tribuit, ut de via decederet, vocor ego Vertumnus Deus è mutato fluminis cursu. Vel quando vertentis anni fructus collegimus, vulgus etiam tùm Vertumni sacrum esse existimavit. Primi racemi mihi nigrescentibus uvis maturescunt, spicarumque cacumen grano lactenti turgescit. Hic vides mitia cerasa, istic pruna autumnalia, moraque æstivâ tempestate rubentia. Hic insitor vota sua reddit coronâ è pomis confectâ, cùm pirus trunco reluctante poma pretulit. O fama fallax, mihi molesta es, dum aliud mihi nomen esse indicas;

ANNOTATIONES.

rum Romanum, ubi jus dicebatur, ut infra Eleg. 4. videbimus:

Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis
Stabant Romano pila Sabina foro.

7. *Hac quondam Tiberinus iter faciebat.*] *Tiberis* fluvii numen dicitur *Tiberinus*; utrumque Poëta confundit. Significat autem olim per forum, quâ parte fuit Velabrum, *Tiberim* fluxisse. Tibul. Eleg. 5. Lib 2.

At quà Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pullâ per vada linter aquâ.

Ovid. etiam Lib. 6. Fastor. idem non modò testatur, sed addit etiam Propertio nostro concinens ab averso amne dictum fuisse Vertumnum; sic enim scribit:

Hac ubi nunc fora sunt uda tenuêre paludes.
Amne redundatis fossa madebat aquis.
Curtius ille lacus siccas qui sustinet aras,
Nunc solida est Tellus, sed lacus ante fuit.
Quà Velabra solent in Circum ducere pompas
Nil præter salices, cassaque canna fuit.
Sæpè suburbanas rediens conviva per undas
Cantat. & ad nautas ebria verba jacit.
Nondum conveniens diversis iste figuris
Nomen ab averso ceperat amne Deus.

Tiberis alveum à Velabro fuisse aversum ab Agrippa Menenio scribit Porphyrio.

13. *Prima mihi*] Postquam dixit Vertumnus se nomen habere ab amne verso, & a vertentis anni fructibus perceptis, sibi primitias etiam fructuum voveri solvique significat. Fuit enim etiam Deus hortorum; unde à multis idem esse cum Priapo creditus est.

15 *Hic dulces cerasos.*] Arborem pro fructu posuit.

De se narranti tu modò crede Deo.
Opportuna mea est cunctis natura figuris.
In quamcumque voles, verte, decorus ero.
Indue me Cois; fiam non dura puella,
Atque virum sumptâ quis neget esse togâ?
Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno;
Jurabis nostrâ gramina secta manu.
Arma tuli quondam, & memini laudabar in illis,
Corbis & imposito pondere messor eram.
Sobrius ad lites; at cùm est imposta corona,
Clamabis capiti vina subisse meo.
Cinge caput mitrâ, speciem furabor Iacchi,
Furabor Phœbi, si modò plectra dabis.
Cassibus impositis venor: sed arundine sumptâ,
Faunus plumoso sum Deus aucupio.
Est etiam aurigæ species Vertumnus, & ejus
Trajicit alterno qui leve pondus equo.
Suppetat hoc, pisces calamo prædabor, & ibo
Mundus demissis institor in tunicis.

INTERPRETATIO.

tu tandem adde fidem Deo de seipso loquenti. Formis omnibus natura mea apta est: in quamlibet me transmuta, jucundus ero; indue me Cois vestibus, *ero fœmina non inelegans, & indutâ togâ* virili, *quis me hominem esse non fateatur? Prabe mihi falcem, fœnoque implexo mihi frontem tege: jurejurando affirmabis herbas meis manibus esse resectas. Olim fui miles, ac recordor, armatus laudabar; sed dein imposito mihi corbis onere, messor exstiti.* Sum ego *sobrius ad lites; ubi verò fronti corona addita est, affirmabis in meum caput merum irrepsisse. Impone mitram capiti* meo, *Iacchi formam induam; si verò mihi plectrum prabueris, Phœbi quoque speciem referam. Datis mihi retibus, sum venator; acceptis verò calamis, viminibusque viscatis, fio Deus Faunus aucupio plumeo. Vertumnus est quoque rhedarii figura, illiusque qui ab uno equo in alium velox corpus transfert. Si verò sit opus, arundine cum hamo pisces capiam, fluentibusque ac laxis vestibus, ero cultus institor.*

ANNOTATIONES.

23. *Indue me Cois.*] Vestibus *Cois* uti consuevisse mulieres Romanas jam dictum est sæpiùs.

Dicuntur autem *Coa* vestes à *Coo* insula maris Ægæi Cariæ opposita, ubi ex tenuissimo bombyce singulari cultu texebantur.

25. *Da falcem,*] *Falcem* intelligit, quam vocant *fœnariam*. Solebant enim *fœnisecæ* sibi frontem herbis cingere ad arcendum Solis ardorem.

31. *Speciem furabor Iacchi.*] Inter alia cognomina Bacchus dicitur etiam *Iacchus*, qui mitram capite gestare consueverat, quemadmodum & Phœbus plectro citharam pulsans effingi solebat.

34. *Faunus aucupio.*] Fauni silvarum, agrorumque Dii sunt habiti à veteribus. Virg. Lib. 1. Georgic.

Et vos agrestum præsentia numina Fauni.

38. *Institor.*] Dicitur ille, qui tractandæ negotiationi ab alio præponi-

Pastorem ad baculum possum curare, vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.
Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima fama est,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Cæruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
Me notat, & junco brassica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti langueat ante meæ.
At mihi quod formas unus vertebar in omnes,
Nomen ab eventu patria lingua dedit
At tu, Roma, meis tribuisti præmia Thuscis,
Unde hodie vicus nomina Thuscus habet.
Tempore quo sociis venit Lycomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati;

INTERPRETATIO.

Si detur pedum, pastorem agere possum, ac etiam mediâ æstate portare rosas in canistris. Quid autem insuper addam, unde mihi summa nominis celebritas, hortorum munera in meis manibus laudata? Cæruleus cucumer, inflatoque ventre cucurbita, brassicaque tenui scirpo alligata me designat. Neque ullus flos in pratis aperitur, qui non priùs aptè capiti meo impositus marcescat. Mihi verò, quia in cunctas figuras mutabar, sermo patrius ab effectu nomen imposuit. Sed tu, ô Roma*, Thuscis meis præmia largita es, unde etiam nunc vicus Thuscus nomen retinet, Quâ tempestate Lucomedius fœderatis armis in auxilium venit* Romulo*, ac vires Sabinas Tatii ferocis fregit;*

ANNOTATIONES.

tur, ut negotio diligenter insistat, diciturque *Institor* mercis, cauponæ, tegetis, &c. Gallicè dicitur, *un facteur, un Courtier.*

42. *Hortorum dona.*] Significat ab olitoribus, hortulanis, & ab agricolis cultum fuisse Vertumnum, ipsique fuisse libata hortorum agrorumque munera; unde & scribit in horto suo Columella:

Mercibus & vernis dives Vertumnus abundat.

49. *Præmia Tuscis.*] Sermonem convertit ad urbem Romam, cui gratulatur, quod olim *Tuscos* in sinum suum receperit, vicumque in quo habitarent, largita sit.

50. *Unde vicus Thuscus*] Cùm olim Lucumon, qui etiam Propertio dicitur Lycomedius, *Thuscorum* dux, seu rex venisset in auxilium Romuli contra Tatium Sabinorum regem, redactis in ordinem Sabinis, Romulus regionem locumque in urbe sua *Thuscis* attribuit, in quo habitarent, qui *vicus Thuscus* dictus est; *Thuscique* tunc tertiam populi partem constituerunt; ut dictum est Eleg superiori v. 29. Sic sentiunt de *vici Thusci* nomine hoc in loco Propertius, & Varro Lib. 4. de Ling Latina. Sed T. Livius Lib. 2. & Dionys. Halicarn. Lib. 5. rem aliter narrant. Scribunt enim post ictum cum Porsena fœdus Hetruscos in bello Aricino fusos, ac fugatos Romam venisse, quibus liberaliter datus est locus ad habitandum inter Palatinum & Capitolinum colles, qui exinde dictus est *vicus Thuscus.*

51. *Lycomedius.*] De *Lycomedio*, qui & *Lucumon*, dictum est tùm versu præcedenti, tùm Elegiâ superiori v. 29.

52. *Contudit arma Tati.*] De *Tatio* Sabinorum rege, qui cum Romulo bellum gessit, ac deinde fœdus iniit, dictum est fusè Elegiâ superiori, quam videsis.

Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
Atque hostes turpi terga dedisse fugæ.
Sed facias Divum sator, ut Romana per ævum
Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant versus: te, qui ad vadimonia curris,
Non moror, hæc spatiis ultima meta meis.
Stipes acernus eram properanti falce dolatus,
Ante Numam gratâ pauper in urbe Deus.
At tibi, Mamuri formæ cælator ahenæ,
Tellus artifices ne terat Osca manus:
Qui me tam docilis potuisti fundere in usus:
Unum opus est, operi non datur unus honos.

INTERPRETATIO.

ego conspexi acies inclinatas, ac fugientes, armaque abjecta, hostesque infami fugâ dilapsos. At verò tu fac, ô Deorum pater, ut frequens populus Romanus togatus semper ante pedes meos prætereat. Sex restant carmina; te, qui properas ad vadimonium, non detineo. Ista datur meta curriculis meis. Eram truncus acernus celeri falce obiter fabricatus, Divus inops ante Numam in jucundâ civitate. Sed tibi, ô Mamuri, statuæ meæ æneæ fabricator, Osca terra ne premat manus doctas; qui me scivisti ad tam varios usus facilem fingere; unicum est opus, sed ipsi multiplex honor tribuitur.

ANNOTATIONES.

56. *Turba togata.*] Frequens Populus Romanus, quem dixit Virgilius.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

57. *Ad vadimonia curris.*] *Vadimonium* est sponsio seu obligatio ad certum diem sistendi in judicio. Consuetudo namque erat, cùm reus parùm esset idoneus rebus inceptis, ut alterum pro se vadem daret; inde dictum est *vadimonium*, quod quidem turpe erat deserere, unde dicitur ille *ad vadimonia currere*, ne scilicet causâ cadat.

58. *Ultima meta.*] Limes ac finis cujusque rei, diciturque per metaphoram à Circo sumptam, ubi currebatur ad metas.

59. *Stipes acernus eram.*] Apud Romanos veteres erant Deorum simulacra vel lignea, vel fictilia, ex quorum numero sine dubio fuit Vertumnus, qui ita de se loquitur, ut Priapus ille Horatianus:

Olim truncus eram ficulnus.

60. *Ante Numam.*] *Numa* fuit primus Romanorum rex post Romulum, significat autem Vertumnus se Numæ temporibus ex ligneo factum fuisse æneum.

61. *Mamuri.*] *Mamurius* faber fuit ærarius celeberrimus, qui Vertumni simulacrum opere singulari ex ære finxit.

62. *Tellus Osca.*] Significat Mamurium statuarium *Oscos* habuisse patriam vel saltem apud *Oscos* fuisse sepultum. *Osci* porrò fuerunt Campaniæ populi, apud quos erant figlinæ. Hi etiam *Opsci* dicti sunt ab oris fœditate, unde & *Oscena* & *Obscœna* verba, id est, impudica, quia familiaris valde fuit *Oscis* libidinum spurcarum usus.

Hæcne marita fides, & pactæ jam mihi noctes,
Cùm rudis urgenti brachia victa dedi?
Quæ mihi deductæ fax omen prætulit illa
Traxit ab everso lumina nigra rogo.
Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta data est, nupsi non comitante Deo.
Omnibus heu portis pendent mea noxia vota,
Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.

INTERPRETATIO.

Itane est fides conjugalis, ac noctes mihi promissæ, quando nuptiarum expers & imperita victas tibi instanti manus dedi? Illa tæda quæ mihi nubenti ominis gratiâ præluxit, atros ignes à dejecto busto concepit. egoque sum perfusa Stygiâ palude. neque recta vitta crinibus meis innexa est. nupsi sine Deo comite. Eheu! omnibus in portis mea votiva dona obnexia suspenduntur: fit à me ista quarta lacerna in usus militiæ tuæ.

ANNOTATIONES.

Indi decolorantur. Ut ait etiam Tibull. Lib. 2 Eleg 3

Illi sint vemites fusci, quos India torret.
Solis & admotis inficit ignis equis.

Ipse etiam Propert, Lib. 3. Eleg. 13.

Felix Eois lex funeris una maritis
Quos Aurora suis rubra colorat equis.

13. *Deducta fax omen prætulit.*] Ominis causâ *facem* puellæ nubenti *præferre* solebant veteres, ut dictum est ad illud Catulli ex epithalamio Manlii Car 61.

——— ——— *Pineam quate tædam.*

Illudque erat nuptialis ritus solemne, ut nova nupta domum mariti *deduceretur* à duobus pueris, qui matrimi & patrimi dicebantur, tertio facem nuptialem præferente.

15. *Stygio sparsa lacu.*] In sacris conjugalibus ignis & aqua adhibebantur, hisque nuptiarum fœdera sanciebantur, ut mulier aquam atque ignem cum viro communicaret, quia nimirùm hæ duæ res humanam vitam maximè continent; unde aquâ & igni interdici solet damnatis, qui his uti non merentur, ut scribit Festus.

Tria porrò nuptiarum infelicium omina ponit. Primùm cùm ait, *Stygio sum sparsa lacu*, hoc est, in aquâ tristi ac infaustâ *Stygis* Inferorum paludis. Secundum cùm dicit:

——— *Nec recta capillis*
Vitta data est.

Novæ enim nuptæ, *rectas vittas* gestare sicut & matronæ solebant; virginum enim vittæ non rectæ, sed quodammodo jacentes residentesque erant. Tertium denique cùm ait.

16. *Nupsi non comitante Deo.*] Hoc est, Hymenæo non deducente; *nuptiarum* enim præses *Deus* habebatur Hymenæus; adeò ut nuptiis, quæ infelices & infaustæ essent, putaretur non adfuisse.

17. *Portis pendent mea vota.*] In *portis* nempe templorum, vel urbium; his enim utrisque donaria sua ac votivas tabellas solebant veteres appendere. De *portis* templorum testis Tibullus Eleg. 1. Lib. 1.

Flava Ceres tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

De *portis* autem urbium, in quibus erant Deorum simulacra, quæ prætereuntes salutabant, quibus etiam vota offerebant, testis etiam Propertius hâc ipsâ Eleg. v. 71.

Armaque cùm tulero porta votiva Capena.

18. *Quarta lacerna.*] Dicit se jam tres *lacernas* militares conjugi suo mis-

Occidat immeritâ qui carpsit ab arbore vallum,
Et struxit querulas rauca per ossa tubas.
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno:
Æternusque tuam pascat, aselle, famem.
Dic mihi num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis imbelles atterit hasta manus?
Hæc noceant potiùs, quàm dentibus ulla puella
Det mihi plorandas per tua colla notas.
Diceris, & macie vultum tenuasse: sed opto,
E desiderio sit color iste meo.
At mihi cùm noctes induxit vesper amaras,
Si qua relicta jacent, osculor arma tua.

INTERPRETATIO.

Ille pereat, qui ex arbore innocenti vallum decerpsit, ossibusque ad invicem junctis mœstas tubas construxit. Ille fuit Ocno retrogradiente dignior qui funem texeret, quique assiduè semper tuam famem satiet, ô Asine. Verùm fatere mihi, nonne thorax molles humeros tibi cruciat? Nonne dura hasta manus tuas militia ac labore non assuetas lædit? Utinam ista potiùs te lædant, quam ulla fœmina morsibus suis collo tuo notas inurat mihi lugendas. Diceris quoque faciem macie deformasse, sed opto, ut pallor ille è mei desiderio tibi proveniat. Ubi verò vesper tristes mihi noctes reduxit, deosculor quæcumque arma tua mihi relicta supersunt.

ANNOTATIONES.

fuisse, & quartam se texere, quæ etiam ipsa transmittatur ad usum militiæ & castrorum. Illud quidem in consuetudine & usu fuisse positum apud matronas Romanas, ut ad viros suos militantes *lacernas* mitterent testatur Ovid. Lib. 2. Fastor.

Mittenda est domino, nunc nunc properate puellæ,
Quamprimum nostrâ facta lacerna manu.

20. *Rauca per ossa tubas.*] Significat Propertius olim *osseas* fuisse *tubas*, quæ posteà ex ære constructæ sunt.

21. *Obliquo funem qui torqueat Ocno.*] *Ocnus* vir quidam apud Inferos multis insignium artificum picturis celebratus, quem effinxerunt *funem* perpetuò torquentem, astante asellâ, quæ quantum ille torsisset, statim perroderet. Inde ductum est proverbium; *Ocnus funiculum torquet*: quod in eos maximè dicitur, qui cùm nihil laboris, neque industriæ ad augendam rem familiarem prætermittant, nihilo tamen redduntur ditiores, quod nimirùm domi habeant asellam, uxorem scilicet prodigam, quæ quidquid misellus multis sudoribus corrasit, strenuè profundit. Fabulam illam refert Pausanias in Phocicis.

Dicitur etiam fuisse quondam pictus à Sociate *Ocnus* piger spartum torquens, quod asellus arroderet.

Dicitur *obliquus* à positu corporis, qui enim funes torquent, seu restiones *obliquo* gradu, seu retro gradiuntur

26. *Plorandas per tua colla notas.*] Malo, inquit, ut lorica, hastaque tua te lædant, quam pellex ulla collo tuo dentium *notas* infigat, ut illic nequitiæ & libidinis signum appareat, ut infrà Eleg. 5.

Semper habe morsus circa tua colla recentes.

29. *Vesper.*] Dicitur stella Veneris; quæ & *Hesperus*, *Vesperus* & *Vesperugo* nuncupatur; quæ ubi noctem præcedit, noctifer ac *vesper* vocatur, ubi verò diem ducit Lucifer dicitur.

Tum queror

Tum queror in toto non sidere pallia lecto,
Lucis & auctores non dare carmen aves.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
Et Tyria in radios vellera secta suos.
Et disco quâ parte fluat vincendus Araxes,
Quot sine aquâ Parthus millia currat eques.
Cogor, & è tabula pictos ediscere mundos,
Qualis & hæc docti sit positurâ Dei;
Quæ tellus sit lenta gelu, quæ putris ab æstu,
Ventus in Italiam qui benè vela ferat.
Assidet una soror curis, & pallida nutrix
Pejerat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte nudâ tulit arma papillâ,
Et texit galeâ barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis;
Essem militiæ sarcina fida tuæ.

INTERPRETATIO.

*Tunc etiam conquerer in omni cubili stragula non consistere, volucresque diei nuntios non cantare. Per noctes hyemales cum cura stamina deduco, opusque texo ad castrorum usum, lanamque laboro Tyriam per radios suos distinctam. Edisco etiam quâ mundi regione domandus Araxes delabatur, quot pas*suum *millitaria Parthus equus sine aqua percurrat. Edisce quoque è tabulis depictis mundi partes, & cujusmodi sit illa Dei sapientis positio: Quænam regio gelu sit iners, quænam verò sit nimio calore putrida, quisnamque ventus in Italiam commodè naves impellat, & adducat. Adest sola soror dolori meo, & anxia nutrix perjurat hyemalem tempestatem impedire* reditum tuum. O *beata Hippolyte barbarica, quæ nudato sinu militavit, teneru*mque *verticem galeâ protexis. Utinam Romanis fœminis castra patefecerens, ac libera essent, ego forem sarcina* comesque *fidelis militia tua.*

ANNOTATIONES.

32. *Auctores lucis aves.*] Dicuntur Galli gallinacei, quod diem prænuntient. Ovid. Lib. 2. Fastor.

Jam dederat cantum lucis prænuntius ales.

34. *Tyria vellera in radios secta.*] *Vellera Tyria* seu *Tyrii* coloris habebantur pretiosissima, apud *Tyrum* enim Phœniciæ urbem optima purpura tingebatur. *Radii* porrò textorii sunt, quibus stamina subtegminibus inseruntur, ac contexuntur. Unde & Virgil. Lib. 9. Æneid.

Excussi manibus radii, revolutaque pensa.

35. *Araxes.*] Armeniæ fluvius, qui in mare Caspium illabitur. De hoc jam dictum est sæpiùs. Hic porrò pro populis Armeniis sumitur. Sæpiùs enim populi per fluvios designantur; ut Eleg. 4. Lib. 3.

Tigris & Euphrates sub tua jura fluent.

43. *Felix Hyppolyte.*] *Felices* dicit Amazonas, quarum regina fuit *Hyppolyte*, quod ipsis arma tractare liceret. Dicitur autem Hyppolyten in bello captam Theseus uxorem duxisse, ex eaque *Hyppolytum* filium suscepisse.

44. *Barbara.*] Dicitur Hyppolyte, tum quia Scytharum gentes, inter quas Amazones numerabantur, *barbaræ* maximè erant; tum quia Romanis omnes exteri, peregrinique populi dicebantur *barbari.*

Nec me tardarent Scythiæ juga, cùm pater altas
Africus in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus, sed aperto in conjuge major,
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi quo Pœnis tibi purpura fulgeat ostris;
Crystallusque tuas ornet aquosa manus,
Omnia surda tacent, rarisque assueta Kalendis,
Vix aperit clausos una puella Lares.
Graucidos & catulæ vox est mihi grata querentis;
Illa tui partem vendicat una tori.
Flore sacella tego, verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno,
Seu voluit tangi parca lucerna mero;

INTERPRETATIO.

Neque me Scythiæ montes detinerent aut morarentur, quâ tempestate pater Africus profundas aquas in glaciem gelu constringit. Omnis amor vehemens est, at in legitimo conjuge est adhuc vehementior. Istam facem semper vento Venus agitat, ut ardeat. Mihi namque cuncta surda silent, ut tibi ostro puniceo splendeat purpura, ac crystallus pellucens tibi manus exornet; & vix Calendis, quæ rarò adveniunt, ancilla ad id usu edocta domum occlusam reserat. Mihi quoque catella Graucides conquerentis vox est jucunda, illa sola sibi assumit partem lecti tui. Floribus ac corollis orno delubra, & compita verbenis sterno, gramenque Sabinum ad priscos Lares crepitat. Seu in vicino tigno noctua sedens querulas edidit voces, sive cupivit exigua lucerna vino perfundi;

ANNOTATIONES.

48\. *Africus.*] *Africus* dicitur pater, quia Deus; Dii enim venti credebantur, Diique Patres veteribus dicebantur, ut *Mars pater* Eleg. 4. lib. 3. *Africus* autem ventus est inter Austrum & Zephyrum positus; ita dictus quod ab Africa flare videatur; sed ille non est frigidus, glaciem gelu constringit, unde videtur pro Aquilone positus.

51\. *Pœnis fulgeat ostris.*] Africana purpura designatur, vel color puniceus, qui forsan non diversus à purpura *Pœna*; sicut enim *Tyrus* ita etiam Africa purpureis vestibus, olim commendabatur. Horat. Lib. 2. Od. 16.

Te bis Afro murice tinctæ
Vestiunt lanæ. ———

52\. *Crystallusque.*] Ut vas *Crystallinum*, cùm bibes manum tuam exornet.

55\. *Graucides & catula.*] *Graucis* nomen est catellæ, cujus ejulantis ac querentis gannitus erat Arethusæ jucundus. Fuerunt enim & olim, quemadmodum etiamnum sunt catulæ fœminis in deliciis. Martial. Lib. 14. Epig. 198.

Deliciis parvæ si vis audire catellæ
Narranti brevis est pagina tota mihi

58\. *Herba Sabina.*] *Sabinis* olim *herbis* veteres ad suffimen utebantur loco turis. Ovid. Lib. 1. Fastor.

Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis
Et non exiguo Laurus adusta foco;

59\. *Noctua.*] Avis infausta & *nocturna*, de qua dictum est Eleg 10 Lib. 3.

60 *Parca lucerna.*] *Lucerna* erat olim in usu his qui parsimoniæ studebant, ac sobrii & frugi erant. A *lucerna* quoque sæpè omina capta,

Illa dies hornis cædem denuntiat agnis,
Succinctique calent ad nova lucra Popæ.
Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris;
Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea cùm tortæ sparguntur pondera fundæ;
Subdolus & versis increpat arcus equis.
Sed tua sic domitis Parthæ telluris alumnis
Pura triumphantes hasta sequatur equos.
Incorrupta mei conserva fœdera lecti.
Hâc ego te solâ lege redisse velim.
Armaque cùm tulero portæ votiva Capenæ
Subscribam, salvo grata puella viro.

INTERPRETATIO.

Ista dies agnis hujus anni mortem indicit, accinctique Popa ad nova sacrificia fervent. O u.ne tam magno pretio stet expugnatis Bactris gloria, vel linea vela odorato duci erepta, dum plumbea glandes rotata funda vibrantur, arcusque astutus insonat conversis in fugam equis. Ita verò Parthica terra devictis incolis, tua pura hasta triumphantes equos sequatur. Fidem conjugii mei integram serva. Istâ solâ conditione optem te reducem. Et cùm arma votiva ad portam Capenam obtulero, subter inscribam, ob salvum & incolumem maritum, uxor beneficii memor.

ANNOTATIONES.

bant veteres, ideòque mero tingebatur, quo flamma languens excitaretur infra Eleg. 9.

Sed neque suppletis constabat flamma lucernis.

61. *Popa.*] Erant sacrificiorum ministri, qui victimas ad aras alligabant, ac jugulabant.

63. *Bactros.*] De *Bactris* dictum est mox v. 7.

71. *Porta Capena.*] Voverat Arethusa se Diis appensuram arma viri sui è bello reducis. Dicit autem sese votum persoluturam *porta Capena*, tùm quia, ut dictum est, in *portis* urbium erant Deorum simulacra, quibus vota sua tabulasque solebant appendere, tùm quia Martis Dei bellorum præsidis ædes ad *portam Capenam* fuisse legitur.

Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno,
  Fidaque suggestâ castra coronat humo.
Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
  Cùm quateret lento murmure saxa Jovis?
Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis,
  Stabant Romano pila Sabina foro.
Murus erant montes, ubi nunc est curia septa,
  Bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeïa Deæ fontem libavit, at illi
  Urgebat medium fictilis urna caput.
Et satis una malæ potuit mors esse puellæ,
  Quæ voluit flammas fallere, Vesta, tuas?
Vidit arenosis Tatium proludere campis,

INTERPRETATIO.

Fontem istum sepivit undique acerno valle Tatius, & in orbem terrâ subinde aggestâ munit sua castra. Quid tunc temporis Roma fuit, quando Curetum tubicen gravi strepitu Jovis rupem propinquam pulsabat? Tunc equidem in foro Romano, ubi nunc orbi devicto leges dantur, arma Sabina stabant. Montes erant pro mœnibus, ubi jam est Curia constructa; ex illo fonte militaris equus bibebat. Ex eodem ipso fonte Tarpeia aquam hausit ad sacra Deæ Vestæ facienda ipsique inde redeunti *medium verticem fictilis urna premebat. An verò mors una sufficiebat impiæ virgini, quæ tuos ignes, ô Vesta, violare conata est? Tatium conspexit in agris sabulosis proludentem.*

ANNOTATIONES.

7. *Tatius.*] Rex Sabinorum, de quo jam suprà sæpiùs.

9. *Curetis.*] Tubicen *Curetis*, pro tubicen *Curetum*, id est Sabinorum. *Curetes* enim Sabini dicti sunt ab ipsorum urbe *Curibus*; unde dicti quoque sunt *Quirites*.

10. *Saxa Jovis.*] Rupem Tarpeïam, quæ posteà dicta est Capitolina, ad quam castra posuerat Tatius, unde ipsa dicitur *vicina*.

12. *Romano foro.*] Sabinorum tunc copiæ armatæ *forum Romanum* occupabant. De *foro Romano* dictum est Eleg. 2. v. 6.

13. *Murus erant montes.*] Plures sic versum hunc emendare volunt, *purus erat fons hic*: existimant nimirùm pentametrum sequentem illud explicare. Sed nihil mutandum credimus, cùm pentameter versus sequens rectè intelligatur de illo fonte, quem Tatius vallavisse dicitur v. 7.

15. *Tarpeja Dea fontem libavit.*] Vestalis *Tarpeja Dea* Vestæ sacerdos ad sacra facienda ex illo *fonte* hauriebat aquam.

18. *Vesta.*] *Vestam* Deam alii Saturni filiam, alii matrem fuisse volunt. Qui *Vestam* dicunt virginem, eam filiam esse Saturni sentiunt, ignemque repræsentare volunt. Qui verò ipsam Saturni matrem dicunt, eam terram esse asserunt. Hanc unam ex Diis Penatibus esse volunt, quos Æneas secum in Italiam advexit. Virgil. Lib. 2. Æneid.

> *Sic ait, & manibus vittas, Vestamque potentem,*
> *Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*

Vestalium autem virginum potissima cura erat, ut ignem perpetuum in adytis *Vestæ* conservarent inextinctum. Hæc autem sacra dicitur Tarpeia violasse.

19. *Proludere.*] Est ante pugnam pugnæ simulacra repræsentare, ut ad certamen assuefiant ac paratiores sint milites.

Pictaque per flavas arma levare jubas:
Obstupuit regis facie, & regalibus armis,
Interque oblitas excidit urna manus.
Sæpè illa immeritæ caussata est omina Lunæ,
Et sibi tingendas dixit in amne comas.
Sæpè tulit blandis argentea lilia Nymphis,
Romula ne faciem læderet hasta Tati.
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
Rettulit hirsutis brachia secta rubis.
Et sua Tarpeïâ residens ita flevit ab arce
Vulnera vicino non patienda Jovi.
Ignes castrorum, & Tatiæ prætoria turmæ,
Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva Penates,
Dum captiva mei conspicer esse Tati.
Romani montes, & montibus addita Roma,
Et valeat probro Vesta pudenda meo.

INTERPRETATIO.

ac rutilas equorum *jubas arma lucida ventilantem. Hæsit stupefacta egregiâ regis formâ, regiisque armis, ac à manibus* ipsius *attonita elapsa est amphora. Ipsa frequenter culpam in omina Lunæ innocentis contulit, sibique caput in aquam mergendum esse locuta est. Frequenter etiam Nymphis facilibus candida lilia obtulit, ne hasta Romulea formosum Tatium violaret, & cùm ingrederetur Capitolium primo fumo obscurum brachia reportavit hamatis sentibus lacerata. sedensque Tarpeia ex arce sic conquesta est plagas suas proximo Jovi non ferendas. O ignes castrorum, celebertisque Tatiensis prætoria, armaque Sabina luminibus meis pulcra; O utinam fecis vestris assiderem, dummodò mei Tatii captiva viderer. O vos, colles Romani, tuque, ô Roma, collibus imposita* valete, *ac etiam valeat Vesta, quæ meo crimine erubescet.*

ANNOTATIONES.

23. *Caussata est omina Lunæ.*] Accusavit, vel culpam rejecit in *omina Luna*, hoc est, somnia quæ veteres credebant immitti à *Luna*; quia nimirum noctem maximè *Luna* regit, & nox somniorum dicitur mater.

25. *Lilia Nymphis.*] *Nymphis* scilicet fontis istius præsidibus *lilia* offerebat Tarpeïa, ne Tatium in pugna vulnerari paterentur.

27. *Capitolia nubila.*] Pluralis numerus pro singulari metri causâ. Mons porrò Tarpejus tunc nondum dicebatur *Capitolium*, sed solum regnante Tarquinio prisco, ut jam dictum est, cùm repertum esset caput cujusdam Toli in jaciundis fundamentis templi Jovis, ab illo capite Toli vocari cœpit *Capitolium*, cùm primò mons Saturnius, deinde Tarpeïus à Tarpeïa vocatus fuisset.

Dicitur porrò *Capitolium nubilum*, hoc est, obscurum, & fumo quasi *nubibus* obtectum.

30. *Vulnera.*] Non flevit *vulnera*, quæ sibi rubi, sed quæ amoris sagittæ fecerant.

Vicino Jovi.] Quia nimirùm Jovis ædes non procul aberat ab ædibus Tarpeïæ

35. *Romani montes.*] Septem urbis Romæ colles alloquitur, quibus vale dicit, sicut & Vestæ, cujus sacra se polluturam Tarpeïa significat.

Ille equus ille meos in castra reponet amores;
Cui Tatius dextras collocat ipse jubas.
Quid mirum in patrios Scyllam sævisse capillos?
Candidaque in sævos inguina versa canes?
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
Cùm patuit lecto stamine torta via?
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis
Improba virgineo lecta ministra foco!
Pallados extinctos si quis mirabitur ignes
Ignoscat, lachrymis spargitur ara meis.

INTERPRETATIO.

Equus in castra referet amatorem meum, cui suâ manu Tatius jubas in armum dextrum recumbentes componit. Quid mirabile videtur Scyllam paternos crines attondisse, ejusque crura nivea in rabidos canes fuisse mutata? Quid est etiam mirum, si cornua pertenti fraterni tradita sint, quando flexuosum iter Labyrinthi apertum est filo revoluto? Quantum ego virginibus Ausoniis sum allatura dedecus, ego, inquam, scelerata, qua selecta fueram ministra aris virginis! Si verò aliquis admirabitur restinctos ignes Palladis; mihi det veniam, focus meis fletibus perfunditur.

ANNOTATIONES.

39. *Scyllam sævisse capillos.*] Nihil, inquit, mirum est impietatem & crudelitatem exercuisse Scyllam in attondenda patris sui Nisi coma. De *Scylla* Nisi regis Megarensium, quæ patrem prodidit attonsis ipsius capillis, quibus regni regisque fata continebantur, diximus Eleg. 19. Lib. 3. ad illa verba:

Tuque ô Minoâ venundata Scylla figurâ.

40. *In sævos inguina versa canes.*] Fabulas duas confundit, Scyllæ nimirùm Nisi, & Scyllæ Phorci; ut etiam Virgilius Eclog. 6.

Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris.

Ita quoque Ovid. Lib. 3. Amor. Eleg. 11.

Per nos Scylla patri canos furata capillos
Pube premit rapidos inguinibusque canes.

41. *Fraterni cornua monstri.*] Minotaurum designat, qui dictus est *monstrum cornuum*. Significat autem Minotaurum fuisse proditum à sorore Ariadne, quæ filum Theseo tradidit, quo sese è sinuosis flexuosi Labyrinthi anfractibus extricavit. Vide notas nostras ad Catull. carm. 64. ubi de Minotauro fabula pluribus est exposita.

43. *Ausoniis puellis.*] Romanis virginibus; sicut dixit *Dryasin Ausoniis* Eleg. 20. Lib. 1.

44. *Lecta ministra foco.*] Sacerdos electa ad ignem sacrum servandum: Vestales enim erant sacrorum Vestæ non modò ministræ, sed & sacerdotes, quæ virgines esse debebant, quia & Vesta virgo esse credebatur; unde & ejus *focus* dicitur *Virgineus*.

45. *Palladis extinctos ignes.*] *Palladis ignes* appellat Vestæ focos, unde eamdem esse *Palladem* & Vestam contendunt nonnulli. Sed possunt tamen rectè dici *Palladis ignes* Vestæ foci, non quòd una eademque sit *Pallas* quæ Vesta, sed quia in ejusdem Vestæ æde *Palladis* etiam simulacrum, seu *Palladium* à Vestalibus servabatur sicut & *ignis*, ut testis est Ovidius Lib. 3. Trist. Eleg. 1.

Hic locus est Vestæ, qui Pallada servat & ignem.

Nonnulli porrò legunt *Pallidus extinctos ignes*, non verò *Palladis*, &c.

Ipſaque in Oceanum ſydera lapſa cadunt.
Experiar ſomnum, de te mihi ſomnia quæram;
Fac venias oculis umbra benigna meis.
Dixit, & incerto permiſit brachia ſomno,
Neſcia ſe furiis accubuiſſe novis.
Nam Veſta Iliacæ fœlix tutela favillæ
Culpam alit, & plures condit in oſſa faces.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodoonta,
Strymonis abſciſſo fertur aperta ſinu.
Urbi feſtus erat, dixêre Palilia patres.
Hic primus cœpit mœnibus eſſe dies.

INTERPRETATIO.

ipſa aſtra in Oceanum occidunt. Ego ſoporem experiar; de te mihi captabo ſomnia; effice, ut imago blanda ac facilis te offeras ocellis meis. Sic locuta eſt, ac ſopori dubio membra tradidit ignorans ſe jacere cum ignibus inſolitis. Etenim Veſta fœlix cuſtos Iliacorum cinerum crimen nutrit, majoreſque in Tarpeïæ medullas *conjicit flammas. Illa præceps & amens fertur, quemadmodum ad rapidum Thermodoontem Strymonis undata lacero pectore rapitur. Urbi dies feſtus erat, majores Palilia vocaverunt: iſte dies urbi primus eſſe paulò ante cœpit.*

ANNOTATIONES.

cturnis neceſſe ſit vigilare. A tubicine omnes vigiliæ committuntur: & finitis horis à cornicine revocantur.

64\. *In Oceanum cadunt ſidera.*] Adveniente die cùm aſtra micare deſinunt, Oceano mergi, ac occidere di cuntur à Poëtis.

68\. *Neſcia ſe furiis.* &c.] *Neſciebat* Tarpeia ſe cubitum diſceſſiſſe cum novo furentis amoris ardore, ſeque una cum flammis inſanis cubare. Plures etiam legunt, *flammis*, pro *furiis*.

69\. *Veſta Iliaca tutela favillæ.*] Veſta, quæ ignis eſt, & quæ feliciter reliquias cinereſque Ilii ſeu Trojæ tuetur ac ſervat, Tarpeiæ fovet ac nutrit nefandum amorem, cujus æſtu nimio percita, mentiſque impotens infandum ruit in facinus.

71\. *Prope Thermodoonta.*] Apud omnes conſtat *Thermodoontem* fluvium eſſe Amazonum, ſed hunc alii in Thracia ponunt, alii in Scythia, alii in Cappadocia. In Themiſcyra Cappadociæ Provincia, ubi & Amazonii campi ad Pontum Euxinum vergentes *Thermodoontem* collocat Strabo Lib. 11. De *Thermodoonte* jam ſæpiùs dictum eſt, ſed maximè Eleg. 14. Lib. 3. v. 13.

72\. *Strymonis.*] Patronymicum eſt à *Strymone* fluvio Thraciæ, qui ex monte Hæmo ortus in mare Ægæum delabitur.

Hoc autem loco *Strymonis* pro Baccha, ſeu Mænade ponitur; quod ad *Strymonem* amnem Threiciæ Bacchæ ſacra Bacchi ſui celebrantes diſcurrerent. Hoc in loco ſequitur Propertius ſententiam eorum, qui Thermodoontem fluvium Amazonaſque in Thracia collocant.

73\. *Palilia.*] *Palis* paſtorum Deæ feſta, quæ die 21. menſis Aprilis quotannis apud Romanos celebrabantur; in agris autem maximè ſolemni ritu à colonis ac paſtoribus fiebant. *Palilitorum* dies natalis fuit urbis Romæ, cujus mœnia eo die quondam à Romulo condita ſunt. Suetonius in Caligula cap. 16. *Decretum autem, ut dies, quo cepiſſet imperium, Palilia vocaretur, velut argumentum rurſus urbis condita.* Ovidius Lib. 14. Metamorph.

——— Feſtiſque Palilibus urbis
Mœnia conduntur. ———

Vide quæ dicta ſunt de *Palilibus* ad Elegiam 1. Libri hujus v. 19.

Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
Cùm pagana madent fercula deliciis.
Cumque super raros fœni flammantis acervos
Trajicit immundos ebria turba pedes.
Romulus excubias decrevit in otia solvi,
Atque intermissâ castra silere tubâ.
Hoc Tarpeja suum tempus rata, convenit hostem;
Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat ascensu dubius, festoque remissus,
Nec mora, vocales occupat ense canes.
Omnia præbebant somnos, sed Juppiter unus
Decrevit pœnis invigilare tuis.

INTERPRETATIO.

Solemnes rusticorum sunt epulæ, ac ludi in urbe, quando dapes paganorum deliciis fluunt, & quando per cumulos paucos ardentis fœni vino madida turba sordidos pedes transmittit. Romulus jussit ut excubitores ac vigiles quieti indulgerent, & castra tacerent, omisso tubarum clangore. Tarpeia istam sibi commodam occasionem putans adit hostem, promissa firmat, ipsa futura pacti comes. Mons erat ascensu difficilis, & ob festum solutior, quem Tatius statim invadit, gladioque jugulat canes clamosos. Cuncta somnos dabant; verùm solus Juppiter constituit excubare supplicio tuo, ô Tarpeia.

ANNOTATIONES.

76. *Pagana fercula.*] Rustici dicuntur *Pagani*, quod *Pagos* incolant, & *pagatim* habitent. Celebrantes autem Palilia, ludos & convivia curabant, dapibusque delicatioribus ac lacte Deam Palem venerabantur.

77. *Fœni flammantis acervos.*] Pastores ac rustici Palilia celebrantes postquam opime esse convivati ac probè poti, *fœni* paleæque *acervos* congerebant, quos flammis accensos ac *fumentes* transiliebant; ut narrat etiam Tibullus Lib. 2. Eleg. 6.

At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet, à stabulis tunc procul este lupi.
Ille levis stipulæ solennes potus acervos
Accendet, flammas transilietque sacras.

Ovidius etiam Lib. 4. Fastor.

Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos
Trajicias celeri strenua membra pede.

78 *Ebria turba*] Rusticorum scilicet ac pastorum, qui poti, vinoque madidi stipulæ cumulos trajiciebant; ut dictum mox est versu superiori.

79. *Romulus excubias.*] Ob celebritatem Paliliorum *Romulus excubias*, vigiliasque *bellicas* paululum remitti jusseratque, ut illo die quieti omnes, otio, ac genio indulgerent. nec ullum tubæ signum daretur, sed silerent arma.

82. *Hoc Tarpeja suum tempus.*] *Tarpeia* diem festum, quem celebrandum omnibus decreverat Romulus, ad audendam patrandamque arcis proditionem idoneum existimans, Tatium Sabinorum regem adiit, &c.

83. *Mons festo remissus.*] Cujus nempe *remissior* ac negligentior custodia propter festum diem erat, quia in otia & ludos soluti fuerant vigiles.

85. *Juppiter.*] Tarpeius nimirùm, cui sunt odio proditores, vigilavit ad pœnas de proditrice Tarpeia sumendas.

Prodiderat portæque fidem, patriamque jacentem;
 Nubendique petit, quem velit ipsa, diem.
At Tatius, neque enim sceleri dedit hostis honorem,
 Nube ait, & regni scande cubile mei.
Dixit, & ingestis comitum super obruit armis,
 Hæc, virgo, officiis dos erat apta tuis.
A duce Tarpeio mons est cognomen adeptus,
 O vigil, injustæ præmia sortis habes.

INTERPRETATIO.

Proditione tradiderat portæ tutelam, patriamque suam somno oppressam; ipsaque diem nuptiarum, quem cuperet, postulavit. Sed Tatius, inquit, nube, & conscende lectum regni mei, non enim hostis crimini præmium reddidit. Ubi locutus est, statim congestis sociorum telis acervatim ipsam obruit. Hujusmodi merces, ô puella, optimè conveniebat tuis obsequiis. A Tarpeïo duce mons est nomen assecutus. O custos ignis, mercedem habes iniqua tua sortis.

ANNOTATIONES.

87. *Patriamque jacentem.*] Urbem scilicet, ac cives vino somnoque sepultos.

89. *Hostis sceleri non dedit honorem.*] Proditionem *scelestam* ac nefandam afficere præmio noluit. *Honor* sæpè pro præmio ac mercede sumitur. Virgil. Lib. 1. Æneid.

Hic pietatis honor, &c.

Tatius igitur Tarpeiæ scelus proditionemque aversatus, ut ostenderet nihil usquam esse fidum proditori, Tarpeiam ipsam congestis armis obrutam interemit tali quidem supplicio dignissimam.

93. *A duce Tarpeïo mons est.* &c.] Mons ille, in quo fuit arx Romana posita, dicebatur primò Saturnius; deinde idem posteà dictus est *Tarpeius*, rupes *Tarpeia*. saxum *Tarpeïum* à spurio *Tarpeïo* arcis præposito, *Tarpeiaque* virginisque Vestalis proditricis patre, qui fuerat arcis custos à Romulo selectus; vel, ut alii volunt, ab ipsa *Tarpeia* proditrice ibidem sepulta, vel à L. *Tarpeio*, qui Romulo regi adversatus propter virgines Sabinas raptas ibidem pœnas dedit.

94. O *vigil.*] Vel Jovem alloquitur, qui ad arcis templique sui custodiam *vigilaverat*, gratulaturque, quod pœnas sumpserit de proditrice; vel ad ipsam Tarpeiam sermonem convertit, qui *vigilem* servaverat ignem, cujus erat custos, quam dicit habere præmia proditionis, quod ipsi perennis sit fama, sitque de nomine ejus mons appellatus. Denique, vocabulum, *præmia*. hoc in loco potest esse ambiguum, adeò ut significet etiam infandi facinoris Tarpeiam pœnas sustinuisse, utpote quæ fuerit ab ipsis, quibus proditionem pacta fuerat, interempta.

ELEGIA V.

AD LENAM.

TERRA tuum ſpinis obducat, Lena, ſepulcrum,
  Et tua, quod non vis, ſentiat umbra ſitim:
Nec ſedeant cineri manes, & Cerberus ultor
  Turpia jejuno terreat oſſa ſono;
Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
  Concordique toro peſſima ſemper avis.
Penelopen quoque neglecto rumore mariti
  Nubere laſcivo cogeret Antinoo.
Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum,
  Et volucris nidis eſſe noverca ſuis.
Quippe & Collinas ad foſſam moverit herbas,

INTERPRETATIO.

O Lena, tumulum tuum ſentibus operiat tellus, tuoque umbra ſitim patiatur, quod tibi minimè placet. Manes tui in cineribus tuis non quieſcant, vindexque Cerberus fœtida tua oſſa ſævo latratu terreat. Illa nempe Lena *perita eſt vel Hippolytum invitum reddere facilem Veneri, eſtque jugiter ales inauſpicatiſſima unanimi conjugio. Penelopen etiam impelleret; ut ſpretâ de reditu ſui conjugis famâ nuberet Antinoo protervo. Si ipſa cupiat, magnes ad ſe ferrum non attrahet, aviſque erit infeſta pullis ſuis. Si etiam Collinas herbas ad foſſam moverit,*

ANNOTATIONES.

1. *TErra tuum ſpinis.*] Lenam, quam vocat Acanthidem, juventutis corrumpendæ peritiſſimam maledictis, imprecationibuſque oneratam execratur.

5. *Docta vel Hippolytum.*] *Hippolytus* filius fuit Theſei ac *Hippolytæ* Amazonis, qui cùm cœlibem vitam caſtiſſimè venatione ſeſe exercens duceret, abſente patre, à noverca Phædra ſollicitatus eſt ad ſtuprum; cui cùm noluiſſet aſſentiri, ipſa apud patrem eum accuſavit, tanquam ſibi vim inferre voluiſſet. Unde patrem ſibi videns indignatum *Hippolytus* curru conſcenſo fugam arripuit. Cumque ad littus maris perveniſſet, à phocis equi perterriti currum per ſcopulos & ſaxa traxerunt, miſerumque *Hippolytum* loris implicitum varias in partes diſcerpſerunt. Dicitur autem Lena adeò callida, vafra & perita, ut *Hippolytum* etiam caſtiſſimum, ac penè mulierum oſorem poſſet ad libidinem inducere.

6. *Concordi toro peſſima avis.*] Nonnulli legunt *peſſima anus*; ſed *avis* optimè convenit; nam *conjugio* Lena ſemper eſt *avis* infauſtiſſima. Videtur autem alludere ad ſolitariæ cornicis occurſum, qui veteribus ominis ſiniſtri in nuptiis habebatur.

8. *Antinoo.*] *Antinous* fuit unus è Penelopes procis, quem Homerus ſuperbum fuiſſe, ac primum omnium ab Ulyſſe, poſtquam domum rediiſſet, occiſum narrat. Vide Odyſſ. Lib. 17. & 22.

10. *Nidis eſſe noverca ſuis.*] Hoc in loco *nidus* eſt fœtus avium, quibus *avis* mater poteſt eſſe ſuis pullis infeſta, ut ſolet eſſe ſuis privignis *noverca*.

11. *Collinas ad foſſam herbas.*] Gravis eſt de hoc loco valde quidem ob-

Stantia currenti diluerentur aquâ.
Audax cantatæ leges imponere Lunæ,
Et sua nocturno fallere terga lupo.
Poss:t & intentos astu cœcare maritos.
Cornicum immeritas eruit ungue genas;
Consuluitque striges nostro de sanguine, & in me
Hippomanes fœtæ semina legit equæ.
Exornabat opus verbis ceu blanda perurat,
Saxosamque terat sedula culpa viam.
Si te Eoa, Dorixanium, juvat aurea ripa,
Et quæ sub Tyria concha superbit aqua,
Eurypylique placet Coæ textura Minervæ,

INTERPRETATIO.

quæcumque solida consistunt, aquâ liquida manabunt. Ausit etiam cogere Lunam excantatam sibi parere, suamque formam tegere lupo noctu vagari solito. Possit etiam maritos quamvis perspicaces calliditate suâ ac malitiâ cœcos reddere. Cornicibus innocentes oculos unguibus effodit. & consilium petiit à strigibus de mea cæde, præripuit que in meum exitium Hippomanes virus equa nuper enixa. Opus suum blandis vocibus fucabat. ut d llis delenificis amore incendat, quas velit, & scelus diligens per iter lapidosam curat. Si te, ô Dorixaniam, aureum littus Eoum delectat, ac concha, quæ mari Tyrio gloriatur, & Eurypyli Minerva Coa textura tibi placet,

ANNOTATIONES.

sento inter scriptores concertatio. Alii volunt sensum esse, ut tanta sit virtus magica Lenæ istius, ut possit fontes & flumina herbis montanis inducere. Alii intelligunt hæc de *fossa* magica, de qua Horat. Epod. 5. & Satyr. 8. Lib. 1. Alii *Collinas herbas* interpretantur, quæ nascuntur ad *portam Collinam*, ad quam Vestales incesti, seu stupri convictæ in *fossa* vivæ defodiebantur; ut testatur Festus in verbo *sceleratus campus*.

13. *Audax cantata Luna.*] Non veretur etiam Diis ipsis, astrisque magicis suis cantionibus vim inferre, legesque imponere.

15 *Cœcare maritos.*] Hoc est, calliditate suâ & astutiâ cœcos reddere *maritos* eosque ita deludere, ut quod viderent, putarent se non videre.

16. *Cornicum genas eruit.*] Proverbium est de astuto eluso à callidiore, *Cornicum oculos configere*. *Genas* posuit pro oculis, ut etiam Eleg. 12. Lib. 3.

Exustaque tua mox, Polypheme, gena.

17 *Consuluitque striges.*] A *strigibus* exploravit, quid esset eventurum. *Striges* aves sunt, quibus uti solebant magæ in veneficiis. De *strigibus* dictum est ad Eleg. 6 Lib. 1. v 19.

18. *Hippomanes.*] Esse dicitur caruncula in fronte equini pulli caricæ magnitudine, colore nigro, quod statim edito partu equa devorat enixa, aut si quis præripiat, partum ad ubera non admittit.

20. *Sedula culpa.*] Intelligitur vel ipsa Lena, quæ *culpam*, stuprumque suadet, vel puella Lenæ blandis verbis, ac lenocinio corrupta, quæ ultrò citroque commeat ad amatores.

21. *Eoa ripa.*] Maris Indici seu Orientalis littus, in quo aurum, gemmæque colliguntur.

Dorixanium.] Puellæ corruptæ nomen, ut Achanthis Lenæ. Alii potiùs legunt *Dorozantam* voluntque *Dorozantes* Indiæ populos significari apud quos aurum copiosè dicitur effodi.

23. *Eurypylique placet Coa Minerva.*] *Eurypylus* regnavit in *Coo* insula, locisque vicinis.

De *Cois* vestibus dictum est affatim

Sectaque ab Attalicis putria signa toris;
Seu quæ palmiferæ mittunt venalia Thebæ;
  Murreaque in Parthis pocula cocta focis;
Sperne fidem, provolve Deos; mendacia vincant,
  Frange & damnosæ jura pudicitiæ.
Et simulare virum, pretium facit, utere causis;
  Major dilatâ nocte recurrit amor.
Si tibi forte comas vexaverit utilis ira;
  Post modò mercatâ pace premendus erit.

* * * *

* * * * * *

* * * * *

* * * * * *

INTERPRETATIO.

ac signa putrida è lectis Attalicis avulsa, sive etiam illa omnia, quæ pretio vendunt Thebæ palmis inclytæ, sive cratores Murrhini in caminis Parthicis facti. Nullam habe fidei curam, Dives proculca, fraudes, doli, perjuria regnent, discedant jura pudicitiæ damnosa. Atque etiam fingere maritum adesse, quæstum facit; excusationes semper adhibe: dilatâ nocte, acrior statim redibit amor. Si forsan amatoris ira tibi utilis capillos dissolverit, mox ille tibi date pro pace pretio premendus erit.

* *

ANNOTATIONES.

pluribus in locis, ut ad Eleg. 2. hujus Libri v. 23.

Minerva Coa.] Dicitur artificium texendi, cui præest *Minerva* Virgil. Lib. 8. Æneid.

Tolerare colo vitam tenuique Minerva.

25. *Palmifera Thebæ.*] *Thebas* urbem Ægypti denotat, cujus ager *palmis* abundat.

26. *Murrheaque pocula.*] *Murrhea* seu *Murrhina pocula.* ex Parthorum maximè Provinciis Romam advehebantur, ubi maximo erant in pretio.

29. *Simulare virum pretium facit.*] Lucrosum est fingere apud amatorem, quod maritus domi adsit, & ideò ipsum admitti non posse: hoc enim amatorem magis incendit, qui ideò largiùs dabit.

Utere causis.] Semper est aliquid caussandum; semper aliqua *caussa*, seu excusatio afferenda.
Causa hoc loco idem est, quod Gallicè dicitur, *défaite, ruse, &c.*

* * * * *

* * * *

* * * * *

* * * * *

* * * * * *

* * * * *

* * * * * *

Aurum spectato, non quæ manus afferat aurum.
Versibus auditis quid nisi verba feres?
Qui versus, Coæ dederit nec munera vestis,
Ipsius tibi sit surda sine arte lyra.
Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus;
Utere, ne quis eat liber amore dies.
Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti,
Sub matutino cocta jacere Noto.

INTERPRETATIO.

* * * * * * * * *

* * * * * * *

* * * *

* * * *

* * * *

* * * *

* * * *

Auri rationem habeto, non curans quales manus aurum offerat; carminibus auditis, quid præter inania verba referes? Qui tibi solummodò carmina dederit, non verò dona vestis Coa, istius tibi sit cithara rudis & indocta. Dum tibi calet sanguis, dùm ætas tua rugis est immunis, utere, ne dies ullus prætereat amore vacuus. Ego conspexi roseta vivacia Pæsti suaveolentis ad Notum mane flantem adusta decidere.

ANNOTATIONES.

59. *Rosaria Pæsti.*] *Pæstum* est oppidum Lucaniæ *rosetis* inclytum, unde *rosæ Pæstanæ.*] maximè laudantur, quæ nimirùm dicuntur bis in anno nasci, mense scilicet Maio & Septembri.

60. *Sub Noto.*] *Notus* qui & Auster ventus est floribus infestus. Statius Lib. 3. silvar. in lacrymis Hetrusci.

Pubentesque rosæ primos moriuntur ad Austros.

Idem quoque Statius Lib 7. Thebaid.

Ut cum sole novo, tristique rosaria pallent
Usta Noto.

His animis nostræ dum versat Achantis amicæ,
  Per tenues ossa sunt numerata cutes.
Sed cape torquatæ, Venus ô regina, columbæ
  Ob meritum ante tuos guttura secta focos.
Vidi ego rugoso tussim concrescere collo,
  Sputaque per dentes ire cruenta cavos,
Atque animam in tegetes putrem expirare paternas.
  Horruit algenti pergula curva foco.
Exequiæ fuerant rari furtiva capilli
  Vincula, & immundo pallida mitra situ,
Et canis in nostros nimis experrecta dolores,
  Cùm fallenda meo pollice claustra forent.
Sit tumulus Lenæ curto vetus amphora collo.
  Urgeat hunc suprà vis, Caprifice, tua.

INTERPRETATIO.

dum Acanthis mentem amica nostra his vocibus agitat, illius ossa dinumerata sunt per tenuem pellem. Verùm, ô Venus regina, accipe jugulum torquatæ columbæ ad aras tuas mactatum propter tua erga me beneficia. Ego spectavi tussim in ejus faucibus rugosis densari, sputaque sanie mixta per cariosos ejus dentes effluere. ipsamque animum putridum in patrias tegetes exhalare. Exigua pergula frigenti foco talem Lenæ exitum exhorruit. Exequiæ fuerunt paucorum ipsius *crinium ligamina, sordidaque putri squallore mitra, catulaque meo male nimium vigil, si quando fores essent furtim manibus meis reseranda. Antiqua vilisque amphora brevi collo sit Lenæ sepulcrum: illudque, ô Caprifice, pondus tuum desuper incumbens opprimat.*

ANNOTATIONES.

61. *Achanthis.*] Nomen est Lenæ hoc in loco; nam alias etiam est avicula, alio nomine dicta *Carduelis*.

62. *Per tenues cutes.*] Ita macie confecta erat, ut tota pelluceret ossaque facilè numerarentur.

63. *Torquatæ columba.*] *Columba* dicitur *torquata*, cujus collum vario colore veluti torqui distinguitur. Jucunda quidem Veneri victima *columba*, cui est sacra, ut Eleg. 3. Lib. 3. v. 30. dictum est.

68. *Horruit algenti pergula.*] *Pergula* locus est apertus multis è lateribus aërem excipiens, atque etiam aliquando extrà parietem & tectum porrectus, partim tectus, partimque sub dio expositus. *Pergula* dicitur etiam locus idoneus rebus venalibus exponendis, idemque est quod officina, tabernula, seu tuguriolum, &c. Utroque autem modo convenit infelicis Lenæ sorti, quæ domum non haberet, sed in pergula frigidissima, seu in tuguriolo, ubi vilissima scorta produxerat, animam efflaret.

69. *Exequiæ.*] Describit Lenæ funebrem pompam, in qua nihil fuit præter capitis vittas furto partas, mitram putri situ squallentem, & catulam Poëtæ infensissimam.

74. *Caprifico.*] Arbor est *Caprificus*, quam nasci dicunt in saxis sepulcrorum consuevisse. Diciturque alio nomine ficus silvestris. Isidorus Lib. 17. cap. 7. ait: *Caprificus appellata eò quòd parietes, quibus innascitur, carpit. Rumpit enim & prodit è latebris, quibus concepta est. Alii quòd ficus arbor ejus*

Quisquis

Quisquis amas, scabris hoc bustum cædito saxis,
Mistaque cum saxis addito verba mala.

INTERPRETATIO.

Quicumque es amator, duris tumulum hunc lapidibus obrue, & una pariterque cum lapidibus adjunge maledicta.

ANNOTATIONES.

remedio fœcundetur. De *Caprifico* vide Plin. Lib. 15. cap. 19. & Lib. 23. cap. 6. ubi scribit, si *Caprifici* ramo tauri collum circumdetur, ejus ferociam adeò mitigari, ut immobilem eum præstet.

ELEGIA VI.

DE PUGNA ACTIACA NAVALI.

SACRA facit vates, ſint ora faventia ſacris,
Et cadat ante meos icta juvenca focos.
Cera Philetæis certet Romana corymbis,
Et Cyrenæas urna miniſtret aquas.
Coſtum molle date, & blandi mihi thuris honores,
Terque focum circa laneus orbis eat.

INTERPRETATIO.

Poëta rebus divinis operatur; ſacris faveant linguæ, hæcque procumbat ad aras à me excitatas mactata. Verſus Romani contendant Philetæis corymbis, urceuſque Cyrenæas lymphas effundat. Gratum præbete coſtum, jucundique thuris munera, ac ter aram circumeat orbis laneus.

ANNOTATIONES.

1. *SAcra facit vates.*] Auguſti laudes cantaturus, victoriamque navalem ab ipſo relatam ex Antonio ac Cleopatra Ægypti regina ad Actium promontorium celebraturus, ſilentium indicit Poëta. *Sacra* porrò *facere*, & *ſacrificare* idem ſunt.

Ora faventia ſacris.] *Favere*, inquit Feſtus, *eſt bona verba fari, quo veteres Poëtæ pro ſilere uſi ſunt.* Servius in illud Lib. 5 Æneid. *Ore favete omnes*, ait. *Apto ſermone uſus eſt & ſacrificio & ludo. Nam in ſacris taciturnitas, in ludis neceſſarius favor eſt, quem propter plauſum futuris ſpectatoribus dat. Favet autem ore quis etiam per taciturnitatem. Horatius*, Ode 1. Lib. 3.

Favete linguis. ———

Seneca de vita beata. cap. 26. *Hoc verbum*, favere linguis, ait, *non ut plerique exiſtimant à favore trahitur, ſed imperatur ſilentium, ut ritè peragi poſſit ſacrum, nullâ voce malâ obſtrepente.*

Favere igitur *linguis*, & *ore favere* apud Poëtas alioſque ſcriptores idem eſt ac *ſilere*.

3. *Cera Romana.*] Scaliger legendum eſſe cenſet, *Serta Philetæis* &c. non, *Cera*. Veteres autem Libri dicuntur habuiſſe *Edra* pro *Edera*. Si igitur cum Scaligero legas *ſerta*, ſenſus erit; corona Romana certet coronæ Philetææ. Dicitur enim *Serta*, æ, genere fœminino ſicut & ſertum, i, neutro. Ut ſuprà notavimus ad Eleg. 33. Lib. 2.

Cùm mea prapendent demiſſa in pocula ſerta.

Si verò *Cera* legatur, verſus Romani ſignificantur; vel quia in *cera*, tabuliſque, quæ etiam Eleg. 23. Lib. 3. dicuntur *cera*, ſcribebantur; vel quia imagines Poëtarum apud Romanos erant *cerea*. quæ & edera coronabantur. Si denique veteres codices ſecutus legas, *Edra* pro *edera* ſenſus erit planus & apertus.

Philetæis Corymbis.] *Philetam* Poëtam ſignificat, cui ſe ſemper atque etiam comparare affectat Propertius.

4. *Cyrenæas aquas.*] Fontes nimirùm, ex quibus Callimachus *Cyrenæus* bibit, vel quibus Muſis ſacra fecit. De *Phileta* & Callimacho dictum eſt ad Eleg. 1. Lib. 3.

6. *Laneus orbis.*] *Laneas* vittas intelligit, quibus aræ coronari ac præcingi ſolebant. Virgil. Eclog. 8.

Affer aquam & molli cinge hæc altaria vittâ.

Idem Virgil. Lib. 8. Æneid.

Velleribus niveis & feſtâ fronde revinctam.

Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes, alio sint aëre noxæ.
Pura novum vati laurea mollit iter.
Musa, Palatini referamus Apollinis ædem;
Res est, Calliope, digna favore tuo.
Cæsaris in nomen ducuntur carmina; Cæsar
Dum canitur; quæso, Juppiter, ipse vaces.
Est Phœbi fugiens Athamana ad littora portus,
Quà sinus Ioniæ murmura condit aquæ;
Actia Julææ pelagus monumenta carinæ,
Nautarum votis non operosa via.
Huc mundi coïêre manus, stetit æquore moles
Pinea, nec remis æqua favebat avis.

INTERPRETATIO.

Aquis me perfundite, & novis altaribus è Cadis Mygdoniis eburnea tibia versus canat. Longè hinc abscedite perfidia, sint alio sub cœlo culpæ: Casta laurea facilem Poëta reddit viam hactenùs non tritam. O Musa, celebremus templum Apollinis Palatini; ô Calliope, materia ista *digna est tuâ ope & numine. Versus canuntur in laudem Cæsaris. O Juppiter, oro, ipse attendas, donec laudatur Cæsar. Phœbi portus est recedens ad Athamanas oras, quâ parte maris Ionii fragores sinus recondit. Actiacum mare Julea ratis monimentum, navigantium jam votis iter non difficile. Illuc totius orbis copia convenerunt. illo in mari classis ingens constitit, neque fausta ales utrinque remis favebat.*

ANNOTATIONES.

7. *Spargite me lymphis.*] Hinc constat lustralem aspersionem etiam fieri consuevisse apud antiquos in sacrificiis Superorum Deorum, contrà Macrobium & Servium, qui censent aspersionem adhiberi consuevisse in sacris Inferorum, ablutionem verò in sacris Superorum. Ovidius etiam Lib. 4. Fastor. Propertio concinit.

Bis caput intonsum fontanâ spargitur undâ.

Idem etiam Ovid. Lib. 5. Fastor. de quodam Mercatore sese expiante.

Spargit & ipse suos lauro rorante capillos.

Aspersio lustralis, quâ se purgari putabant veteres, in sacris fiebat lauri ramo.

8. *Tibia Mygdoniis cadis.*] Hinc etiam constat sacris apud antiquos adhiberi consuevisse *tibicines*, ut etiam testantur Horat. Livius, Virgilius &c. Vult autem Propertius sacris suis adhiberi musicam Phrygiam; quæ religiosior ipsi videbatur, cùm dicit *Mygdoniis cadis.*

Mygdonia nimirùm regio est Phrygiæ, ubi etiam civitas fuit dicta *Cadi*, unde vox *Cadis* hic est ambigua; significat enim & urbem, & dolia, quæ vasa sunt vino condendo servandoque idonea. Sed forsan pro *Mygdoniis Cadis* legendum est, *Mygdoniis modis.*

15. *Athamana ad littora.*] *Athamanes* populi sunt Epiri Ætoliæ contermini, ut habet Strabo pluribus in locis. Lib. 7. & 9.

17. *Actia Julæa monimenta carinæ.*] Ad *Actium* promontorium ab Augusto conditum est templum Apollinis, ac oppidum, cui nomen inditum est *Nicopolis*, à victoria, navali ex Antonio in Actio mari relata; quæ quidem vocat Propertius *monimenta Julæa carinæ*, hoc est Augusti.

Altera classis erat Teucro damnata Quirino,
Pilaque fœmineâ turpiter apta manu.
Hinc Augusta ratis plenis Jovis omine velis,
Signaque jam patriæ vincere docta suæ.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus,
Armorum & radiis picta tremebat aqua;
Cùm Phœbus linquens stantem se vindice Delon
(Nam tulit iratos mobilis una Notos)
Astitit Augusti puppem super, & nova flamma
Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille attulerat crines in colla solutos,
Aut testudineæ carmen inerme lyræ.
Sed quali aspexit Pelopeïum Agamemnona vultu,
Egessitque avidis Dorica castra rogis;

Interpretatio.

*Ex una parte classis erat addicta jam & adjudicata Quirino Teucro, spiculaque vibrata cum dedecore manu muliebri. Ex altera verò parte navis Augusta stabat velis auspicio Jovis impletis. Tunc demùm ambos exercitus in arcus formam curvaverat Nereus, armorumque fulgore distinctum mare radiabat: cùm Phœbus relinquens Delon ipso assertore immotam (sola enim in*sularum *errabunda sævientes Notos perpessa est) adfuit Augusti navi in puppi sedens, insolitaque flamma emisit curvata in speciem rotatæ tæda. Non ille venerat cùm comis per cervicem humerosque fluentibus, vel cum cithara testudinea cantibus bello ineptis; verùm illo cùm vultu, quo Pelopeium Agamemnonem vidit, rapidisque exhausit funeribus Dorica castra.*

Annotationes.

21. *Teucro Quirino.*] Trojanus *Quirinus* dicitur Augustus, quod ab Ænea Trojano originem traxerit. Testatur porrò Servius sicut etiam Suetonius aliquando vocatum fuisse *Quirinum* Augustum. Hæc habet Servius ad illud Lib. 1. Æneid. *Romo cum fratre Quirinus. Populus*, inquit, *Romanus Octavio tria obtulit nomina, utrum vellet Quirinus, an Cæsar, an Augustus vocari. Ille, ne unum eligendo, partem læderet, quæ aliud offerre cupiebat, diverso tempore omnibus usus est.*

22. *Fœmineâ manu.*] Cleopatræ nimirùm reginæ Æhypti, quæ vires suas cum totius ferè Orientis auxiliaribus copiis Antonio suo contulerat.

27. *Stantem Delon.*] Insula *Delos* olim per mare vagabatur, fluctuabatque ventis agitata, sed tandem eam Apollo ibidem genitus ab errore liberavit, immobilemque reddidit.

33. *Pelopeium Agamemnona.*] Dicitur *Agamemnon Pelopeius*, quia nimirùm *Pelops* Tantali filius *Agamemnonis* fuit avus; Plisthenes enim filius *Pelopis Agamemnonem* & Menelaum genuit, qui dicti sunt Atridæ ab Atreo patruo, qui eos parte orbatos educavit

34. *Egessit Dorica castra rogis.*] Fabulam illam sic narrat Homerus Lib. 1. Iliados. Cùm aliquando Astynome Chrysæ Sacerdotis Apollinis filia à Græcis capta in manus Agamemnonis venisset, Chryses puellæ pater Apollinis insignibus ornatus cùm ingentibus donis accessit ad Agamemnonem, filiamque sibi restitui petiit. Quod cum ab Agamemnone non potuisset impetrare, precatus est Apollinem, ut illatam injuriam ulcisceretur. Apollo statim gravem in Græcos pestilentiam

Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes
Serpentem, imbelles quem timuêre lyræ.
Mox ait, ô longa mundi servator ab Alba
Auguste, Hectoreis cognite major avis;
Vince mari, jam terra tua est, tibi militat arcus,
Et favet ex humeris hoc onus omne meis.
Solve metu patriam, quæ nunc te vindice freta
Imposuit proræ publica vota tuæ.
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
Ire Palatinas non bene vidit aves.
Et nimium remis audent prope turpe Latinis,

INTERPRETATIO.

vel qui Pythonem anguem per sinuosa volumina telis confixit, quem molles cithara reformidarunt. Statim sic alloquitur Cæsarem; *ô vindex orbis terrarum Auguste ab Alba longa, clarior & illustrior majoribus tuis Hectoreis. Esto victor per mare, orbis terrarum nunc tuus est, arcus meus tibi pugnat, istudque totum pondus ex humeris meis pendens tibi studet. Patriam tuam libera timore, quæ jam assertore te nixa communia vota sua in tua navi collocavit; quam si non proteges mœnium conditor Romulus augurium captans se mentitus est conspexisse Palatinas volucres volare. Ac etiam te principe, fluctus* Ionii *sustinent ferre carbasa regalia quod eheu! probrosum nimis est navibus Latinis*

ANNOTATIONES.

immisit, quæ eorum pœnè exercitum funeribus ac mortibus frequentissimis exhausit. *Dorica* namque *castra* sunt Græcorum. *Dores* enim & *Dorici* populi sunt Græciæ ad sinum Maleacum, & Oetam montem siti, qui sæpiùs pro *Græcis* apud Poëtas ponuntur.

35. *Solvit Pythona.*] Nota est fabula de *Pythone* serpente, quem sagittis occidit Apollo, unde & dictus est Deus *Pythius*. Videsis Ovidium Lib. 1. Metamorph.

37. *Longa ab Alba Auguste.*] Alloquitur *Augustum* Apollo. O *Auguste*, inquit, totius orbis vindex, ducens originem ab Albanis regibus, ex quibus nimirùm Julia gens orta est, &c.

38. *Hectoreis major avis.*] tu, inquit Apollo, cujus virtus clarior est, quam avorum tuorum de gente Hectorea.

40. *Hoc onus ex humeris.*] Pharetram telis gravem, quam humeris gestabat, intelligit.

44. *Palatinas non bene vidit aves.*] Remus & Romulus fratres gemini cum urbem in eodem loco, in quo fuerant educati, communibus votis condidissent; inter eos posteà orta contentio est, uter urbi novæ nomen daret, conditamque imperio regeret. Placuit rem avium arbitrio permitti. Remus montem Aventinum, Romulus *Palatinum* occupat. Remus prior sex vultures, Romulus posteà duodecim videt volantes. Sic victor augurio Romulus urbem suo de nomine Romam vocat, imperioque regere incipit. Rem eleganter refert Ovid. Lib. 4. Fastor.

Contrahere agrestes & mœnia ponere utrique
Convenit; ambigitur mœnia ponat uter.
Nil opus est dixit certamine Romulus ullo,
Magna fides avium est, experiamur aves.
Res placet: Alter init nemorosi saxa Palati,
Alter Aventinum mane cacumen habet.

Principe te, fluctus regia vela pati.
Nec te quod classis centenis remiget alis
Terreat, invito labitur illa mari.
Quodque vehunt proræ Centaurica saxa minantes,
Tigna cava & pictos experiere metus.
Frangit, & attollit vires in milite causa,
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.
Tempus adest, committe rates, ego temporis auctor
Ducam laurigerâ Julia rostra manu.
Dixerat, & pharetræ pondus consumit in arcus.
Proxima post arcus Cæsaris hasta fuit.
Vincit Roma, fide Phœbi, dat fœmina pœnas,
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratus Cæsar ab astro.
Sum Deus, & nostri sanguinis ista fides.
Prosequitur cantu Triton, omnesque marinæ
Plauserunt circà libera signa Deæ.

INTERPRETATIO.

Ne verò te commoveat, quod classis regia centum remis impulsa feratur. ipsa namque invitum per æquor navigat: & licet proræ ad terrorem facta ferant saxa Centaurica, cognosces trabes esse cavatas, cassasque formidines, inanesque terrores esse senties. Jus partium in militibus frangit, vel excitat vires, quod si non est æquum, turpitudo cogit arma abjicere. Nunc tempus adest, jube naves congredi; ego temporis conditor Julias rates deducam manu meâ victrici. Ut locutus est onus coryti in arcum impendit, post sagittas Phœbi proxima fuit hasta Cæsaris. Victrix est Roma ope & auxilio Phœbi, mulier supplicium luit, ejusque sceptra contrita per fluctus Ionis feruntur. Sed Cæsar pater cum admiratione prospectans ab Idalio sidere ait. Ego sum Divus, meique generis hoc certa probatio est. Triton canendo prosequitur, & omnes Divæ æquoreæ plausum dederunt circà signa victricia.

ANNOTATIONES.

Sex Remus hinc volucres, bis sex videt ordine frater,
Stetat. & arbitrium Romulus urbis habet.

46. *Regia vela.*] *Vela* nimirùm Cleopatræ Ægypti reginæ, quæ purpurea fuisse dicuntur. Plin Lib. 19. cap. 1. *Velo purpureo ad Actiam cum M. Antonio Cleopatra venit, eodemque effugit.*

49. *Centaurica saxa.*] Nota vis est *Centaurorum*, qui pugnantes in Lapithas ingentia saxa, & loco saxorum pocula & arbores jaculabantur.

50. *Tigna cava.*] Ostendit classem Antonii & Cleopatræ non esse timendam, quamvis in ea sint naves immensæ magnitudinis, quæ quidem sunt solidæ, sed egregios non habent bellatores.

59. *Idalio ab astro.*] Cæsar dicitur pater Augusti, non naturâ, sed adoptione; erat enim tantùm ejus avunculus major. De ipsius adoptione Suetonius in Augusto cap. 4. *Idalium* porrò *astrum* Propertius vocat; quod Horat. Lib. 1. Od. 12 dicit *Julium sidus*. Cæsar enim post mortem Deus factus esse & inter *astra* relatus dicitur. *Idalium* idem est, quod Venereum, ab *Idalio* civitate Cypri Veneri cara; Cæsar autem à Venere originem ducebat.

Illa petit Nilum cymbâ male nixa fugaci,
Hoc unum, jusso non moritura die.
Dii meliùs. Quantus mulier foret una triumphus,
Ductus erat per quas ante Jugurtha vias.
Actius hinc traxit Phœbus monumenta, quod ejus
Una decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini, citharam jam poscit Apollo
Victor, & ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant convivia luco,
Blanditiæque fluant per mea colla rosæ;
Vinaque fundantur prælis elisa Falernis,
Terque lavet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis irritet musa Poëtis.
Bacche soles Phœbo fertilis esse tuo.

INTERPRETATIO.

Ista fœmina *Nilum repetit non benè fulta lintre fugitivâ. Id tantùm* defuit triumpho, *quod illa coacta non fuerit die sibi constituto perire.* Sed *superi meliùs. Quam magnus esset de una fœmina triumphus per vias easdem, per quas priùs fuerat rex Jugurtha ductus! Inde Phœbus Actiacus suam celebritatem & famam habuit, quod unicum ejus telum vibratum decem naves devicit. Ego sat cantavi prælia, nunc sibi lyram dari vult Apollo victor, & ad molles choros arma deponit. Jam læta succedant epula in nemus amœnum, & suavibus rosis caput meum affluat. Affundatur etiam merum torcularibus Falernis expressum, ac meos crines iterùm ac tertiò perfundat spica Cilissa. Vatibus potis excitet ingenium Musa: ô Bacche, tu consuevisti fertilis existere tuo Phœbo.*

ANNOTATIONES.

64. *Illa petit Nilum.*] Regina nimirùm Cleopatra in *Nili* recessus aufugit.

66 *Jugurtha.*] Numidiæ Rex captus à Caio Mario, ac catenis vinctus Romæ ductus est in triumphum, ubi non diu post in carcere inediâ periit.

67. *Actius Phœbus traxit monumenta.*] Ut victoriæ *Actiacæ* memoria celebrator in posterum esset, urbem Nicopolim apud *Actium* condidit Augustus, ac ibidem ludos instituit quinquennales, templumque Apollini celeberrimum ædificavit. Insuper etiam Romæ templum Apollinis Palatini constituxit. Hæc Poëta vocat *Apollinis Actii monimenta.*

73. *Prælis Falernis.*] Optat sibi infundi vinum *Falernum*, quod optimum existimatur, & in agro *Falerno*, quæ regio Campaniæ est, nascitur.

74. *Spica Cilissa.*] Quid sit *spica Cilissa*, maxima lis est inter scriptores. Scaliger vult esse bulbum nardi Indicæ; alii volunt esse crocinum unguentum, quia nimirùm crocum optimum *Cilicia* ferre quondam dicebatur; alii volunt *spicam Cilissam* esse nardinum unguentum, quod spica nardi dicitur, etenim nardus in Cilicia nascitur, ut scripsit Dioscorides.

75. *Poëtis Potis.*] Ingenium acuit, acriusque reddit vinum. Horat. Lib. 1. Epistol. 19.

Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda. ———

Martialis Lib. 11. Epigr. 7.

Possum nihil ego sobrius; bibenti
Succurrunt mihi quindecim poëtæ.

76. *Bacche Soles Phœbe.*] *Bacchus* & *Phœbus* Dii sunt Poëtarum, quibus

Ille paludosos memoret servire Sicambros,
    Cepheam hic Meroën, fuscaque regna canat.
Hic referat serò confessum fœdere Parthum,
    Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua.
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
    Differat in pueros ista trophæa suos.
Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas,
    Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem paterâ, sic ducam carmine, donec
    Injiciat radios in mea vina dies.

INTERPRETATIO.

Ille narret devictos esse palustres Sicambros, iste verò Cepheam Meroën. & imperia infuscata cantet. Iste dicat Parthum tardiori pace supplicem: ut ille restituat signa Remi, qui ipse sua modo tradet. Si verò nonnihil Augustus corytis Eois remittet, has victorias & triumphos liberis nepotibusque suis relinquat. Lætare, ô Crasse, si quis tibi sensus est inter atras arenas, jam liberum est iter per Euphratem ad sepulcrum tuum. Igitur noctem vino & cantu transigam, quoad usque dies in pateras meas radios suos vibret.

ANNOTATIONES.

etiam communia fuerunt in Parnasso sacra. Dicitur autem Bacchus fertilis Phœbo, quia vino sæpè vegetatur ingenium ad carmina facienda. Deinde etiam dicitur Apollo fuisse in Bacchi fratris sui una cum Musis comitatu.

77. *Paludosos Sicambros.*] Sicambri populi sunt Germaniæ Menapiis vicini, qui ad utramque Rheni ripam positi regiones *palustres* incoluerunt. Unde dicuntur *Paludosi*. De his vide Strab. Lib. 4.

98. *Cepheam Meroën.*] *Meroë* omnium, quas Nilus efficit, insularum maxima *Meroë*, quæ & urbem ejusdem nominis habet, totius insulæ caput est.

Dicitur autem *Cephea* à *Cephee* Andromedes patre, qui in ea regnavit.

Fuscaque regna] Ægyptum, Æthiopiam, Indiam, aliasque regiones intelligit, quarum incolæ vultus nigredine decolorantur.

80. *Reddat signa Remi.*] Hoc est, *Parthi* se devictos esse confitentes ac pacem ab Augusto petentes signa Romana restituent, quæ Crassis eripuerunt. Vide annotat. ad Eleg. 4. & 5. Lib. 3.

83. *Nigras inter arenas.*] Assyriæ seu Mesopotamiæ campos, quorum humus, utpote pinguior ac uberior *nigra* est, significat, in quibus à Parthis occisus est Crassus uterque, pater nimirùm ac filius; de quibus dictum est ad Eleg. 4. & 5. Lib. 3. Ovid. Lib. 6. Fastor.

Crassus ad Euphraten aquilas natumque suasque
Perdidit, & leto est ultimus ipse datus.

84. *Ire per Euphraten ad tua busta.*] Nullum tamen fuisse comperitur Crassi sepulcrum. Nam caput ei dextraque abscissa, delataque ad regem Parthorum fuisse Dio, Plutarchus & Appianus narrant, qui de sepulcro nihil.

86 *Injiciat radios in mea vina.*] Ob Augusti victoriam vult in diem producere convivium. Tibull.

Illum sæpè ferunt convivia ducere Baccho,
Dum rota Luciferi provocet orta diem.

ELEGIA VII.

ELEGIA VII.

SOMNIUM NARRAT DE CYNTHIÆ UMBRA.

SUNT aliquid manes: letum non omnia finit;
Lucidaque evictos effugit umbra rogos.
Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
Marmor ad extremæ nuper humata viæ;
Cùm mihi ab exequiis somnus penderet amaris,
Et quereret lecti frigida regna mei.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit.
Et solitum digito beryllon adederat ignis,
Summaque Lethæus triverat ora liquor.
Spirantesque animos, & vocem misit: at illi
Pollicibus fragiles increpuêre manus.
Perfide, nec cuiquam melior sperande puellæ,
In te jam vires somnus habere potest?
Jamne tibi exciderant vigilantis furta Suburræ,

INTERPRETATIO.

MOrtuorum animæ sunt aliquid. mors cuncta non destruit: sed pallidi manes bustorum flammas effugiunt. Mihi enim visa est Cynthia recens sepulta ad lapidem extremæ viæ lecto meo incumbere, cùm mihi suspensus esset & incertus sopor ab ejus tristi funere meique tori regnum algere lamentaret. Eosdem ipsa habebat crines, cum quibus est elata domo suâ ad sepulcrum, eosdem ocellos, ejus lateri vestis fuerat exusta flammaque beryllon ejus digito assuetum corruperant, & aqua Lethæa ipsi summa labra detriverat; spiritusque animosos vocemque emisit: sed ipsi manus graciles digitis stricta strepuerunt. O infidelis, ait, neque ulli fœminæ fideliter sperande. An sopori tam cito potes succumbere? An tam citò oblitus es furta Suburræ vigilantis

ANNOTATIONES.

1. *SUnt aliquid manes.*] Somnium narrat Propertius, quo sibi visa sit Cynthiæ umbram visus est, eaque quæ ab ipsa audierit, commemorat, carpit autem eos, qui *manes* nihil esse contendunt, nihilque post mortem superesse.

3. *Fulcro.*] *Fulcrum* hic pro lecto sumitur.

4 *Marmor* Ad columnam vel pilam, vel potiùs lapidem, quo milliare signabatur. Plures legunt, *murmur*; putantque Cynthiam ad ripam fluminis Anienis fuisse sepultam, ubi *Per pronum trepidat cum murmure flumen.*

Extrema via.] *Extrema via* locus est, in quem via desinit Ulpian L. 3. de locis & itineribus publicis tit. 7. Lib. 43 *Viæ militares exitum in mare, aut in urbes, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent.*

10. *Lethæus liquor.*] Aqua *Lethes* inferorum fluvii, quam mortui bibunt Virgil Lib 6 Æneid

Lethæos latices & longa oblivia potant.

15 *Suburra vigilacis.*] *Suburra* vicus fuit Romæ, unde ego vicina dicta

Si piguit portas ultrà procedere, at illuc
 Jussisses lectum lentiùs ire meum.
Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
 Cur nardo flammæ non oluêre meæ?
Hoc etiam grave erat nullà mercede hiacynthos
 Injicere, & fracto busta piare cado.
Lygdamus uratur, candescat lamina vernæ.
 Sensi ego, cum insidiis pallida vina bibi.
Aut Nomas arcanas tollat versuta salivas.
 Dicet damnatas ignea testa manus.
Quæ modò per viles inspecta est publica noctes,
 Hæc nunc auratâ cyclade signat humum.

INTERPRETATIO.

Si tibi grave fuit extrà portas urbis egredi, meumque funus ad sepulcrum comitari, *vel saltem jubere debueras meum feretrum lentiùs procedere. O perfide, quare ventos in pyram meam ipse non vocasti? Quidni ignes rogi mei unguentis perfusi sunt? Te nimirùm etiam piguit viles hiacynthos* in meum bustum *immittere, manesque meos placare effuso dolio. Lygdamus inuratur, ardescat lamina ad cruciandum servum. Ego animadverti*, sed serò, id esse faciendum, *quando ex insidiis livida pocula hausi. Nomas verò versipellis sputa magica removeat; ignita tunc testa manus sceleratas manifestabit. Quæ nupervulgaris inspectata est per noctes parvo pretio emptas, ista jam aureo syrmate terram verrit.*

ANNOTATIONES.

Varronis verba. *Propinquæ adolescentulæ, & adolescentuli etiam anthracinis, proxima amiculo nigello, capillo demisso, sequerentur luctum.* Quod autem Plutarchus in problematis scribit matronas albatas funus prosequi consuevisse, id postea procedente tempore factum est, ut prisca mutaretur consuetudo.

31. *Cur ventos non ipse rogis.*] Postquam jam esset incensa pyra ventos amici mortuorum petere solebant, qui flammam ardentiorem suscitarent, alerentque, ut cadaver rogo impositum citiùs faciliùsque cremaretur.

32. *Cur nardo flamma*] Solebant veteres flores & unguenta in mortuorum rogos injicere, ut dictum est supr. ad Eleg. 13. Lib. 2. v. 23. & 30. & Eleg. 16 Lib. 3. v. 21.

34. *Fracto cado.* Vino quoque rogus, sepulcrum, ac mortuorum cineres & reliquiæ respergebantur. Virgil. Lib. 6. Æneid.

Relliquias vino, & bibulam lavere favillam.

De hoc etiam ritu dictum est in notis ad Tibull. Eleg 2. Lib. 3.

35. *Candescat lamina vernæ.*] Ad *vernam* cruciandum. Ardentes *laminæ* tormentorum, ac quæstionum genus fuerunt apud veteres.

36. *Cum insidiis pallida vina bibi.*] Videtur innuere Cynthia Lygdamum veneno vitæ suæ insidiatum fuisse.

37. *Nomas*] Nomen est fœminæ veneficæ seu sagæ, quæ salivis utebatur ad expiationes, quas lustrales seu purgatorias Persius appellavit,

——— *Lustralibus ante Salivis*
Expias.

38. *Dicet ignea testa.*] *Ignita testa*, ut suprà dixit, *lamina candescens*, fateri coget, cujus manibus sceleratis mixtum fuerit venenum.

39 *Quæ modò inspecta est.*] Ut exploraretur, an placeret emptori; nam res venales, ac merces inspiciuntur.

40. *Cyclade.*] *Cycla* species est vestis muliebris, quæ à forma nomen habere dicitur.

Et graviora rependit iniquis pensa quasillis,
  Garrula de facie si qua locuta mea est.
Nostraque quod Petale tulit ad monimenta corollas;
  Codicis immundi vincula sentit anus.
Cæditur & Lalage tortis suspensa capillis,
  Per nomen quoniam est ausa rogare meum.
Te patiente, meæ conflavit imaginis aurum;
  Ardenti è nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector quamvis mereare, Properti;
  Longa mea in Libris regna fuere tuis.
Juro ego fatorum nulli revocabile carmen,
  Tergeminusque canis sic mihi molle sonet,
Me servasse fidem; si fallo, vipera nostris
  Sibilet in tumulis, & super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem;

INTERPRETATIO.

Si verò forsan aliqua nimium loquax de mea pulcritudine locuta est, ei reddit pensa graviora injustis calathis. Et quia Petale serta detulit ad meum sepulcrum, infelia vetula teter codicis catenas patitur. Implexis etiam in funis modum crinibus Lalage pendens verberatur, propterea quod per nomen meum confisa est orare. Te etiam permittente, imaginem meam auream liquefecit è meo busto accenso dotem habitura. Nihilominùs te non increpo, licet dignus sis increpatione, ô Properti; diuturnus fuit meus principatus in tuis versibus. Ego juro fatorum carmen nemini revocabile; & ita mihi canis triceps leniter allatret, me semper tibi fuisse fidelem; si mentior, vipera sibilet in meo sepulcro, cineribusque meis incubet. Duplex autem est habitatio sorte data per luridum flumen,

ANNOTATIONES.

41. *Petale.*] Nomen est vetulæ, quam vinculis codicariis constrictam fuisse dicit quod ad suum tumulum flores detulisset.

44. *Codicis immundi.*] Hoc in loco *Codex* seu *Caudex*, tormenti genus est, vulgoque Galliè dicitur *un billot*. Ad *codicem* alligabantur servi, captivi, rei, &c. Erat autem ligneus stipes, quem ægrè trahebant, & cui vincti insidebant. Juvenalis Satyr. 2. v. 57.

Horrida quale facis residens in codice pellex.

45. *Cæditur & Lalage.*] *Lalage* nomen fuit puellæ Horatii amicæ Lib. 1 Od, 2. & Lib. 2 Od, 5 Hic autem est cujusdam ancillæ nomen, quæ à nova domina capillis impleais in modum funis suspensa torquetur.

47. *Conflavit.*] Imaginem meam auream liquefecit, ut in aliam mutaret formam. Dolet autem Cynthia, quòd tam citò amoris pristini sit oblitus Propertius, ut passus sit suam effigiem auream à nova ipsius amica *conflari.*

48. *E nostro dotem habitura rogo.*] Quia nimirùm Cynthiæ *rogo* debebatur ejus imago aurea, cum pretiosissima quæque cum mortuis pyrâ incensâ cremari solerent.

52. *Tergeminusque canis.*] Cerberus triceps Inferorum custos ac janitor, qui latratu suo manes terret.

55. *Nam gemina est sedes.*] Duplicem esse *sedem* seu habitationem, duplicemque umbrarum turbam apud Inferos piorum nempe, & impiorum significat. De his etiam Tibullus Lib. 1. El. 3,

Turbaque diversâ remigat omnis aquâ.
Una Clytemnestræ stuprum vehit, altera Cressæ
Portat mentitæ lignea monstra bovis.
Ecce coronato pars altera vecta phaselo,
Mulcet ubi Elysias aura beata rosas.
Quâ numerosa fides, quâque æra rotunda Cybelles,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris,
Andromedeque, & Hypermnestræ sine fraude maritæ
Narrant historiæ pectora nota suæ.
Hæc sua maternis queritur livere catenis
Brachia, nec meritas frigida saxa manus.
Narrat Hypermnestræ magnum ausas esse sorores
In scelus, hoc animum non valuisse suum.
Sic mortis lacrymis vitæ sanamus amores.
Celo ego perfidiæ crimina multa tuæ.
Sed tibi nunc mandata damus; si fortè moveris,
Si te non totum Chloridos herba tenet.
Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
Parthenie; patuit, nec tibi avara fuit.
Deliciæque meæ Latris, cui nomen ab usu est,

INTERPRETATIO.

& tota umbrarum *multitudo aquam navigat, per quam in diversas sedes itur. Illa aqua libidines portat Clytemnestra, ista fert monstrum ligneum Cretensis* reginæ, *vacca formam ementita. En verò alia turba delata rate corollis ornatâ ad locum, ubi felix Zephyri flatus molliter afflat Elysias rosas, ubi cithara modulantes, & æra rotunda Cybelles & lyra Lydia mitratis choris resonant, ibi quoque Andromede & Hypermnestra sine culpa nupta historiam pectoribus suis cognitam referunt. Ista conqueritur sibi livescere maternis vinculis brachia, manusque suas indignas, quæ gelidis rupibus alligarentur Hypermnestra refert ingens facinus sorores suas patrasse, cui suum animum imparem fuisse dicit Ad hunc modum leti querelis, ac flebilibus narrationibus vitæ medemur amoribus; ego dissimulo ac silentio prætereo plures infidelitatis tuæ injurias. Jam verò tibi hæc peragenda committo, eroque, si forsan adhuc tu mei curâ tangeris, si te totum omnino non cepit Chloridos gramen, ne aliquâ re egeat in ætate senili altrix* mea *Parthenie: aperto erga te semper fuit animo, neque tibi fuit avara. Et Latris mea voluptas, quæ nomen habet à ministerio,*

ANNOTATIONES

57. *Una Clytemnestra.*] De Clytemnestra dictum est ad Eleg. 19. Lib. 3. v. 19. & 20

58. *Mentitæ Cressæ lignea monstra bovis.*] *Pasiphaen* Minois regis Cretæ conjugem significat, quæ simulacro ligneo vaccæ inclusa cum tauro concubuit. De hac dictum est ad Eleg. 19. Lib 3. v. 11.

63. *Andromede & Hypermnestre.*] Dictum est etiam de *Andromede* Eleg. 3. Lib. 1. v. 3. & 4. De *Hypermnestra* autem vide quæ dicta sunt ad Eleg. 1. Lib. 2. v 67.

72. *Chloridos herba.*] Hoc est, veneficia, seu philtra, ac pocula amatoria ex *herbis* confecta.

74. *Parthenie.*] Nutricis Cynthiæ nomen, quæ Propertio semper benigna fuit ac benefica.

75. *Deliciæque meæ Latris.*] *Latris*, latinè est serva, seu famula à verbo Λατρεύειν

Ne ſpeculum dominæ porrigat illa novæ.
Et quoſcumque meo feciſti nomine verſus,
Ure mihi: laudes deſine habere meas.
Pelle ederam tumulo, mihi quæ pugnante corymbo
Mollia contortis alligat oſſa comis.
Ramoſis Anio quâ pomifer incubat arvis,
Et nunquam Herculeo numine pallet ebur;
Hoc carmen mediâ dignum me ſcribe columnâ,
Sed breve quod currens vector ab urbe legat.
Hîc Tiburtina jacet aurea Cynthia terra;
Acceſſit ripæ laus, Aniene, tuæ.
Nec tu ſperne piis venientia ſomnia portis,
Cum pia venerunt ſomnia, pondus habent.
Nocte vagæ ferimur; nox clauſas liberat umbras,
Errat & abjectâ Cerberus ipſe ſerâ.

INTERPRETATIO.

ipſa nova hera ne præbeat ſpeculum, & quotquot omnia nomine meo finxiſti carmina, da flammis in meum honorem, ne diutiùs præconia mea retineas. Amove à ſepulcro meo hederam, quæ mihi inimicis baccis teneros cineres implicitis ramulis alligat. Quâ parte pomis conſitus Anio agris frondoſis illabitur. Herculeoque numine nuſquam ebur ſquallet, hos verſus me dignos in media columna exara, eoſque paucos. quos vector propere veniens ab urbe facile legat. Hoc in tumulo ſepulta quieſcit Cynthia Tiburtina formoſiſſima, illa acceſſit decus ripæ tuæ, ô Anio. Neque tu aſpernare ſomnia immiſſa per bonas portas, quando pia ſomnia ipſi dormienti obtulerunt, firma ſunt, & vera. Per noctem vagantes huc illuc erramus, nam liberos facit manes per diem occluſos. vagatur quoque Cerberus ipſe relictâ ſerâ.

ANNOTATIONES.

81. *Ramoſis Anio.*] De fluvio *Anione* pomifero, vide annotat. ad Eleg. 16. Lib. 3 v. 4.

82. *Herculeo numine pallet ebur.*] Tibur Sabinorum oppidum fuit *Herculi* ſacrum, ſummâ aeris clementiâ commendatum, adeò ut etiam cœlum *Tiburtinum* diceretur olim rebus præſtare candorem præſtantiſſimum, eburque ibidem nunquam ſquallere, Silius Italicus.

——— ——— *Tiburis aura*
Paſcit ebur. ———

Martialis Lib. 4. Epigram. 62.

Tibur in Herculeum migravit nigra Lycoris,
Omnia dum fieri candida credit ibi.

85. *Hîc Tiburtina jacet.*] Epitaphium eſt, quod ſibi poni, ac ſcribi in columna poſcit Cynthia.

86. *Ripæ laus, Aniene tua.*] Sepulta videtur Cynthia in agro Tiburtino ad ripam fluminis *Anienis*, ubi etiam alios innuere videtur fuiſſe ſepultos, dum dicit tumulum Cynthiæ fore auctarium gloriæ *Anienis*, qui dictus eſt & *Anienus*, i. ſicut & *Anio*, *enis*.

87 *Nec tu ſperne piis ſomnia portis.*] Duas eſſe *ſomniorum portas* veteres eſſe dixerunt, corneam, & eburneam; quarum cornea, veris, bonis, & piis, eburnea verò falſis eſt *ſomniis* aſſignata. De his ſomniorum portis Virgil. Lib. 6 Æneid. ſub finem, Macrob in ſomnium Scipionis, Homerus Lib. 19. Odyſſ.

Luce jubent leges Lethæa ad ſtagna reverti :
  Nos vehimur, vectum nauta recenſet onus.
Nunc te poſſideant aliæ, mox ſola tenebo;
  Mecum eris, & miſtis oſſibus oſſa teram.
Hæc poſtquam querulâ mecum ſub voce peregit,
  Inter complexus excidit umbra meos.

INTERPRETATIO.

Leges Inferorum *præcipiunt nos adveniente die reverti ad Lethæas paludes. Nos portamur, nauta verò numerat vectores. Jam te fruantur aliæ, propediem ego te una poſſidebo, mecum verſaberis, commiſtiſque meis oſſibus oſſa tua premam. Ubi verò iſta mecum mœſtâ voce locuta eſt umbra* Cynthiæ, *ſtatim per meos amplexus dilapſa eſt.*

ANNOTATIO.

92. *Vectum nauta recenſet onus.*] Hoc eſt, Charon umbrarum luſtrat numerum, eaſque recognoſcit; ne forſan aliqua deſit. Virgil. Lib. 6. Æneid.

Omnemque ſuorum
Fertè recenſebat numerum.

Si fuerint castæ, redeunt in colla parentum,
Clamantque agricolæ, fertilis annus erit.
Huc mea detonsis avecta est Cynthia mannis;
Caussa fuit Juno, sed mage caussa Venus.
Appia dic, quæso, quantum te teste triumphum
Egerit, effusis per tua saxa rotis.
Turpis in arcana sonuit cùm rixa taberna;
Si sine me, famæ non sine labe meæ.
Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit,
Ausa per impures frena movêre locos.
Serica nam taceo vo si carpenta nepotis,
Atque armillatos colla Molossa canes,

INTERPRETATIO.

Si fuerint illæ virgines illibatæ in amplexus parentum recurrunt, conclamantque coloni, felix & abundans erit annus. Illum in locum amica mea Cynthia attonsis equulis delata est; hujus itineris causa fuit Juno, sed multò plus Venus. O via *Appia, dic, oro, quam magnum triumphum gerit, te arbitrâ & conscià emisso per lapides tuos curru? quando magnum personnit jurgium in occulta taberna, licet absque me, non tamen absque damno existimationis meæ. Ipsa insidens conspicienda in prima temonis parte suspensa erat, audax etiam per immunda loca habenas* equorum *immittere. Ego enim silentio prætereo sericos currus glabri illius ganeonis, canesque Molossos collaribus armillatis vinctos.*

ANNOTATIONES.

13. *Si fuerint castæ.*] Si illibatæ ac intactæ viris essent puellæ, quæ escam draconi porrigebant, ex earum manu cibum sumebat, incolumesque ad parentes redibant, pudicæque omnibus habebantur: sin autem impudicæ, illas aversabatur ac infestabat

15 *Mannis.*] *Manni* sunt equi parvi, quos vulgò *Bidets* Gallicè vocamus. Vetus interpres Horatii in Epod. 4 *Manni*, inquit, *equi sunt parvi, quos vulgò burdones, seu burichos nominamus.* Idem in Epist. 7. Lib. 1. *Mannis parvis equis burichis.*

16. *Causa fuit Juno.*] Apud Lanuvium *Juno* sospita religiosissimè colebatur, ipsique ritus pascendi draconis dicatus erat; unde simulavit Cynthia se religionis causâ Lanuvium carpento vectam accessisse, cum reverâ libidinis ac stupri causâ illud iter suscepisset, quemadmodum & suprà dixit Poeta consuevisse Cynthiam suos frequenter ab urbe excursus specie religionis prætexere. Vide Eleg. 32. Lib. 2.

17. *Appia.*] Viam *Appiam* testem appellat, quasi esset oculata ac rationalis, & non muta. Fuit autem *Appia* via sic dicta ab *Appio* Claudio, qui eam lapidibus stravit ab urbe Roma per Campaniam Brundusium usque.

23. *Serica Carpenta.*] Locus hic corruptus videtur, quem Beroaldus sanavit, ut potuit; qui tamen conviciis ob id oneratur à Scaligero, & aliis, qui nihil tamen meliùs quàm sua etiam somnia attulerunt. *Carpentum* autem vehiculi genus est ad pompam excogitatum, unde & dicitur currus Pompaticus.

Volsi Nepotis] *Volsi* seu *Vulsi*. Cinœdi, molles, ac effœminati *nepotes* dicebantur, quibus pili ad voluptatem & libidinem vellebantur, ut glabri fierent.

24. *Colla Molossa canes.*] *Molossi* populi fuerunt Epiri, quorum regio dicta est *Molossia*, quæ quondam præstantissimos alebat *canes*. qui & eodem,

Qui dabit immundæ venalia farta saginæ,
Vincet ubi erasas barba pudenda genas.

INTERPRETATIO.

qui farcimina ac miscellanea ad impuram saginam prabebit, cùm ipsius turpis barba detonsas malas ac mentum superaverit.

ANNOTATIO.

quo gens ipsa vocabulo *Molossi* dicebantur.

25. *Qui dabit immunda*] Sensus est: mollis ille ac vulsus nepos, qui nunc in deliciis est Cynthiæ, cujus curru nunc vehitur, cùm hispidam barbam, quæ identidem renascetur, mentumque ac genas occupabit, radere incipiet, nec amplius glaber esse vulsusque poterit, vel efficietur fartor, venderque farcimina helluonibus, qui saginæ tantùm vivunt & abdomini, vel familiæ gladiatoriæ suam operam locabit, miscellaneaque alendis gladiatoribus præparabit, vel etiam fiet gladiator, ut habere possit, unde se turpissimo victus genere saginet.

ELEGIA IX.

DEPREHENSUM SE FUISSE A CYNTHIA cum Phyllide, & Theïa amicis, graviterque ab ea omnes vapulasse.

CUM fieret nostro toties injuria lecto,
Mulctato volui castra movere toro.
Phyllis Aventinæ quædam est vicina Dianæ,
Sobria grata parùm: cùm bibit, omne decet.
Altera Tarpeïos est inter Theïa lucos,
Candida, sed potæ non satis unus erit.
* * * * * *
* * * * *
* * * * * *
* * * * *
Lygdamus ad cyathos, vitrique æstiva supellex,
Et Methymnæi Græca saliva meri.

INTERPRETATIO.

Cum tam sæpè nostro toro inferretur injuria, ego castra alio in loco ponere decrevi. Quædam Phyllis habitat juxtà ædem Dianæ Aventinensis, quæ sicca parùm placet, pota verò jucundissima omninò est. Alia est Theïa, quæ in nemore Tarpeio manet, pulcherrima, verùm illa vino madida uno non erit contenta. * * * *

* * * *
* * * *
* * * *

Lygdamus erat à poculis, atque etiam nobis supellex æstiva vitri vinique Methymnæi sapor Græcus suberat.

ANNOTATIONES.

1. *Cum fieret nostro.*] Narrat quomodo Cynthiæ dolos, stupra, fastusque pertæsus vocaverit ad cœnam Phyllidem, Theïamque meretrices, & quomodo discumbens inter illas fuerit a Cynthia furente deprehensus.

3. *Phyllis Aventinæ Dianæ.*] Hæc *Phyllis* nomen est cujusdam meretriculæ, quæ juxtà *Dianæ Aventinæ* ædem habitabat. Templum porrò *Dianæ* in *Aventino* monte constructum fuisse à Servio Tullo referunt Varro Lib. 4 de Ling. Latina, Dionys. Halicarn. Lib. 3. Tit. Livius Lib. 1. P. Victor in 13. regione urbis. Martial. Lib. 6. Epig. 64.
Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.

5. *Theïa inter Tarpeios Lucos.*] In *Tarpeio* monte, ubi fuit olim *Tarpeium* nemus, Eleg. 4, habitavit Theïa.

11. *Lygdamus ad Cyathos.*] Lygdamus illis in epulis Propertio, cujus erat famulus, cæterisque convivis pocula ministrabat.

12. *Methymnæi Græca saliva meri.*] *Methymnæum* vinum dictum est à *Methymna* Lesbi insulæ civitate, ex quâ oriundus fuit Arion citharædus insignis, quem in mare dejectum delphinus sustulit, & in portum Tænarium incolumem devexit. In agro *Methymnæo* optimum olim ac pretiosissimum

Nile, tuus tibicen erat, crotalistria Phyllis,
Et facilis spargi munda sine arte rosa.
Nanus & ipse suos breviter concretus in artus
Jactabat truncas ad cava buxa manus.
Sed neque suppletis constabat flamma lucernis,
Decidit inque suos mensa supina pedes;
Me quoque per talos Venerem quærente secundos;
Semper damnosi subsiluêre canes.
Cantabant surdo, nudabant pectora cæco,
Lanuvii ad portas, hei mihi, solus eram;
Cùm subitò rauci sonuerunt cardine postes,
Et levia ad primos murmura facta Lares.
Nec mora, cùm totas resupinat Cynthia valvas,
Non operosa comis, sed furibunda decens.

INTERPRETATIO.

O Nile, tuus tibicen erat. aderat & Phyllis, quæ crotalis sonabat, rosa quoque jucunda, spargique sine ordine facilis abundabat. Nanusque ipse in exigua sua membra contractus breves manus agitabat ad concavam tibiam. Verùm nec constans erat & certa flamma lucernis oleo etiam suffuso expletis, mensa quoque inversa cecidit in sua fulcra. Cumque ego semper per tesserarum jactus faustos Venerem exquirerem, damnosi canes semper emicuerunt. Surdo canebant, sinus suos nudabant cæco; heu me! Solus eram ad Lanuvii portas. Cum repente rauco cardine janua strepitum edidit, parvaque murmura ad primos Lares. Statimque etiam Cynthia non multò cum labore compta, sed decenter furens ac formosa fores omnes evertit.

ANNOTATIONES.

nascebatur vinum. Virgilius Lib. 2. Georgic.

Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos.

13. *Nile tuus tibicen.*] Per *Nilum* Ægypti fluvium significat Ægyptium adfuisse *tibicinem*; per fluvios enim sæpiùs Poëtæ gentes, gentiumque regiones designant, Ut Eleg. 33. Lib. 2.

Cùm Tiberi Nilo gratia nulla fuit.

Constat autem conviviis adhiberi *tibicines* apud antiquos consuevisse.

Crotalistria Phyllis.] Olim, sicut etiam nunc, ad *Crotalorum* sonitum saltabant veteres.

17. *Flamma lucernis.*] Sinistrum omen malignæ flammæ, quæ non eadem manebat. De omine lucernæ dictum est Eleg. 3. v. 62.

19. *Per talos Venerem quærente.*] In conviviis suis veteres *talos* adhibebant, quorum jactu regem convivii, magistrumque bibendi sortiebantur, cui Veneris jactus obvenisset. Horat. Lib. 1. Od. 4.

Nec regna vini sortiere talis.

Et Lib. 2. Od. 7.

Quem Venus arbitrum dicet bibendi.

Plures autem erant talorum jactus, canis, senio, Chius, vulturii, *Venus* &c. Omnium verò felicissimus *Talorum* jactus erat *Venus*. Sueton. in Aug. cap 71. *Talis jactu, ut quis quis canem, aut senionem miserat, in singulis talis singulos denarios conferebat, quos tollebat universos, qui Venerem jecerat.*

20 *Damnosi canes.*] In omni jactu *Canes* Propertio contingebant, qui *damnosi* dicuntur, quod qui *Canem* jecerat, aliquid conferebat, nihil verò tollebat.

Pocula mî digitos inter cecidêre remissos,
  Palluerantque ipso labra soluta mero.
Fulminat illa oculis, & quantum fœmina sævit;
  Spectaclum capiâ nec minùs urbe fuit.
Phyllidos iratos in vultum conjicit ungues;
  Territa vicinas Theïa clamat aquas.
Lumina sopitos turbant elata Quirites,
  Omnis & insanâ semita nocte sonat.
Illas direptisque comis, tunicisque solutis
  Excipit obscuræ prima taberna viæ.
Cynthia in exuviis gaudet, victrixque recurrit,
  Et mea perversâ sauciat ora manu;
Imponitque notam collo, morsuque cruentat,
  Præcipueque oculos, qui meruêre, ferit.
Atque ubi jam nostris lassavit brachia plagis,
  Lygdamus ad pluteі fulcra sinistra jacens
Exuitur, geniumque meum prostratus adorat.
  Lygdame, nil potui; tecum ego captus eram.
Supplicibus palmis tùm demùm ad fœdera veni,
  Cùm vix tangendos præbuit illa pedes,
Atque ait, admissæ si vis me ignoscere culpæ,
  Accipe, quæ nostræ formula legis erit.

INTERPRETATIO.

Calices è manibus mihi metu resolutis exciderunt, labia quoque ipso vino remissa jam palluerant. Cynthia fulgurat oculis, & tantùm furit, quantùm potest mulier: neque minùs ei fuit horrida facies, quam urbis capta. Insanas manus in Phyllidis faciem injicit; Theïa verò metu perculsa vicinas aquas magno clamore poscit. Elata lumina Quirites somno sepultos perturbant, totaque via voce tumultuosâ insonat. Istas fugientes *discerptis capillis, ac vestibus disjunctis,* prima, quæ sese offert, *taberna in semita cæca admittit. Cynthia verò spoliis lætatur, ac hostibus fugatis cursim* ad me *revertitur, faciemque meam improbâ suâ manu graviter vulnerat, cervicique meæ morsus imprimit, ac dentibus impressis cruore me conspergit, maximè verò ocellos, quasi digniores sint, appetit. At postquam brachia ita verberando nos defatigavit; Lygdamus ad lævum columen pluteі prostratus vestibus spoliatur, & meum genium supplex veneratur.* Cui ego, *ô Lygdame, nihil valui pro te; ego tecum fui deprehensus. Vix tandem pacis conditiones ultrò precantibus manibus petii, vix autem Cynthia pedes nos attingere me permisit. dixitque: si cupis me tibi crimen commissum condonare; Audi, quibus conditionibus legis forma, quam tibi dabo, constabit.*

ANNOTATIONES.

30. *Spectaclum capta.*] Cynthiæ non minùs horrida fuit facies, quam urbis *capta.*

43. *Exuitur.*] Vestes deponere cogitur; ut nudus cædatur.

Geniumque meum adorat.] Mihi per *genium meum* supplicat, ut ipsi contrà Cynthiæ furorem subveniam.

Tu neque Pompeiâ ſpatiabere cultus in umbra,
Nec cùm laſcivum ſternet arena forum.
Colla cave infl ctas ad ſummum obliqua theatrum,
Aut lectica tuæ ſudet aperta moræ.
Lygdamus in primis omnis mihi cauſa querelæ
Veneat, & pedibus vincula bina trahat.
Indixit leges: reſpondi, Ego legibus utar.
Riſerat imperio facta ſuperba dato.
Dein, quemcumque locum externæ tetigêre puellæ,
Suffocat, & purâ limina tergit aquâ.
Imperat & totas iterùm mutare lacernas,
Terque meum tetigit ſulfuris igne caput.
Atque ita mutato per ſingula pallia lecto,
Reſpondi: & toto ſolvimus arma toro.

INTERPRETATIO.

Tu nec comptus deambulabis in porticu Pompeia, & quando arena per forum ſcortis infame ſpargitur, vide, ne caput detortum convertas in ſummum theatrum, vel lectica aperta ad moram tuam ſudet. Ante omnia, Lygamus totius mihi totum jurgii cauſſa vendatur, compedeſque geminos ferat. Has leges dedit; ego reſpondi; legibus iſtis parebo. Riſit ſuperbiens legibus impoſitis. Deinde omnem locum, quem Phyllis & Theis *attigerunt, fumigat, mundáque aquâ oſtium abluit: jubet etiam omnes mutare penulas, & ter caput meum ſulfureâ flammâ luſtravit. Sicque demùm mutato toro per omnes ſtragulas reſpondi; totoque cubili arma poſuimus.*

ANNOTATIONES.

49. *Tu neque Pompeia cultus in umbra.*] *Pompeiam* porticum ſignificat, ubi deambulare ſolebant Romani, de qua vide, quæ dicta ſunt ad Eleg. 32. Lib. 3. v. 11. 12. &c.

50. *Laſcivum forum.*] In quo nimirùm ſæpiùs non deerant nequitiæ fomenta. Ovid. Lib. 1. de Arte amandi

Et fora conveniunt, quis credere poſſet, amori,
Flammaque in arguto ſæpè reperta foro eſt.

52. *Aut lectica.*] Nolo, inquit Cynthia, ut oculos convertas ad ſummum theatrum, ubi fœminæ ſunt; nolo etiam ut lecticarii tui ſudent in via diutius te detinente morantes.

53. *Lygdamus in primis.*] Vendatur ante omnia *Lygdamus*, qui ſolus in cauſa eſt, cur tam ſæpè de te conqueſtar; is enim pellices iſtas ad te vocavit, & adduxit, & ut meretricum amplius in poſterum non poſſit eſſe perductor, habeatur in compedibus.

57. *Dein quemcumque locum.*] Quaſi contactu ſuo locum polluiſſent puellæ Propertii convivæ, illum luſtrare ac purgare aggreditur Cynthia.

59. *Mutare lacernas.*] Veſtes quoque mutare Propertium Cynthia juſſit, quaſi pollutæ quoque fuiſſent.

60. *Terque meum caput.*] Ter quoque Propertius ipſe ſulfureâ flammâ luſtratur à Cynthia. In luſtrationibus autem ac religionibus maximam vim habere *ſulfur* veteres crediderunt Tibul. Eleg. 5. Lib. 1.

Ipſeque ter circum luſtravi ſulfure puro,
Carmine cum magico præcinuiſſet anus.

Ulyſſes etiam Lib. 22. Odyſſ. poſt interfectos Penelopes procos domum ſuam igne & ſulfure luſtraſſe ac purgaſſe ſcribitur.

ELEGIA X.

DE HERCULE ET MORTE CACI.

AMPHITRYONIADES quâ tempestate juvencos
Egerat à stabulis, ô Erythea, tuis,
Venit ad invictos pecorosa palatia montes,
Et statuit fessos fessus & ipse boves,
Quâ Velabra suo stagnabant flumine, quâque
Nauta per urbanas velificabat aquas.

INTERPRETATIO.

QUo tempore Amphitryoniades boves tuos, ô Erythea, à præsepibus tuis abegerat, accessit ad indomitos colles palatia herbosa, ubique fatigata itinere armenta fatigatus etiam ipse jussit consistere, eo in loco, quo fluvius Tiberis *per Velabra exundabat, & navita per undas mediam per urbem labentes vela faciebat.*

ANNOTATIONES.

1. *AMphithryoniades.*] Sic dictus est Hercules patronymicûs ab *Amphitryone* patre, cujus reverà filius fuit ex Alcmena; licet ejus originem propter rerum gestarum magnitudinem ad Jovem nonnulli retulerint

Narrat autem hâc Elegiâ Propertius quomodo Cacum abigeum occiderit Hercules Hæc porrò sic habet historia. Cùm occiso Geryone Hercules ex Hispania rediret, in agro Latino, ubi postmodum condita Roma est, constitit, ut boves, quos abducebat, viâ fessos quiete & pabulo læto reficeret. Cacus autem pastor Aventini montis incola viribus ferox, quem tricipitem fuisse fingunt Ovidius & Propertius octo boves pulcritudine eximios noctu prædatus abegit, eosque caudâ aversos, ne furtum vestigiis deprehenderetur, in antrum suum pertraxit. Tum Hercules, cùm gregem perlustrasset oculis, ac partem abesse numero sensisset, ad proximam speluncam pertexit, si eo fortè vestigia ferrent, quæ ubi omnia foras versa vidit, nec in aliam partem ferre, incertus animi ex loco infesto agere porrò armentum cœpit. Verùm cum præter speluncam actæ boves, quædam ad desiderium relictarum, ut fit, mugîssent, reddita inclusarum ex Caci spelunca boum vox Herculem convertit, quem cùm ad speluncam accedentem Cacus aditu prohibere conaretur, clavâ percussus occubuit, bovesque suos Hercules recepit. Rem quoque cum nostro Poëta narrant T. Livius lib. 1. Virgil. lib. 8. Æneid. Ovidius lib. 1. Fastor. Dionys. Halicarn. lib. 1

2. *Erythea.*] Alii legunt. *Erythræa*, alii *Erythia*. Insulam esse dicunt ad extremam Hispaniæ oram in mari Gaditano sitam non procul à Gadibus, in qua tanta aeris benignitas fertur, ut homines pariat pene immortales. In hac insula regnasse dicitur Geryon, cujus armenta abegit Hercules.

3. *Pecoro a palatia*] *Palatinum* montem significat, quem etiam suprà Eleg. 1. v 3 dicit incoluisse Evandrum

5. *Velabra*] *Velabrum*, de quo diximus ad annotat. in Tibull. Eleg. 5. Lib. 2 locus in urbe fuit juxta Aventinum montem, quà quondam Tiberis fluentatibus trajiciebatur, ut testatur Tibullus loco mox laudato.

At quà Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pullâ per vada linter aquâ.

Dicitur autem duplex fuisse *Velabrum*, majus & minus Ibidem postea factum est rerum venalium macellum. Horat. Serm. Lib Satyr. 3.

Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum
Mane domum veniant, ——————

Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes, furto polluit ille Jovem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora sonos.
Hic, ne certa forent manifestæ signa rapinæ,
Aversos caudâ traxit in antra boves.
Nec sine teste Deo furem sonuêre juvenci,
Furis & implacidas diruit ira fores.
Mænalio jacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus; & Alcides sic ait, Ite boves,
Herculis ite boves, nostræ labor ultime clavæ,
Bis mihi quæsitæ, bis mea præda boves:
Arvaque mugitu sancite boaria longo;
Nobile erit Romæ pascua nostra forum.
Dixerat, & sicco torret sitis ora palato,
Terraque non ullas fœta ministrat aquas.

INTERPRETATIO.

Verùm boves *salvi ac tuti non fuerunt à latrone Caco hospite; qui Iovem etiam ipsum latrocinio violavit. Accola erat Cacus prædo ex horrida spelunca* ad furandum exire solitus, *qui per ora tria edebat voces tergeminas. Iste, ne indicia aperta manifesti furti deprehenderentur, abductos caudâ juvencos in speluncam abegit. Deoque ipso teste, boves abigeum prodiderunt; statimque* Hercules *iratus raptoris januam evertit. Occubuit Cacus tria capita Mænalio ligno percussus, ac deinde ita Alcides est locutus; ô Tauri Herculis, meæ clavæ labor extreme, ô tauri iterùm mihi acquisiti, iterumque à me cum certaminis periculo parti, abite, longoque boatu vestro agros boarios sancta sacraque* posteris *facite. Nostra pascua Romæ forum erit insigne. Sic locutus est, cumque sitis* ipsius *et arido palato cruciaret, & nullos fontes pinguis humus suppeditaret.*

ANNOTATIONES.

7. *Hospite Caco.*] *Cacus* Vulcani fuisse filius dicitur. Hunc fuisse Evandri servum scribit Servius in 8. Lib. Æneid.

8. *Polluit ille Jovem.*] Hospitalem, qui fidem jusque jubet hospitibus servari.

15. *Mænalio ramo.*] Hoc est, Clava, quæ *Mænalia* dicitur, quasi sit excisa è *Mænalo* Arcadiæ monte. Pausanias autem in Corinthiac. Herculem scribit abscidisse clavam suam ab oleastro, quem ad Saronidem Achaiæ paludem invenisset.

16. *Alcides.*] Sic dictus est Hercules ab *Alcæo* avo paterno.

18 *Bis mihi quæsita.*] Boves enim illæ iterùm fuerunt ab Hercule partæ cum labore ac certaminis periculo; primò quando cum Geryone, deinde cum Caco congressus est.

17. *Labor ultime clava.*] Ad istud nimirùm tempus: nam primus Herculis labor fuit Leo Nemæus, 2. Hydra, 3 Aper Erymanthus, 4 Cerva Mænalia, 5. Stymphalides, 6. Diomedes Thraciæ rex, 7. Stabula Augiæ, 8 Taurus Cretensis, 9 Amazus, 10. Geryonis boves, pro quibus Geryonem Cacumque interemit, 11. Cerberus, 12. aurea mala. De his vide Apollodor. Lib 2.

19. *Arvaque boaria.*] Hæc ait Propertius, quasi forum *boarium*, quod Romæ fuit, ab Herculis *bobus*, qui quondam in eodem loco pasti fuerant, nuncupatum fuisset.

Sed procul

Sed procul inclusas audit ridere puellas;
Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus,
Fœmineæ loca clausa Deæ, fontesque piandos,
Impunè & nullis sacra retecta viris.
Devia puniceæ velabant limina vittæ,
Putris odorato luxerat igne casa.
Populus & longis ornabat frondibus ædem,
Multaque cantantes umbra regebat aves.
Huc ruit in siccam congesto pulvere barbam,
Et jacit ante fores verba minora Deo.
Vos precor, ô luci sacro quæ luditis antro,
Pandite defessis hospita vestra viris.
Fontis egens erro, circaque sonantia lymphis,
Et cava suscepto flumine palma sat est.
Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
Ille ego sum, Alciden terra recepta vocat.
Quis facta Herculeæ non audit fortia clavæ?

INTERPRETATIO.

Audit è longinquo fœminas occlusas ridere. Lucus ibi arboribus in gyrum consitis nemus effecerat. locus erat sepostus fœmineæ Divæ sacer, & aqua expianda si vir inde bibisset, nullisque maribus sacra impunè revelata. Purpurea fascia secreta limina tegebant ac ornabant, tugurium parvum vetustate caducum collucebat flammis odoriferis: fanumque populus patulis ramis decorabat, ac umbra densa argutas canorasque occultabat volucres. Illuc Alcides præceps fertur multò pulvere adspersus aridam barbam congestо, & ante januam voces Deo indignas emittit. Oro vos: ô puellæ, *quæ in sancto nemoris recessu luditis, aperite vestrum hospitium hominibus. Ego aqua indigens vagor, & his in locis resonant fontes* cum murmure labentes, & tamen *aqua mihi cavâ* tantùm *manu hausta sufficit. An ad aures vestras pervenit* illius *fama, qui mundum dorso gestandum suscepit? En ipse ego adsum: tellus monstris purgata Alciden* me *nominat. Quis nescit Herculeâ clavâ præclara facinora?*

ANNOTATIONES.

24. *Lucus ab umbroso.*] *Lucus* est locus arboribus consitus religionis causâ; nemus verò voluptatis. Plures autem arbores in luco nemoris speciem effecerant.

25. *Fœminea loca clausa Deæ.*] *Dea fœminea* dicitur Bona Dea, à cujus sacris viri arcebantur, adeò ut etiam in ejus templum cuiquam viro ingredi non liceret. Unde Tibullus:

Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.

27. *Puniceæ vittæ* De vittis templorum. Vide annotat ad Eleg. 3. superiorem, v. 16. sicut nunc ornantur templa floribus & sertis; sic etiam olim templorum limina & aræ decorabantur. Virgil. Lib. 4. Æneid. dicit templum in tectis Didûs fuisse,

Velleribus niveis & festâ fronde revinctum.

Tibull. Eleg. 1. Lib. 1. dicit corollas ac flores ad fores templorum pendere consuevisse.

Devia.] *Limina* templi Bonæ Deæ *devia* vocavit, quia erant secreta, & remota a via publica & multitudine populari.

39. *Quis facta Herculea.*] Res suas præclarè gestas adeò claras & illustres,

Et nunquam ad natas irrita tela feras?
Atque uni Stygias hominum luxisse tenebras?
Accipite: hæc fesso vix mihi terra patet.
Quod si Junoni sacrum faceretis amaræ,
Non clausisset aquas ipsa noverca suas,
Sin aliquam vultusque meus, setæque Leonis
Terrent, & Libyco Sole perusta coma;
Idem ego Sidoniâ feci servilia pallâ
Officia, & Lydâ pensa diurna colo.
Mollis & hirsutum cepit mihi fascia pectus,
Et manibus duris apta puella fui.
Talibus Alcides, at talibus alma Sacerdos
Puniceo canas flamine vincta comas.
Parce oculis, hospes, lucoque abscede verendo:

INTERPRETATIO.

Ac sagittas nusquam inanes adversus feras, unique illi *mortalium Stygias umbras illuxisse? Admittite hunc* ut hospitem; *ægrè mihi humus ista patet. Si vos sacrificaretis infensa mihi Junoni, ipsa* licet *noverca mihi suos fontes non negaret. Si verò vestrûm aliquam facies mea, ac pellis leonina villis horrens, crinesque* mei *Libyco solo tosti metu percellunt; ipse ego Sidoniâ veste indutus explevi servilia ministeria, Lydâque colo pensa in diem hora reddenda carpsi: strophium quoque puellare mihi sinum hispidum conclusit, ac manibus licet callosis, decens tamen ac venusta, ministerioque conveniens fui puella. Hæc dixit Alcides. Sed hæc vicissim verba retulit sancta sacerdos* bonæ Deæ *purpureis vittis caput habens redimitum, Abstine, ò advena, ab aspectu sa*crorum nostrorum, *& absiste venerando* maribusque metuendo *luco:*

ANNOTATIONES.

esse dicit, ut nulli ignotæ esse debeant

44 *Ipsa noverca.*] Notum omnibus est odium Junonis in Herculem, quam ipse vocat *novercam*, quia filius Jovis, cujus uxor & Juno, credebatur Hercules. De isto *novercali* Junonis in Herculem odio, vide Ovid. Lib. 9. Metam. Virgil. Lib. 8. Æneid. Senec. Tragic. in Hercule furente.

45. *Setæque Leonis.*] *Leonis* Nemæi, quem occiderat, pellem pro tegumento gestabat Hercules, & clavam pro telis & armis. Unde Apuleius in apologia. *Hercules neque unâ pelle vestitior fuit, neque uno baculo comitatior, & præter hæc duo nihil aliud gerebat, nudusque peregrinabatur.*

47. *Sidoniâ pallâ.*] Veste muliebri purpureâ. *Palla* quippe genus est vestis muliebris, quæ dicitur *Sidonia*, quia apud *Sidonem* Phœniciæ urbem pretiosa purpura tingebatur. De qua Lib. 2 Eleg. 16.

Quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis.

48. *Lydâ colo.*] Significat Hercules se quondam servilia ministeria exhibuisse inter ancillas Omphales *Lydorum* reginæ, cui propter amorem serviens lanificium, *colum*, aliosque cultus fœmineos & officia, mulieris instar, exercuisse dicitur.

51. *Alma Sacerdos.*] Bonæ Deæ sacrificia solummodò per virgines Vestales fieri consuevisse testatur Cicero Orat. de Aruspic. respons.

53. *Lucoque verendo.*] Maribus metuendus erat iste *lucus*, quia sacra illa nullis viris erant impunè visa.

Cede agedum, & tutâ limina linque fugâ.
Interdicta viris metuenda lege piatur,
　Quæ se summotâ vindicat ara casâ.
Magnam Tiresias aspexit Pallada vates,
　Fortia dum positâ Gorgone membra lavat.
Dii tibi dent alios fontes; hæc lympha puellis
　Avia secreti liminis una fluit.
Sic anus. Ille humeris postes concussit opacos,
　Nec tulit iratam janua clausa sitim.
At postquam exhausto jam flumine vicerat æstum,
　Ponit vix siccis tristia jura labris.
Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
　Accipit, hæc fesso vix mihi terra patet.
Maxima quæ gregibus devota est ara repertis,
　Ara per has, inquit, maxima facta manus.

INTERPRETATIO.

Recede igitur, foresque sacras securâ tibi fugâ relinque. Illa ara, quæ in ædicula in recessu posita sese ipsa asserit, maribus prohibita horrendâ gravissima pœna sanctione expiatur, si violata fuerit. *Vates Tiresias ingentem Palladem vidit, dum corpus invictum, depositâ Gorgone, fonte ablueret. Superi tibi donent alias aquas: fons iste aqua recondita in recessu sepositus solis fœminis manat. Hæc ait vetula. Alcides umbrosas fores humeris diruit, neque ostium obstructum sustinere potuit impetum ipsius sitientis; sed ubi sitim jam epoto fonte restinxit, vix exsiccatis labiis, leges tulit puellis amaras. Hic angulus mundi jam me fata mea trahentem recipit; ista tellus ægrè me fatigatum admittit. Ara illa maxima, quæ invento armento dicata est: Ara illa maxima, ait, istis manibus meis constructa est.*

ANNOTATIONES.

56. *Vindicat ara.*] Hoc est, quæ sese tuetur adversus virorum oculos, unde in recessu & in solitudine est posita.

57. *Tiresias.*] Probat Bonæ Deæ sacrorum conspectum esse viris exitiosum, exemplumque affert *Tiresia* qui dicitur excœcatus, quod Palladem nudato corpore se lavantem aspexisset. Unus autem Propertius inter Latinos scriptores unum inter Græcos secutus Callimachum dixit *Tiresiam* fuisse excœcatum à Pallade. Reliqui namque omnes tùm Græci, tùm Latini auctores *Tiresiam* oculis orbatum fuisse dicunt à Junone; cui quidem Juppiter:

——— ——— pro lumine adempto
Scire futura dedit, pœnamque levavit honore.

58. *Positâ Gorgone*] Hoc est exutis armis ac ægide, in qua Pallas *Gorgonis* caput gestabat.

67. *Maxima ara.*] Hercules interfecto Caco dicitur *aram* constituisse, quæ semper dicta est *maxima* ut testatur etiam Virgil 8. Lib. Æneid.

Hanc aram luco statuit, quæ maxima semper
Dicetur nobis. & erit quæ maxima semper.

Erat autem illa *ara* ad ædem Herculis Romæ in foro boario: Ubi nimirùm olim Hercules eam dicitur exstruxisse, ut testatur Ovid. Lib 1. Fastor

Constituitque sibi, quæ maxima dicitur, aram
Hic ubi pars urbis de bove nomen habet.

Hæc nullis unquam pateat veneranda puellis,
Herculis eximii ne sit inulta sitis.
Sancte pater, salve, cui jam favet aspera Juno;
Sancte, velis libro dexter inesse meo.
Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem;
Sic sanctum Tatiæ composuêre Cures.

INTERPRETATIO.

Ad istam aram sacram nulla unquam fœmina adeant; ne Herculis egregis sitis maneat impunita. Salve, sancte parens, cui nunc benigna est & aqua Iuna, quondam iniqua & infensa; ô Dive, libellum eo favere digneris. Quod igitur viribus suis à virtute mundum sanct m, purumque à monstris reddideris Hercules, *ideò Tatia Cures ipsum sanctum constituerunt.*

ANNOTATIONES.

69. *Hæc nullis ara pateat puellis.*] Ab hac *ara* maxima voluit Hercules arceri mulieres, quod olim ipsi sitienti negavissent aquam. Macrob. Lib. 1. Saturnal. cap. 12. *Mulieres in Italia sacro Herculis non licet interesse, quia Herculi, cum boves Geryonis per Italiæ agros duceret, sibi respondit mulier, aquam se non posse præstare, quia fœminarum Deæ celebraretur dies, nec ex eo apparatu viris gustare fas esset. Propter quod Hercules facturus sacrum detestatus est præsentiam fœminarum.*

71. *Sa·ꝏ pater.*] Invocat Herculem quem vocat *patrem*, quia nimirùm Deus credebatur; Dii namque vulgò hoc nomine vocantur honoris causâ. Juppiter dicitur Deorum *pater*. Tarpeïus *pater*. Mars etiam dicitur *pater* Eleg. 3. superiori v. 49. Africus etiam ventus dicitur *pater* Eleg. 6 superiore.

Cui jam favet Iuno.] Quia nempe post mortem Hercules factus est Deus, Junonique reconciliatus, cujus etiam filiam Heben in Cœlo dicitur uxorem duxisse.

74. *Sanctum Tatiæ campesuêra Cures.*] *Sancti* veteribus dicti sunt omnes Dii, sicut Deæ *sanctæ*. Significat autem Poëta titulo peculiari *sanctum* fuisse dictum Herculem, quod terrarum orbem *sanctum*, & purum à monstris effecisset. Hunc autem *sangum* seu *sancum* dixerunt olim Sabini, quem Romani *sanctum* pronuntiaverunt. Festus in verbo propter viam ait: *Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratiâ, Herculi, aut Sanco, qui scilicet idem est Deus.*

Tatia Cures.] Scaliger legit, Tatii, populumque ponit pro urbe; *Cures* enim præcipua urbs Sabinorum, in qua Tatius regnavit.

ELEGIA XI.

QUARE JUPPITER FERETRIUS DICTUS.

NUNC Jovis incipiam causas aperire Feretri,
 Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter ascendo: sed dat mihi gloria vires:
 Non juvat ex facili lecta corona jugo.
Imbuis exemplum primæ tu, Romule, palmæ
 Hujus, & exuviis plenus ab hoste redis,
Tempore quo portas Ceninum Acrona petentem
 Victor in eversum cuspide fundis equum.

INTERPRETATIO.

EGo jam aggrediar varias nominis Jovis Feretrii rationes explicare, & arma trina de tribus ducibus capta. Arduam ac difficilem viam ingredior, at gloria mihi robur addit ingens; non delectat corona è clivo leni ac molli decerpta. O Romule, tu ipse exemplum instituis istius primæ victoriæ, spoliisque onustus ab hoste reverteris, quâ tempestate victor equum immittis in prostratum hastâ tuâ Ceninensem Acronem ad portas urbis accedentem.

ANNOTATIONES.

1. *NUnc Iovis.*] Unde *Iuppiter Feretrius* cognominatus sit hâc Elegiâ docet Propertius. Alii sic dictum à feriendo putant, alii à ferendo: utrumque admittit Poëta.

Feretri.] Acronem Ceninensium ducem in prælio propriâ manu cùm Romulus obtruncasset, spolia ex eo relata ferculo ad id facto in Capitolium detulit, ibique templum Jovi consecravit, quem *Feretrium* nuncupavit, in eoque templo spolia illa regia appensa collocavit, auctorque fuit posteris, ut eò capta ex hostibus spolia opima deferrent. Hæc est origo templi, quod primum omnium Romæ dedicatum est, ut testatur Livius lib. 1. & in quo omnia opima spolia debebant offerri.

Opima porrò spolia illa nuncupata sunt, quæ regibus, vel ducibus hostium in prælio suâ manu cæsis detraherent duces, & in templo Jovis *Feretrii* suspenderent. Bina tantùm post Romulum inter tot annorum bella opima parta sunt spolia, adeò rara decoris ejus fortuna fuit. Prima Acrone interempto Romulus obtulit, secunda Cornelius Cossus, Tolumnio Hetrusco occiso. tertia Claudius Marcellus, obtruncato Virdomaro Gallorum rege, suspenderunt. Nec alii, dum Romanum stetit imperium, opima spolia leguntur retulisse.

5 *Imbuis exemplum.*] *Exemplum* instituis, quo posteros doces, quid sit faciendum ducibus Romanis, dum occisis propriâ suâ manu hostium ducibus victores spolia reportabunt.

7. *Ceninum Acrona.*] *Acron* dux, seu rex fuit *Ceninensium*, quo quidem duce, propter raptas virgines Sabinas iidem *Ceninenses* in agrum Romanum irruerunt, quibus occurrens cum exercitu suo Romulus regem ipsum *Acronem* prelio prostratum obtruncatumque armis spoliavit, urbemque *Ceninam* primo impetu cepit, ac deinde ornatu triumphali Romam reversus *Acronis* spolia Jovi Feretrio primus omnium consecravit

Acron Herculeus Cenina ductor ab arce,
Roma, tuis quondam finibus horror erat.
Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirini
Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc videt ante cavas vibrantem spicula turres
Romulus, & votis occupat ante ratis.
Juppiter, hæc hodie tibi victima corruet Acron.
Voverat, & spolium corruit ille Jovi.
Urbis, virtutisque parens sic vincere suevit,
Qui tulit aprico frigida castra lare.
Idem eques, & frenis, idem fuit aptus aratris,
Et galea hirsutâ compta lupina jubâ.
Picta nec inducto fulgebat parma Pyropo,
Præbebant cæsi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Vejentis cæde Tolumni,
Vincere cum Vejos posse laboris erat.

Interpretatio.

O Roma, limitibus olim tuis terror erat ille Acron Herculeus arcu Ceninensis dux. Iste temerè *ausus sperare exuvias ex humeris Quirini, ipse præbuit, verùm suo ipsius cruore madidas. Romulus istum aspicit torquentem hastilia ante latas turres, votisque priùs ratis* ipsum *invadit. O Juppiter, Acron victima hodiernâ die tibi mactabitur. Ubi votum nuncupaverat, statim ille Jovi trophæum occubuit. Ita pater urbis ac virtutis consuevit hostes debellare, qui quamvis haberet tepidam mollemque domum, algida tamen castra, militiamque toleravit. Idem eques idoneus erat armis & aratro: Cassisque ipsi erat lupina hispidâ cristâ ornata. Neque pelta picturata additis carbunculis coruscabat: tauri mactati suppeditabant baltea flexibilia. Cossus autem sequitur, cæso Tolumno Vejente, quando magni operis ac laboris erat Vejos posse debellare:*

Annotationes.

9. *Ceninâ ductor ab arce.*] *Cenina* fuit urbs Latii non procul à Roma, cujus rex Acron à Romulo est occisus, armisque spoliatus.

Cavas turres. Scilicet Romanas, quæ intus vacabant capiendis propugnatoribus. De *turribus* Romanis dictum est Eleg. 21. Lib. 3.

> *Romana turres, & vos valete amici.*

14. *Ratis votis.*] *Rata vota*, dicuntur, quæ firma, Diisque probata & accepta sunt.

23. *Cossus at insequitur.*] Aulus Cornelius *Cossus* Tribunus militum, alii Consulem dicunt, Lartem Tolumnium Vejentium regem bello propriâ manu occidit, ejusque spolia secunda opima, ut Romulus antefecerat, solemni dedicatione Jovi Feretrio obtulit. Ut narrat Livius Lib 4. Causa belli fuit, quod Fidenates, Colonia Populi Rom, ad Lartem Tolumnium Vejentium regem interfectis legatis Romanis defecerant. Hanc injuriam ut ulciscerentur Romani, bellum Fidenatibus Vejentibusque Tuscorum populis intulerunt.

24. *Vincere cum Vejos.*] *Veji* civitas fuit *Vejentium* populorum caput, non procul ab urbe Roma. *Vejos* post decennalem obsidionem cepit per cuniculos Camillus. *Vejorum* rex erat Tolumnius à Cosso occisus. Ut mox dictum est.

Nec dum ultrà Tiberim belli sonus, ultima præda
  Nomentum, & captæ jugera pauca Coræ.
Et Veii veteres, & Volscûm regna fuistis,
  Et vestra posita est aurea sella foro.
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
  Cantat, & in vestris ossibus arva metunt.
Forte super portæ dux Veius astitit arcem,
  Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
  Vineaque inductum longa tegebat opus,

INTERPRETATIO.

Nondum trans Tiberim tuba clanger, remotissima præda Nomentum erat, paucaque jugera Coræ jam expugnata. Et vos, ô antiqui Veientes, tunc fuistis, fuistisque etiam vos tunc, ô Regna Volscorum, ac in vestro foro aurea sedes locata est. Nunc verò in vestra ipsa urbe opilionis otiosi fistula canit, & in vestris cineribus ac sepulcris agros metunt agricolæ. *Casu fortuito ductor Veius ad portæ propugnaculum adfuit, ac urbis suæ præsidio confisus alloquii* Cosso *potestatem fecit. Et dum aries æneo cornu mœnia subrueret, & vinea prolixa labores militares, cuniculosque ad mœnia conductos protegeret;*

ANNOTATIONES.

26. *Nomentum.*] Oppidum fuit Latii non procul ab urbe Roma; unde *Nomentana via*, quâ *Nomentum* itur.

Cora.] *Cora* fuit etiam Latii oppidum exiguum.

28. *Aurea sella foro.*] Tanta, inquit, vestra fuit, ô veteres Veii, nominis vestri celebritas, tanta majestas, ut magistratus vester, seu dux, seu rex in *aurea sella* sedens in medio *foro* jus diceret. Semper enim fuit fastus regii *aurea sella*.

29. *Nunc intra muros.*] Hujusmodi est illud Nasonis:

Iam seges est, ubi Troja fuit.

Vejos autem ita desolatos esse Poëta significat, ut non modò pascant greges suos pastores in Vejorum ruderibus & sepulcris, sed etiam agricolæ in media urbe metant fruges; quia nimirùm urbis loca jam erant arva vel pascua.

31. *Dux Veius.*] Lartes Tolumnius.

33. *Dumque Aries murum.*] *Aries* machina fuit bellica, quâ veteres ad subruendos urbium muros utebantur. De *Ariete* hæc habet Isidorus Lib. 18. cap. 11. *Arieti nomen*, inquit, *species dedit, eò quod cum impetu impingitur in murum in modum arietum pugnantium. Valida enim ac nodosa arboris caput ferro vestitur, eaque suspensa funibus multorum manu ad murum impellitur, deinde retrorsum ducta impetu majore destinatur, sicque crebris ictibus concussum muri latus cedit, cavatumque irrumpitur, ac fenestram facit.*

34. *Vineaque.*] *Vinea* quoque est instrumentum bellicum, seu machina, quam sic describit Vegetius Lib. 4. cap. 15. *Vinea è lignis tenuioribus est machina compacta, alta pedibus octo, lata pedibus septem, longa pedibus sexdecim. Hujus tectum munitione duplici tabulatis, trabibusque contexitur, latera quoque viminibus sepiuntur, ne saxorum telorumque impetu penetrentur. Extrinsecùs autem ne immisso concremetur incendio, crudis ac recentibus coriis, vel centonibus operitur. Complures autem vineæ sic factæ junguntur in ordinem, sub quibus obsidentes tuti ad subruenda penetrant murorum fundamenta.*

Hæc porrò ultima Vegetii verba rectè explicant locum hunc Propertii,

Vineaque inductum longa tegebat opus.

Cossus ait, Forti meliùs concurrere campo.
Nec mora fit, plano sistit uterque gradu.
Dii Latias juvere manus; desecta Tolumni
Cervix, Romanos sanguine lavit equos.
Claudius à Rheno trajectos arcuit hostes,
Belgica cùm vasti parma relata ducis
Virdomari; genus hic Rheno jactabat ab ipso
Nobilis erectis fundere gesa rotis.
Illi virgatis jaculantis ab agmine bracchis
Torquis ab incisa decidit unca gula.

INTERPRETATIO.

Cossus dixit: Honestius est viro *magnanimo in planitie decertare. Neque ulla datur mora, confestim uterque adstat in campo paratus ad pugnam. Superi Latinas manus adjuverunt, amputatum Tolumni caput Romanos equos cruore tinxit. Claudius hostes transmissos à Rheno prohibuit, quando ab ipso reportatus est clypeus Belgicus Virdomari ducis ingentis, qui se originem ab ipso Rheno ducere gloriabatur*, quique *insignis erat in vibrandis è sublimi curru jaculis. Ipsi, cui virgata erant bracca, ex agmine spicula vibranti torques inflexa ex amputato collo decidit.*

ANNOTATIONES.

cum nimirùm plures vineæ simul junctæ tegunt obsidentes milites, quò possint ad murorum fundamenta subruenda penetrare.

37. *Dii Latias juvere manus.*] *Latias manus* dicit Cornelii Cossi, qui nimirùm Romanus ac *Latinus* cum Tuscorum rege decertabat.

39. *Claudius à Rheno.*] *Claudium* Marcellum Consulem designat, qui Viridomarum Gallorum Insubrium ducem prælio vicit occiditque, ac tertia opima spolia ex eo relata Jovi Feretrio obtulit; quodquidem nemini Romanorum postea contigit. Non potest autem intelligi quod hic dicit Poëta de *Rheno* illo flumine, qui Germaniam à Gallia disterminat, cùm nondum ad *Rhenum* imperii sui fines *Claudii* Marcelli temporibus protulissent Romani, cùm nec etiam pugna illa, quâ cæsus occubuit Viridomarus, pugnata fit ad *Rhenum*, sed cis Padum ad Clastidium, dum cæteri Gessatæ Galli obsiderent Acerras, ut scribit Plutarchus in Marcello. Non igitur legendum est à *Rheno*, sed potiùs *Eridano*, ut rectè legit Passeratius; vel Propertius hoc in loco intelligendus est de *Rheno* illo Italiæ fluvio, qui ex Apennino monte ortus per Galliam Togatam fluens, agrumque Bononiensem ipsamque Bononiam irrigans suprà Ferrariam in Padum seu Eridanum influit. De hoc Italiæ *Rheno* Silius Italicus Lib. 8.

——— *Parvique Bononia Rheni.*

40 *Belgica.*] Pro, Gallica, posuit, vel legendum est *bellica*.

41. *Virdomari.*] *Viridomarus* ille fuit rex seu dux Gallorum, vel potiùs Gessatarum, qui populi fuerunt Galliæ Togatæ, quæ Æmilia dicta est, quorum olim regio fuit, ubi nunc Bononia, Forum Cornelii, Ravenna, &c.

42 *Gesa.*] Vocabulum est Gallicum, significatque hastam, seu grave aliud telum, quod vulgò vocant *une pique, ou une hallebarde, ou pertuisane.*

43. *Virgatis braccis*] A longis *bracchis* dicta est Gallia *Bracchata*.

Nunc

Nunc ſpolia in templo tria condita, cauſa Feretri,
Omine quod certo dux ferit enſe ducem.
Seu quia victa ſuis humeris hæc arma ferebant,
Hinc Feretri dicta eſt ara ſuperba Jovis.

INTERPRETATIO.

Igitur iſta *tria ſpolia in templo ſervata, cauſa ſeu ratio* ſunt nominis iſtius *Feretrii, quia* nimirùm *ratu votis dux ducem gladio ferit; vel quia* duces illi *ſuis humeris illa ſpolia victis detracta* Jovi *ferebant: inde dives illis ſpoliis templum Jovis Feretrii nuncupatum eſt.*

ANNOTATIONES.

45. *Cauſa Feretri.*] *Feretrius* eſt dictus Jupiter, vel à *ferendo* quod ad ipſum ferantur ſpolia illa opima, vel à *feriendo*, quod *ferire* ſit occidere. Scaliger verò putat *Feretrium* dictum à *feretro* pompæ triumphalis.



ELEGIA XII.

AD PAULUM.

DESINE, Paule, meum lacrymis urgere sepulcrum;
 Panditur ad nullas janua nigra preces.
Cùm semel infernas intrarunt funera leges,
 Non exorato stant adamante viæ.
Te licet orantem fuscæ Deus audiat aulæ,
 Nempe tuas lacrymas littora surda bibent.
Vota movent Superos; ubi portitor æra recepit,
 Obserat herbosos lurida porta rogos.

INTERPRETATIO.

O Mi Paule, cessa fletibus tuis tumulum meum fatigare, quandoquidem *nullis votis ac querelis aperitur atra porta. Quando semel Tartarea jura subierunt manes, clauduntur exitus adamante, quem nemo potest exorare. Quamvis te precantem regia nigra Deus intelligat, ripa scilicet surda fletus tuos & querelas absument. Dii tantùm superi donis, sacrificiis ac precibus flectuntur*, non Inferi. *Cùm semel victor accepit naulum, janua nigra luridos manes occludit.*

ANNOTATIONES.

1. *DEsine, Paulle, meum.*] Sub nomine & persona Corneliæ præmaturo fato vivis ereptæ scripta est hæc epistola ad L. Æmilium *Paulum* Censorem maritum, quem monet, ut à lacrymis, querelis. & fletibus sibi temperet, utpote nihil profuturis, ipsique filios, quos omnes reliquit superstites, commendat. Hæc porrò Cornelia fuit filia Scriboniæ, quæ nupsit Augusto, eique filiam Juliam genuit. Unde constat Juliam Augusti filiam, & hanc Corneliam ex eadem matre Scribonia fuisse sorores, Ut infrà declarabitur.

2. *Janua nigra.*] Inferorum ostium nullis lacrymis, aut votis patet.

4. *Non exorato stant adamante via.*] Leges Inferorum sunt irrevocabiles, ubi semel extinctus est homo, Inferosque adiit, ipsum non ampliùs fata ad superos remeare sinunt, vixque mortuorum animas coërcent claustris *adamanteinis*, hoc est, invictis & insuperabilibus irremeabiles. Finguntur autem Inferorum portæ esse *adamantinæ*, utpote quarum durities frangi non possit. Virgil. Lib. 6. Æn.

Porta adversa ingens, solidoque adamante columnæ.

5. *Fusca Deus aula.*] Pluto Inferorum rector, & noctis arbiter.

6. *Littora surda.*] Ripæ scilicet fluminum Inferorum, quæ non modò surdescunt, sed etiam omnium rerum oblivionem faciunt, ut Lethe.

7. *Vota movent Superos.*] Significat Infernos Deos esse inexorabiles, Deosque tantùm *Superos* posse *votis*, ac precibus flecti, vel exorari.

Portitor æra recepit.] Vector Charon, qui cymbâ suâ fato functorum animas ad Inferorum sedes transmittere fingitur à Poëtis, cui pro vecturæ pretio solvi quoque dicunt naulum; unde & mortuis solebant in ore nummum tradere, ne apud Inferos velut inopes errarent; ut ait Virgil. Lib. 6. Æneid.

Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est.

Sic mœstæ cecinere tubæ, cùm subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi conjugium Pauli? quid currus avorum
Profuit? aut famæ pignora tanta meæ?
Num minùs immites habui Cornelia Parcas?
En sum quod digitis quinque levatur onus.
Damnatæ noctes, & vos vada lenta paludes,
Et quæcumque meos implicat unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni:
Det pater hic umbræ mollia jura meæ.
Aut si quis positâ judex sedet Æacus urnâ
In mea sortitâ judicet ossa pilâ.

INTERPRETATIO.

Id tristes tubæ significarunt, dùm tæda infesta supposita corpus meum rogo subducebat. Quid mihi Pauli connubium, quid majorum triumphi, vel tam magna monimenta meæ existimationis ac nominis profuerunt? An ego Cornelia minus sævas experta sum Parcas? Ecce ego sum pondus illud, quod unica manu sustinetur. O vos sontes tenebræ, vosque, ô stagna stygia aquæ inertes ac pigræ, ac qualiscumque aqua, quæ plantas meas coërces; quamvis præmaturo funere elata ante tempus, nihilominus in hunc locum insons descendi: rex Pluto manibus meis leges imponat benignas. Vel si reverâ aliquis Æacus quæsitor sedet appositâ urnâ. contra meum corpus eductâ sorte pilâ judicium ferat.

ANNOTATIONES.

9. *Mœstæ cecinere tubæ.*] Funeribus divitum adhiberi consuevisse *tubas* significat, quemadmodum & funeribus pauperum tibiæ adhibebantur.

10. *Detraheret lecto fax.*] Rogum intelligit, quem ultima fax subjectis ignibus incendebat.

11. *Quid currus avorum.*] Majorum suorum triumphos intelligit: oriunda quippe erat de gente Cornelia, ex qua duo Scipiones Africani cognominati Romam triumphantes ingressi sunt, ut testantur Polybius & Livius.

11. *Num minus.*] Ostendit nihil sibi profuisse nobilissimi sui Pauli conjugis ex Æmiliorum gente illustrissima conjugium, nec etiam majorum suorum Scipionum triumphos, nec ideò sese Parcas expertam fuisse minùs sævas, fataque minùs dura, quam si ex humili loco fuisset nata, viroque obscuro nupsisset.

14. *Digitis quinque.*] Significat se in pulverem cineresque esse redactam, adeò ut facilè unâ manu possit sustineri, aut gestari; ut Elegia nonâ Lib. 2.

Maximaque in parva sustulit ossa manu.

Ovid. Lib. 12. Metamorphos.

Jam cinis est, & de tam magno restat Achille,
Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.

15. *Damnatæ noctes.*] Sermonem convertit ad infernas tenebras, paludesque Stygias sese innoxiam insontemque venisse protestata.

18. *Pater umbræ.*] Pluto, qui dicitur *pater* quia Deus, Dii nimirùm vocantur *patres* honoris causâ.

19. *Æacus urnâ.*] *Æacus* Jovis filius judex Inferorum. Vide annotat. ad Eleg. 20. Lib. 2. v. 30.

Urna porrò designat sortitionem, quâ Judicum nomina, atque etiam suffragia in urna versabantur. Horat. Od. 3. Lib. 2.

Omnes eòdem cogimur; omnium
Versatur urna ——— ———

20. *Sortitâ pilâ.*] Alludit ad consuetudinem Romanorum, qui sorte cau-

Assideant fratres, juxta Minoïda sellam
Eumenidum intento turba severa foro.
Sisyphe mole vaces: taceant Ixionis orbes,
Fallax Tantaleo corripiare liquor:
Cerberus & nullas hodie petat improbus umbras,
Et jaceat tacitâ lapsa catena serâ.
Ipsa loquor pro me, si fallor, pœnâ sororum
Infelix humeros urgeat urna meos.
Si cui fama fuit per avita decora trophæi,
Afra Numantinos regna loquuntur avos.

INTERPRETATIO.

Consiliarii adsint ejus fratres, & circa Minoïs thronum grex tetricus Eumenidum appareat foro attento. O Sisyphe, careas gravi tuo onere, quiescant Ixionis rota, tuque, ô fugax aqua, à Tantalo comprehendaris. Sævus etiam Cerberus hodiernâ die nullos invadat manes, abjiciaturque silentes catena collapsâ sponte serâ. Ego pro me ipsa dico; si mentior, supplicium sororum, infausta amphora scapulas meas opprimat. Si verò nominis celebritas alicui unquam propter triumphos majorum avitos gloria fuit: Afra regna Numantinos majores meos paternos celebrant.

ANNOTATIONES.

sas ordinabant, ac sortitione nomina judicum in pilis, seu calculis & tabellis inscripta ducebant.

21. *Assideant fratres.*] Æaci sint assessores ac consiliarii ejus fratres, Minos scilicet ac Rhadamantus. Sic Homer. Odyss. λ. alios etiam Minoï assidere facit, qui cum ipso mortuorum causas audiant, & judicent.

22. *Eumenidum turba.*] *Turbam* dixit de tribus furiis Inferorum, quæ & Eumenides dicuntur, quas ante fores carceris Orci sedere refert Virgilius Lib. 6 Æneid.

23. *Sisyphe, &c.*] *Sisyphi*, Ixionis, ac Tantali pœnas uno versu complexus est Eleg. 5. Lib. 3.

Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas.

De *Sisypho* verò jugiter saxum volutante apud Inferos, vide quæ dicta sunt ad Eleg. 17 Lib. 2.

Taceant Ixionis orbes.] De supplicio *Ixionis* apud Inferos etiam alligati rotæ, vide quæ diximus ad Eleg. 9. Lib. 1.

24. *Tantaleo.*] Pro *Tantalo*, quasi diceretur *Tantalus* & *Tantaleus*, per epenthesin, ut Adonis & Adoneus; Ulysses & Ulysseus Achilles & Achilleus, Tyndarus & Tyndareus &c. De pœna porrò *Tantali* in Inferis vide Elegiam 17 Lib. 2.

25 *Cerberus.*] De cane etiam *Cerbero* Inferorum janitore dictum est affatim pluribus in locis, mox verò Eleg. 7. superiore.

27. *Pœna sororum.*] Scilicet Belidum, seu Danaidum, quæ in Inferis finguntur pertusum in dolium aquam infundere. De his etiam suprà dictum est affatim.

30. *Afra Numantinos.*] Regna *Africana*. Carthago nimirùm, & Numidia devictæ testantur Scipiones dictos fuisse *Africanos* ac *Numantinos*. Publius enim Scipio qui à devicta *Africa* dictus est *Africanus*, Annibalem vicit, urbem Carthaginem subegit, Syphacem regem Numidiæ captum duxit in triumphum. Publius etiam Scipio Æmilianus, qui & *Africanus* minor dictus est, Carthaginem delevit, *Numantiamque* Hispaniæ urbem munitissimam excidit; unde & *Africanus* & *Numantinus* dictus est. Hi porrò

Altera maternos exæquat turba Libones,
Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox ubi jam facibus cessit prætexta maritis,
Vinxit & acceptas altera vitta comas;
Jungor, Paule, tuo sic discessura cubili:
In lapide hoc uni nupta fuisse legar,
Testor majorum cineres tibi, Roma, colendos,
Sub quorum titulis Africa tonsa jaces:
Et Persen proavi simulantem pectus Achillis,
Quique tuas proavus fregit, Achille, domos,
Me neque censuræ legem mollisse, nec ullâ
Labe meâ nostros erubuisse focos.
Non erat exuviis tantis Cornelia damnum;
Quin & erat magnæ pars imitanda domus.
Nec mea mutata est ætas, sine crimine tota est.
Viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges à sanguine ductas,
Nec possim melior judicis esse metu.

INTERPRETATIO.

Alia multitudo pares facit Numantinis *maternos* avos meos *Libones, ambaque illa familia suis titulis clara sunt ac illustres. Statim atque tædis conjugalibus cessit prætexta, aliaque tænia innexos crines adstrinxerunt, conjungor* tibi, *ô Paule, tuum ita thalamum relictura. In isto marmore legar nupsisse uni tan*tùm viro. *Testes appello majorum meorum reliquias, ô Roma, tibi venerandas, sub quorum titulis, ô Africa, prostrata fractaque jaces.* Testem *quoque* appello *Perseum animum Achillis atavi mentientem, ac* illum *proavum meum, qui sedes tuas, ô Achille, patriamque tuam contudit, me nec censuræ enervasse jura, neque Lares meos ob ullum meum crimen affectos fuisse pudore.* Ego *Cornelia tam magnis triumphis non fui detrimento. Immò verò potentis familiæ portio fui exemplo æmulanda. Neque vita mea commutata est in deterius, omnis est illa sine labe. Nos illustres viximus inter utramque tædam. Mihi natura leges indidit ductas à sanguine, ut timore judicis proba magis esse non possim.*

ANNOTATIONES.

Scipiones fuerant Corneliæ majores paterni.

31. *Libones.*] Corneliæ nimirùm mater Scribonia dicebatur, quæ ex *Libonum* familia & gente oriunda erat. Ex Scriboniorum enim gente erant Largi, Curiones, Drusi, *Libones.*

36. *In lapide.*] In titulo nimirùm epitaphii mei marmori inscripto.

39. *Et Persen.*] *Persen* seu *Perseum* regem Macedonum devicit Paulus Æmilius, ac de ipso triumphavit. De hoc dictum est ad Eleg. 3. Lib. 3. v. 8.

Simulantem pectus Achillis.] Quia nimirùm *Perseus* sese genus ab *Achille* ducere mentiebatur. Livius autem scribit Perseum fuisse spurium ac nothum.

46 *Inter utramque facem.*] Scilicet *inter facem* nuptialem & sepulcralem, hoc est, toto nostri connubii tempore. In nuptiis enim tædas sicut & in funeribus adhibere solebant veteres. Ut etiam testatur Ovid. Lib. 2. Fastor.

Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer, habent alias mœsta sepulcra faces.

Qualibet austeras de me ferat urna tabellas,
Turpior assensu non erit ulla meo.
Vel tu, quæ tardam movisti fune Cybellen,
Claudia turritæ rara ministra Deæ;
Vel cui commissos cum Vesta reposceret ignes,
Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te, dulce caput, mater Scribonia, læsi,
In me mutatum quid nisi fata velis?
Maternis laudor lacrymis, urbisque querelis,
Defleta & gemitu Cæsaris ossa mea.
Ille suâ natâ dignam vixisse sororem
Increpat, & lacrymas vidimus ire Deo.

INTERPRETATIO.

Quavis urna severum de me proferat suffragium, nulla reperitur fœmina, quo sit meâ consuetudine ac familiaritate deterior facta. Aut etiam tu, ô Claudia singularis exempli famula divæ turrigeræ, quæ morantem Cybellam exiguo reste traxisti: Aut illa, cui candida carba, ut ardentes ignes protulit, cùm Vesta focos ipsi creditos repeteret. Neque etiam te, ô mea parens suavissima Scribonia, unquam offendi. Quid cupias in me mutatum fuisse præter fata? Maternis ego commendor fletibus, civitatisque publico *luctu, ac Cæsaris etiam lacrymis plorata est mors mea. Ipse etiam dolet me mortuam esse sororem dignam filiâ suâ, atque etiam conspeximus flentis Deo per genas manare.*

ANNOTATIONES.

48. *Melior judicis metu.*] Boni non peccant virtutis amore; mali verò formidine pœnæ sibi temperant à peccatis. Significat autem se Cornelia propter virtutem ipsam coluisse virtutem.

51. *Claudia turrita ministra Dea.*] Historiam attingit Claudiæ virginis Vestalis, quæ cùm in stupri suspicionem venisset, ut innocentiam ac pudicitiam suam comprobaret, navem cum sacris omnibus & simulacro matris Deûm, seu Cybeles, quam multa hominum millia vado Tiberis obhærentem trahere non poterant, cingulo suo sola traxit.

Turrita Dea.] *Dea turrita* dicitur Cybele mater Deûm, quæ & bona *Dea*, & Idæa mater. De Cybele *turrigera* vide quæ dicta sunt ad Eleg. 17. Lib. 3. v. 35.

Vertice turrigero juxta Dea magna Cybelle.

53. *Vel cui commissos, &c.*] Designat Æmiliam virginem Vestalem, quæ cùm olim accusaretur, quod ipsius negligentiâ Vestæ defecisset ignis, cujus nempe custodiam alteri novitiæ Vestali commiserat, ideoque reprehenderetur, quasi rem sanctissimam parum diligenter ac castè tractavisset, Vestam Deam precata est, ut opem sibi ferre vellet, vestisque carbasinæ partem in aram frigidam injecit, quæ repentè emicante flammâ cœpit ardere. Vide Valer. Maxim. Lib. 1. cap. 1.

55. *Mater Scribonia.*] Corneliæ *mater* ut jam diximus, fuit *Scribonia*, quam uxorem duxit Augustus, ex eaque Juliam filiam suscepit. *Scribonia* illa, auctore Suetonio in Augusto, cap. 62. jam nupta fuerat duobus viris Consularibus, & ex altero fuerat *mater*. Unde colligitur Corneliam natam fuisse *Scribonia* ex viro illo consulari, ex quo fuit *mater*.

59. *Natâ dignam vixisse sororem.*] Dicitur Augustus Corneliæ morti illacrymasse, eamque dignam prædicasse, quæ filia sua esset. *Soror* autem Juliæ fuit Cornelia, quia nimirùm ambæ ex eadem matre Scribonia natæ sunt, licet ex diverso patre.

60. *Lacrymas ire Deo.*] Augusto nimirùm, qui vivus & spirans per adu-

Et tamen emerui generoſos veſtis honores,
  Nec mea de ſterili facta rapina domo.
Te Lepide, & te Paule, meum poſt fata levamen;
  Condita ſunt veſtro lumina noſtra ſinu.
Vidimus & fratrem ſellam geminaſſe Curulem,
  Conſule quo facto tempore rapta ſoror.
Filia tu ſpeciem cenſuræ nacta paternæ,
  Fac teneas unum nos imitata virum.
Et ſerie fulcite genus, mihi cymba volenti
  Solvitur auctutis tot mea fata malis.
Hæc eſt fœminei merces extrema triumphi,
  Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Nunc tibi commendo communia pignora natos:
  Hæc cura & cineri ſpirat inuſta meo.

INTERPRETATIO.

Nihilominus etiam merui claros honores veſtis. Neque præda mea fuit de familia infœcunda. Te, O Lepide, teque, ô Paule, meum poſt obitum ſolatium. (mihi namque in amplexu veſtro clauſi ſunt oculi) fratremque ſpectavimus duplicaſſe ſellam Curulem, cùm creatus ſit Conſul eo tempore, quo rapta eſt ſoror. O filia mea, quæ naſcendo ſortita es dignitatem ac ſplendorem cenſuræ paternæ, effice, ut meum exemplum ſecuta unicum tantùm maritum habeas. Vos etiam longo liberorum ordine gentem noſtram firmate. Mihi non invita Charontis *ſolvitur phaſelus, tot malis fata mea adaucturis. Iſtud eſt ſupremum matronalis decoris præmium, cùm nulli obnoxiam hominum ſermo laudibus exornat manes benè meritos, ac præconio dignos. Jam tibi demùm, ô* Paule, *liberos committo* amborum *noſtri pignora communia. Iſta cineribus etiam meis cura impreſſa ac penitùs infixa adhuc vivit.*

ANNOTATIONES.

lationem Romanis dictus eſt, habituſque *Deus*.

61. *Veſtis honores.*] *Veſtem* matronalem intelligit, quæ fœcundis matronis concedi ſolebat apud Romanos, de qua vide Dionem Lib. 55. vel ſignificat matronas Romanas efferri conſularibus ornamentis conſueviſſe, quarum filii vel conjuges magiſtratus curules geſſiſſent. Vel denique Cenſorium funus intelligit, quo clara eſt Cornelia, tanquam Pauli Cenſoris uxor.

63. *Te Lepide, & te Paule.*] Filios ſuos *Paulum & Lepidum* fratres fuiſſe ſignificat, licet diverſi cognominis. L. *Pauli ac Lepidi* juvenis, qui conjurarunt in Auguſtum, meminit Suetón. in Aug. cap. 19. Velleïus Paterculus Lib. 2.

65. *Fratrem Sellam geminaſſe Curulem.*] Significat Cornelia fratrem ſuum Conſulem iterùm fuiſſe renuntiatum, tempore quo præmatura morte functa eſt. *Sella* porrò *Curulis* apud Romanos tribus ſolummodo magiſtratibus concedebatur, Ædili nimirum, Prætori, Conſuli.

67. *Cenſura paterna.*] Significat Paulum conjugem ſuum fuiſſe *Cenſorem*, cujus dignitatem ac leges, ut ad amuſſim obſervet ſua filia, unum ipſi tantùm optat maritum.

71. *Merces extrema triumphi.*] Poſt mortem celebritas famæ, ac laudatio in funere, mulieribus eſt triumphi loco.

Fungere maternis vicibus pater, illa meorum
  Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula cùm dederis tua flentibus, adjice matris,
  Tota domus cœpit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus eris, sine testibus illis,
  Cùm venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sunt noctes, quas de me, Paule, fatiges,
  Somniaque in faciem credita sæpè meam.
Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
  Ut responsuræ singula verba jace.
Seu tamen adversum mutarit janua lectum,
  Sederit & nostro cauta noverca toro;
Conjugium, pueri, laudate, & ferte paternum:
  Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis: collata priori
  Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille meâ contentus manserit umbrâ,
  Et tanti cineres duxerit esse meos.

INTERPRETATIO.

Tu, licet *pater sis, exhibe matris officia; tota illa meorum* liberorum *multitudo cervici tuæ erit gestanda. Postquam ipsis lugentibus tua* patris *basia tuleris, adde etiam matris. Omnis familia jam incepit esse tuum onus. Si verò aliquid dolebis, ne sint illi præsentes & conscii; quando verò accedent ad te, oscula dissimula abstersis lacrymis. Sufficiant tibi noctes, ô Paule, quas meâ causâ malè habeas, visaque nocturna ita similitudinem meam imitantia, ut iis fides habeatur, & quando clanculùm ad meam imaginem, & umbram verba facies, loquere quasi* mihi *ad singula responsum datura. Sive autem limen thorum adversum mutaverit, meoque in lecto collocata fuerit noverca privignis insidiosa; ô filii, connubium patris comprobate, ac* novercam *patienter tolerate, vestrâ comitate & obsequio delinita vincetur. Neque me genitricem nimiùm* vestram *prædicate;* noverca namque *comparata cum priore* uxore Pauli *accipiet libera vestra dicta quasi injuriam sibi illatam. Sive ipse post obitum mei non oblitus contentus remanserit umbra mea, & tanti meos manes æstimaverit.*

ANNOTATIONES.

86. *Somniaque in faciem meam.*] De *somniis* vivorum formas & figuras imitantibus, vide fabulam Ceycis apud Ovid. Lib. 11. Metamorphos.

87. *Nostra ad simulacra.*] Cùm vel imaginem meam alloqueris, vel ad umbram meam verba facies.

89. *Adversum mutarit janua lectum.*] *Lectum* novercalem vocat *adversum*, quia nimirùm ferè semper noverca, quæ priori superinducitur uxori; infesta, adversa, & inimica est privignis. *Adversus* etiam *lectus* à situ & positione dicitur ille, qui *Genialis* in nuptiis vocabatur, & in aula, seu atrio è regione *januæ* collocatus sternebatur.

92. *Tanti duxerit cineres meos.*] *Tanti* me defunctam æstimarit, ut cœlebs vivere statuas.

Discite

Discite venturam jam nunc sentire senectam,
Cœlibis ad curas nec vacet ulla via.
Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos;
Prole meâ Paulum sic juvat esse senem.
Et benè habet, nunquam mater lugubria sumpsi,
Venit in exequias tota caterva meas.
Causa perorata est. Flentes me, surgite testes,
Dum pretium vitæ grata rependit humus.
Moribus & cœlum patuit: sim digna merendo,
Cujus honoratis ossa vehantur equis.

INTERPRETATIO.

Ediscite jam ex hoc tempore sufferre futuram patris senectutem, neque ulla semita vacet ad illius cœlibis curas. Quod mihi est ereptum, ad vestros annos adjungatur; ita sobolis mea gratiâ Paulum delectat senescere. Et quidem benè est, ego nusquam vestes funebres mater indui, omnis turba meorum funus meum prosecuta est. Causa peracta est. Vos qui mortem meam lugetis, testes assurgite, dum mei memor patria honorem integræ *vitæ mihi defert. Cœlum etiam sectis moribus est apertum:* Ego meis *meritis fiam digna, cujus cineres equis decoratis efferantur.*

ANNOTATIONES.

93. *Venturam sentire senectam.*] Ex hoc etiam tempore assuescite patris obsequio, quem querulum, morosum ac difficilem efficiet *senectus*.

94. *Cœlibis ad curas.*] Nulla via vacet, nulla ratio, nullum officium, nullus officii modus à vobis prætereatur curandi ac fovendi patris vestri *cœlibis*, ac senis.

97. *Nunquam lugubria sumsi.*] Ex quo tempore, inquit, mater fui, *nunquam* vestes *lugubres* indui, nullumque meorum funus vidi, sed omnes reliqui superstites.
Ovid. Lib. 11. Metamorphos.

Surge, age, da lacrymas, lugubriaque indue, nec me
Indeploratum sub inania Tartara mitte.

98. *Venit in exequias tota caterva.*] Omnes mei superstites funus meum prosecuti sunt, *exequiasque* meas celebrarunt.

100. *Dum pretium vitæ, &c.*] *Humus* hic sumitur pro patria, & civibus, vel honore sepulturæ; quasi post obitum fama, lausque hominum, vel exequiarum pompa, sepulcrorumque decoratio sit defunctis merces & pretium vitæ rectè & innocenter exactæ.

101. *Moribus cœlum patuit.*] Bonis & sectis *moribus* ad *cœlum* via est aperta; qui namque castè & integrè vixerunt, hi in Deorum numerum relati sunt. Cicero 1. Tuscul. *Totum cœlum*, inquit, *humano genere completum est, virtus, honor, fides, pudicitia consecrata sunt.*

102. *Honoratis ossa vehantur equis.*] *Honoratos* vocat *equos* magno ornatu funebri decoratos, quibus efferri quasi pompâ triumphali consueverunt magnatum, seu procerum, ac principum funera. Nonnulli verò legunt, *honoratis aquis*, illasque volunt *aquas* intelligi, per quas Charon honestarum matronarum fato functarum manes vehit in Elysium.

FINIS.

TYPOGRAPHUS
AD
LECTOREM.

NOnnullos versus obscœnos tùm è Catullo, tùm ex Tibullo, ac Propertio resectos, tanquam Augusto non solùm Principi, cui hoc Opus est consecratum, indignos, sed & cuilibet etiam verecundo ac probo Lectori invisos, separatim editos, alienisque Notis illustratos, ne quid huic trium elegantissimorum Poëtarum editioni deesse videretur, subjecimus.

VERSUS OBSCOENI

VERSUS OBSCOENI
RESECTI
E CATULLO
NEMINI VERECUNDO LEGENDI.

AD FLAVIUM Carm. *VI.*

FLAVI delitias tuas Catullo,
Ni ſint illepidæ, atque inelegantes,
Velles dicere, nec tacere poſſes.
Verum neſcio quid febriculoſi
Scorti diligis. hoc pudet fateri ;
Nam te non viduas jacere noctes
Nequicquam tacitum cubile clamat,
Sertis & Syrio flagrans olivo,
Pulvinuſque peræque & hic ; & illic
Attritus, tremulique quaſſa lecti
Argutatio, inambulatioque.
Nam ni prævaleat iſta, nihil taceres.
Cur non tam latera exfututa pandas,
Ni tu quid facias ineptiarum ?
Quare quidquid habes boni, malique,
Dic nobis, volo te, ac tuos amores
Ad cœlum lepido vocare verſu.

ANNOTATIONES.

9. *Et hic & illic.*] In duobus locis, quod arguit, duos cubare.

10. *Attritus.*] Scorti volutatione.

11. *Argutatio quaſſa lecti.*] *Argutari* eſt *ſubſilire*, ut Nonius inquit in Fidenia. Inde fit *argutatio*, id eſt, *ſubſaltatio in lecto*, quam faciunt amatores.

Inambulatio.] Ex frequenti enim illorum motu lectus concutiebatur, & quodammodo deambulare videbatur.

12 *Nam ni prævaleat iſta.* *Iſta* ſcilicet mulier quæ turpitudine ſuâ prægravat, ut cogat te tacere, aliter omnia mihi diceres, cùm tibi id ſit vitii, ut tacere nequeas. Nec mirum videatur, cùm dixerit ſcortum, quod ſubjungat *iſta*, reſpicit namque ſignificatum; Sic Terent.

Ubi illic eſt ſcelus quod me perdidit.

13. *Cur non tam latera.*] Senſus eſt, *cur* enim *non* manifeſtares *latera* tua coitu tam exhauſta, niſi hæc cauſa retineret te, quia facis neſcio quid ineptiarum, dum ſcilicet futuis febriculoſum ſcortum, & ideò in ſequenti carmine, *Ni tu quod facias*, legendum eſt, non autem, nec tu, niſi voluerimus hunc eſſe ordinem. *Cur non tu pandas quid facias ineptiarum*, ſed melior prima lectio, ex qua clarior ſequitur ſenſus.

Exfututa.] Coitu exhauſta,

DE VARRI SCORTO Carm. X. v. 12.

Irrumator

Annotatio.

12. *Irrumator.*] A *ruma*, hoc est, à mamma, dicitur *irrumare*, per quandam similitudinem; est enim *irrumare* virilia ad libidinem in os præbere, qui verò recipit, fellare dicitur; unde & fellatos & *irrumator*. fellatrix & *irrumatrix*.

AD FURIUM ET AURELIUM Carm. XI. v. 19. & 20.

identidem omnium

Ilia rumpens.

Annotationes.

Identidem.] Sæpè, Suetonius in Domitiano; *Recuperatores ne se persuasoriis assentationibus accommodarent identidem admonuit.* Idem in Vespasiano, *Dum eum identidem per contumeliam fratris appellat.* Et inferiùs dicet Catullus:

Qui sedens adversus identidem te
Spectat, & audit.

Cicero in somnio Scipionis: *Hanc ego admirans referebam tamen oculos ad terram identidem.*

Omnium ilia rumpens.] Neminem inquit, verè amat, sed *omnibus* utitur ad satiandum libidinis suæ indomitæ immoderatum appetitum.

Rumpens verò hoc dixit ex æmulatione, dùm unusquisque putat alterum sibi anteponi in amore. Virgilius:

Invidia rumpantur ut Ilia Codro.

vel quia omnibus dat, & ilia libidine consumuntur. *Ilia*, ut Plinius scribit Lib. 11. *appellantur arteria quadam inter vesicam & alvum ad pubem tendentes.* In singulari verò secundæ declinationis invenitur. Plinius Lib. 30. hoc & medetur & tussi veteri, inde *iliosi* qui morbo illo laborant, id est λαγονικοί. Sed identidem *omnium*, in hoc carmine syllaba una est superflua, quæ abjicitur ob vocalem priorem subsequentis carminis, ut sæpè fieri novimus, sic & in sequenti carmine, *prati ultimi flos.*

AD FABULLUM Carm. XIII. v. 4.

candida puella,

AD AURELIUM Carm. XV. v. 9. & seq.

tuoque pene

Annotationes.

9. *Tuoque pene.*] *Penis* caudam à pendendo, sed membrum virile etiam significat.

Juvenalis:

Noverunt Mauri atque Indi quem psaltria penem:

Et alibi:

An facile & pronum est agere intra viscera penem.

Infesto pueris bonis, malisque.
Quem tu, quâlibet, ut libet, moveto
Quantum vis, ubi erit foris, paratum,

ANNOTATIONES.

10. *Infesto pueris bonis, malisque.*] Id est omnibus *pueris* tam his qui ob formæ pulcritudinem apti sunt, quàm his qui ob deformitatem non sunt ad libidinem idonei; sicut superiùs in sexto Carmine.

Quare quidquid habes boni malique
Dic nobis.

11. *Quem tu moveto.*] *Quem*, scilicet penem *tu moveto*, ex libidine.

Quâlibet.] Scilicet ratione.

Ut libet.] Hoc dicit quantum ad modum, vel per quoscumque locos, vel quâlibet horâ.

12. *Quantumvis.*] Hoc *quantum* ad multitudinem, quasi dicat crebrò.

Ubi erit foris paratum.] Id est quando habebis extrà domum paratum, cum quo libidinem exerceas.

AD AURELIUM ET FURIUM Carm. XVI.

Pædicabo ego vos, & irrumabo,
Aureli pathice, & cinæde Furi:
Qui me ex versiculis meis putatis,
Quod sint molliculi, parùm pudicum.
Nam castum esse decet pium Poëtam
Ipsum: Versiculos nihil necesse est:
Qui tum denique habent salem, ac leporem;
Si sunt molliculi, ac parùm pudici,
Et quod pruriat, incitare possunt,
Non dico pueris, sed his pilosis,

ANNOTATIONES.

1. *Pædicabo ego vos.*] Excusat carminum suorum lasciviam, & jocosè Aurelium & Furium, à quibus scripta sua taxabantur, *pædicaturum* minitatur; versus verò endecasyllabus est.

Pædicabo.] *Pædicabo* verbum est obscœnum, & cum masculis libidinem exercere significat. Quam Julius Firmicus præposteram appellat; unde *pædicones* dicti; qui verò libidinem patiuntur, pathici & cinædi dicuntur. Hi ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὰ αἰδοῖα, id est moveo pudenda. Illi verò, vel ab aoristo ἔπαθο. hujus verbi, πάσχω, id est, patior, & sic sine aspiratione scribendum erit.

9. *Et possunt.*] supplendum iterùm si, ut sit ordo, *Et si possunt incitare quod pruriat.* Sensus verò erit, si his verbis compositi sunt, ut Venerem movere possint: *pruritus* enim dicitur, cùm membrum tentigine erigitur.

10. *Non dico pueris.*] Quia facilè per ætatem ad Venerem incitantur.

Sed his pilosis.] Id est, senioribus; qui nisi cum difficultate arriguntur: alii *hispidosis* legunt, eodem sensu. *Hispidum* enim asperum dicimus, & horridum, & setosum.

Virgil.

——— *qui laterum tenùs hispida nautis*
Frons hominem præfert. ———

Qui duros nequeunt movere lumbos.
Vos, quod millia multa basiorum
Legistis, malè me marem putatis:
Si qua fortè mearum ineptiarum
Lectores eritis, manusque vestras
Non horrebitis admovere nobis:
Pædicabo ego vos, & irrumabo.

ANNOTATIO.

11. *Nequeunt movere lumbos.*] Sunt *lumbi* in corpore à cinctura ad nates, à quibus Venereus liquor defluit. Hinc illud est in Priapeis:

Crissabit tibi fluctuante lumbo.

Deficiente igitur ipsâ materiâ, aridi & duri fiunt lumbi, & sic moveri, ut priùs, non possunt.

AD COLONIAM Carm. *XVII*. v. 18.

Nec se sublevat ex sua parte:

ANNOTATIO.

Nec se sublevat ex sua parte.] Ipse permittit illam moveri, nec se movet vicissim supra illam crissantem, quem admodum nec navis in fossa Liguri movetur. Qui verò exponunt, *nec se sublevat*, nihil providet, nihilque consulit sibi conjugii oneribus oppresso, meâ quidem sententiâ Poëtæ sensum non percipiunt.

HORTORUM DEUS Carm. *XIX*. v. 6.

coloni

HORTORUM DEUS Carm. *XX*. v. 18. & 21.

sine arte mentula
mentula

ANNOTATIO.

18. *Parata namque crux sine arte mentula.*] Hoc est virile membrum, tanquam crucis supplicium te manet.

AD AURELIUM Carm. *XXI*. v. 4. & 8.

AURELI pater esuritionum,
Non harum modò, sed quot aut fuerunt,
Aut sunt, aut aliis erunt in annis:

Pædicare cupis meos amores,
Nec clam: nam simul exjocatis unà
Hærens ad latus, omnia experiris.
Frustrà. nam insidias mihi instruentem
Tangam te priùs irrumatione.
Atqui, si id faceres satur, tacerem.
Nunc ipsum id doleo, quod esurire
Næ meus puer, & sitire discet.
Quare desine, dum licet pudico:
Ne finem facias, sed irrumatus.

ANNOTATIONES.

4. *Meos amores.*] Puerum fidei tuæ commissum.

13. *Ne finem facias, sed irrumatus.*] Quamvis te moneam, non tamen cessabis nisi *irrumatus*, id est, nisi priùs te *irrumavero*, finem non facies.

AD VERANNIUM ET FABULLUM Carm. XXVIII.

PISONIS comites, cohors inanis,
Aptis sarcinulis, & expeditis,
Veranni optime, tuque mi Fabulle,
Quid rerum geritis? satisne cum istò
Vappâ, frigoraque, & famem tulistis,
Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expensum? ut mihi, qui meum secutus
Prætorem, refero datum lucello:
O Memmi bene me, ac diu supinum
Totâ istâ trabe lentus irrumasti:
Sed, quantum video, pari fuistis
Casu: nam nihilo minore verpa
Farti estis, pete nobiles amicos,
At vobis mala, multa Dii Deæque
Dent, opprobria, Romuli, Remique.

ANNOTATIONES.

8. *Refero datum lucello.*] Id quod sequitur, & quod indignabundus per exclamationem declarat, quod videlicet ab illo irrumatus fuit, ad ipsum sermonem convertit, dicens, O *Memmi, tu lentus in seminio emissione bene ac diu me supinum irrumasti totâ istâ trabe, pene tuo, ac membro magno & instar trabis.* Per circumlocutionem enim de membro illius loquitur.

12. *Nihilo minore verpa.*] Membro virili illius non *minore* quàm fuerit Memmii videlicet. *Verpa* enim membrum dicitur sine præputio, unde *Verpa* & *Verpi* Judæi dicti sunt, ab inversa pellicula. Esto alii dicant à verrendo podice.

Juvenal in 14.

Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.

13. *Farti.*] Repleti, unde farcimina quæ & insitia dicuntur.

IN CÆSAREM Carm. XXIX. v. 14.

Ut iſta voſtra diffututa mentula

Annotatio.

14. *Ut iſta veſtra diffututa mentula.*] Mamurram *mentulam* cognominat coitu exhauſtam, uti vulgò etiam in contemptum dicere ſolemus Alii, quibus non placet ut ſolum Cæſarem allocutus *veſtra* dixerit, dictionem expungunt, & *veſca* ſubſtituunt, id eſt, parva. Ovid. Faſt.

——— *Ut grandia farra coloni*
Quæ malè creverunt veſcaque parva vocant.

Et hinc videtur Servius Virgilianum illud in Georgicis expoſuiſſe: *Veſcas ſalicum frondes*: id eſt, ſiccas & teneras, nam per hoc quod dicit teneras videtur velle puſillas inferre, quaſi dicat minores frondes, quæ non erunt duræ, dandas eſſe. Neque enim ſiccum unumquodque durum eſt. Præterea ſiccum & tenerum non opponuntur, ſicuti quibuſdam Servium damnantibus videtur: ſed tenerum & durum, ſiccum & viride. Ego verò, quòd *veſtra* pro *tua* Catullus poëticè poſuerit, minimè offendor, quamvis etiam ad totum exercitum reſpiciens, *veſtra* dicere potuerit.

AD HYPSITHILLAM. Carm. XXXII.

Amabo, mea dulcis Hypſithilla,
Meæ deliciæ, mei lepores,
Jube ad te veniam meridiatum.
Quod ſi juſſeris, illud adjuvato,
Ne quis liminis obſeret tabellam,
Neu tibi lubeat foras abire:
Sed domi maneas; paresque nobis
Novem continuas fututiones,
Verum ſi quid ages, ſtatim jubeto,
Nam pranſus jaceo, & ſatur ſupinus

Annotationes.

8. *Novem continuas fututiones.*] Novem ſine ulla intermiſſione coitus.

9. *Si quid ages.*] Si venire me voles; vel, ſi eris in aliqua re occupata, citò te expedias, ut poſſis ſtatim me admittere.

Statim jubeto.] Scilicet, me venire.

10. *Nam pranſus jaceo.*] Ex hoc Catulli loco quidam mirantur, cur Servius in 4. Æneid. dixerit apud Antiquos in uſu *prandia* non fuiſſe, quod falſum affirmant. Quorum admiratio majori admiratione digna videbitur, ſi exactiùs rem ipſam conſiderare voluerimus. Conſtat enim *prandium* penes antiquiores, in uſu quidem apud omnes non fuiſſe. Quocirca apud Martialem in Epigrammate de horarum diviſione, nulla illius mentio habetur, ſed militibus tamen concedebatur. Imò *prandium* ideo dictum fuit, quia eos ad prœlium paret. Diſſolutiores quoque perſonæ prandebant. Hinc Liv. de Annibale intra Capuam luxuriante, *Cœperunt convivari de die* Apud Comicos quoque prandii frequentiſſima fit men-

pertundo

Pertundo tunicamque palliumque.

ANNOTATIO.

tio, ut in fabulis palliatis & dissolutioribus personis, ita etiam Catullus ad amicam scribens, & dissolutè vivens, vel vivere simulans, prandii hoc loco mentionem facit.

11. *Pertundo tunicam palliumque.*] Tanta est tentigo, ut non modò interiorem, sed etiam exteriorem percutiam vestem. Ab illo verbo *pertundo* dicta est Dea *Pertunda*, de qua Arnobius lib. 4. *Pertunda Dea, qua in cubiculis præsto est virginalem scrobem effodientibus maritis.*

IN VIBENNIVM, ET FVRIVM CINÆDVM. *Carm. XXXIII.*

O Furum optime balneariorum
Vibenni pater, & Cinæde fili:
Nam dextra pater inquinatiore,
Culo filius est voraciore,
Cur non exilium, malasque in oras
Itis? Quandoquidem patris rapinæ
Notæ sunt populo, & nates pilosas,
Fili, non potes asse venditare.

ANNOTATIONES.

5. *Malasque in oras.*] Sicut dicimus, *in malam horam abi*, quamvis & *in oras* legitur absque aspiratione, in infelices regiones.

6. *Quandoquidem.*] Posteaquàm, quoniam rationem enim assignat, cur discedere debeant.

7. *Nates pilosas.*] Hispidas *nates*, & minimè appetibiles.

8. *Fili.*] Casus est vocativi.

Non potes venditare.] Frequenter, ut priùs vendere.

Asse venditare.] Ne minimâ quidem mercede conduci jam ad libidinem potes; *assem* enim hoc loco pro minutulo nummo accipere debemus, sicut & apud Horat.

Quem si comminuas, vilem redigatur ad assem.

AD CONTVBERNALES. Carm. XXXVII. v. 3. & seq.

Solis putatis esse mentulas vobis?
Solis licere, quicquid est puellarum

ANNOTATIONES.

3. *Solis putatis esse mentulas vobis.*] Vos tantùm mentulati esse creditis. Propert.

4. *Quicquid est puellarum.*] Id est, omnes puellas.

Confutuere? Et putare cæteros hircos?
An, continenter quod sedetis insulsi
Centum, aut ducenti, non putatis ausurum
Me una ducentos irrumare sessores?
At qui putate.

ANNOTATIONES.

5. *Confutuere.*] Simul cum illis rem habere. Notandum est in prima sede hujus carminis dactylum esse.

Et putare cæteros hircos.] Id est, tanquam *hircos* puellis invisos esse, hoc est habere hircinium & fœtidum odorem, qui in alis masum innasci solet, & *hircus* ab animalis fœtore appellatur. De quo alibi dicit; *Valle sub alarum trux habitare caper.*

6. *An, continenter quod sedetis.*] *Continenter*, adverbium, sine intervallo significat.

Insulsi.] Illepidi, & invenusti sine sale.

7. *Centum aut ducenti.*] Quasi diceret, multitudine & numero, non viribus freti estis.

8. *Sessores.*] Qui semper in tabernis sicut opifices & tabernarii sedetis.

9. *At qui putate.*] Sed putate, scilicet & nobis mentulas esse, & me ausurum vos irrumare.

DE ACME. Carm. XLI. v. 1.

difututa

ANNOTATIO.

1. *Difututa.*] Compositio verbi multitudinem significat, quasi dicatur puella à diversis viris subagitata.

AD M. CATONEM PORCIUM Carm. LVI. v. 5. & seq.

Deprendi modò pupulum puellæ
Trusantem, hunc ego si placet Dionæ,
Pro telo rigida mea cecidi.

ANNOTATIONES.

5. *Deprendi modò.*] Paulò antè inveni.

Pupulum.] Puerum, sic enim antiquitùs *puppos* pueros, & *puppas puellas* dicebant.

6. *Trusantem.*] Frequentativum à *trudo*, id est, per vim impellentem membrum videlicet virile intra genitalia puellæ. Sic Martialis:

Truditur & digitis pannucea mentula lassis.

Alii *crissantem* legunt, id est, se in coitu moventem. Sed impropriè, est namque fœminarum *crissare*, sicut *cevere* virorum.

7. *Pro telo*] Loco teli: sicut enim qui in adulterio reperiuntur telo interficiuntur: ita, inquit, loco teli mentulâ rigidâ ipsum cecidi. Et sic metaphoricè loquitur, & ne videatur in hac re Venerem offendere, cùm de libidine in masculum abominabili loquatur, ideò interponit, *si placet Dionæ*, id est, Veneri, de qua superiùs diximus.

Rigida.] Tanquam substantivo usus est, mentulam significans.

AD JANVAM IMPVDICÆ Carm. LXVII. v. 21. & 22.

Languidior tenerâ cui pendens sicula betâ,
Nunquam se mediam sustulit ad tunicam.

ANNOTATIONES.

21. *Cui.*] Scilicet marito.
Sicula.] Parva sica: sed membrum virile & mentulam intelligit: ficut etiam Plautus *macharam militis* metaphoricè, est namque *sica brevis* gladius, unde *sicarii* dicti.
Languidior beta tenera.] *Beta* herba est hortensis, cujus naturam & genera legito apud Plin. lib. 9. cap 13. & lib. 20. cap. eodem.
Pendens.] Quia non erecta.
22. *Nunquam se mediam sustulit ad tunicam.*] Nunquam illi erigebatur mentula, ita ut tunicam elevaret; sic etiam in Lyricis dixit, *Pertundo palliumque tunicamque.*

IN RVFVM. Carm. LXIX. v. 1. & 2.

Noli admirari quare fœmina nulla,
Rufe, velit tenerum suppositisse femur.

ANNOTATIO.

22. *Tenerum femur.*] Ut cum ipsa coëat, scilicet.

AD VIRRONEM. Carm. LXXI. v. 5. & 6.

Nam quoties futuit, toties ulciscitur ambos,
Illam affligit odore, ipse perit podagrâ.

ANNOTATIO.

Perit podagrâ.] quia ex coitu dolor augetur. Est autem *podagra* dolor & contractio pedum, & in hac dictione syllaba media indifferens est. Ovid.

Tollere nodosam nescit medicina podagram.

Martialis verò, *Litigas, & podagrâ Diodorus, Flacce, laboras.*

IN GELLIVM. Carm. LXXIV. v. 3. & seq.

Hoc ne ipsi accideret, patrui perdepsuit ipsam
Uxorem, & patruum redidit Harpocratem.

ANNOTATIONES.

3. *Hoc ne ipsi accideret.*] Ne objurgaretur à patruo.
Patrui perdepsuit.] Eam nimirùm subagitando: *Perdepso* namque verbum in obscœnis est. Alii legunt *perdespuit*, neglexit, contempsit, sed malè.
Ipsam uxorem.] Quam comprimebat scilicet.
4. *Et patruum reddidit Harpocratem.*] Fecit ipsum tacere: Fuit enim *Harpo-*

Quod voluit, fecit, nam, quamvis irrumet ipsum
 Nunc patruum, verbum non faciet patruus.

ANNOTATIONES.

crates vir Ægyptius, qui digito salutari silentium indicebat in comitatu Isidis, *quia capitale erat*, ut inquit Beatus Augustinus lib. 16. de Civit. Dei, *dicere Isim & Serapim homines fuisse: unde Deus silentii appellatus, quod ab Ægyptiis colitur*, de quo fusius Plut. in oratione de Serapidis Numine, de quo & Ovid. Metam. l. 9 ubi de Isidis comitatu loquitur intellexisse videtur, *Quique premit vocem digitoque silentia suadet.* Hunc Capitolio prohibitum, meminit Tertullianus in Apologetico.

5. *Quod voluit, fecit.*] Id est, Jam in domo patrui omnia quæcumque volebat, faciebat: quasi dicas sub hac simulatione habuit rem cum uxore patrui, & ille tacebat.

6. *Nunc quamvis irrumet ipsum.*] Licet etiam patruum ipsum *irrumares*, tamen ille ne verbum quidem diceret, vel sit sensus, quamvis hoc tempore etiam patruum ipsum *irrumes*, tamen ille ne verbum quidem facit, & sic erit *faciet*, tempus pro tempore: nisi legerimus *verbum non facit & patruus.*

DE GALLO. Carm. LXXVIII. v. 4.

Cum puero ut bello bella puella cubat.

AD GELLIUM. Carm. LXXX. v. 6. *& seq.*

 Grandia te medii tenta vorare viri,
Sic certè est, clamant Virronis rupta miselli
 Ilia, & emulso labra notata sero,

ANNOTATIONES.

4 *Tenta vorare.*] Virilia membra. Horatius.

Tentaque rumpit.

Et Diomedes Grammaticus sic inquit, *Et quia cacophaton videtur Deorum vehiculum tonsum dixerunt, non tensum, ne verbum turpe sonaret in Sacris.*

Medii viri.] Quia in medio est membrum virile. Martialis.

Lambebas medios improba lingua viros.

5. *Sic certè est.*] Primò dubitavit an vera esset, an falsa fama, modò affirmat ita esse, & adducit testimonium Virronis.

Virronis.] *Victoris* alii legunt, quomodocunque sit, est nomen proprium viri illius, cujus Gellius fellator erat.

6. *Ilia rupta.* Latera quæ coitu disrumpuntur. Juvenal.

Quod lateri parcas.

Est igitur sensus. Miselli Victoris ilia consumpta clamant labra tua esse signata spermate, quod demulsum ex ipso in labris tuis inaruit.

Ilia & emulso.] Alii legunt, *ilia demulso.*

Sero emulso.] Metaphoricè spermate, quod emulges ex illius membro.

Clamant.] Cum quodam veluti clamore indicant.

Ilia.] Aliqui legunt, *ilia demulso*, sed cum sensus & ordo illepidus sit, priorem lectionem magis probo.

IN GELLIUM, *Carm. LXXXVII.* v. 1. 2. & 8.

Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore
  Prurit, & abjectis pervigilat tunicis?
Quid facit is, patruum qui non sinit esse maritum?
  Ecquid scis, quantum suscipiat sceleris?
Suscipit, ô Gelli, quantum non ultima Tethys,
  Nec genitor Nympharum abluat Oceanus.
Nam nihil est quicquam sceleris, quo prodeat ultra,
  Non si demisso se ipse voret capite.

ANNOTATIONES.

1. *Quid facit is, Gelli.*] interrogans Gellium tanquam de tertia quadam persona, ipsum mordaciter taxat, qui rem cum matre, & cum sorore, & cum patrui uxore habebat.

2. *Prurit.*] Coit *prurien* stimulatus

Pervigilat.] Non dormit, sed ad coitum *vigilat.*

Abjectis tunicis.] Quasi diceret nudus, ut ad Venerem magis sit idoneus. Alii accipiunt ob membrum extensum levatis vestibus.

8. *Nec si demisso.*] nec etiam si seipsum fellaret.

Demisso capite.] Ut ad fellandum, aut ad se necandum, quod maximum est scelus seipsum occidere. Unde Virgil.

Vitamque perosi
Projecere animas.

De his autem qui seipsos interimunt, vide Macrob. lib. 1 de Somnio Scipionis, & B. Augustin. lib. 1. de Civitate Dei, & Josephum in 3. de Bello Judaico. Melius tamen de fellatione intelligitur.

IN CÆSAREM. *Carm. XCII.* v. 3. & 14.

Nil nimium studeo, Cæsar, tibi velle placere,
  Nec scire utrum sis albus, an ater homo.
Mentula mœchatur, mœchatur mentula certè,
  Hoc est quod dicunt, ipsa olera olla legit.

ANNOTATIONES.

3. *Mentula mœchatur.*] Hoc est, per se sperma effundit, & iisdem verbis id ita esse affirmat.

4. *Hoc est quod dicunt.*] Id est, quod est in communi proverbio

Ipsa olera olla legit.] Id est; sine ope aliena *olla legit olera*; quia *olera* conveniunt *olla.* Proverbium est contra eos, qui ad scelus aliquod inclinati sunt; ita ut non possint facere quin peccent. Ideo hoc loco Poëta contra Julium Cæsarem proverbio usus videtur quia ita fuit ad libidinem in masculos proclivis, ut per se solâ allocutione semen effunderet. Simile quidam cum hoc proverbio habent id id quod hodie quoque vulgò à nostris dicitur, *per se Messem colligit.*

DE ÆMILIO. Carm. XCV. v. 7. & seq.

Non, ita me Dii ament, quicquam referre putavi,
Utrumne os, an culum olfacerem Æmilio.
Nil immundius hoc, nihil est immundius illo.
Verùm etiam culus mundior & melior.
Nam sine dentibus est; hoc denteis sesquipedales,
Gingivas verò ploxemi habet veteris.
Prætereà rictum qualem defessus in æstu
Mejentis mulæ cunnus habere solet.
Hic futuit multas, & se facit esse venustum,
Et non pistrino traditur, atque asino?
Quem si qua attingit, non illam posse putemus
Ægroti culum lingere carnificis?

ANNOTATIONES.

7. *Prætereà rictum.*] *Rictus* est cùm os apertum tenemus, vel propter risum, vel aliam ob causam. Horatius.

Ergo non satis est risu diducere rictum.

Rictus, inquit, Æmilii videtur mulæ cunnus inversus, quando mingit.

Qualem.] Scilicet rictum.

8. *Mejentis.*] Id est, *mingentis* in æstu, quia tunc laxior solet esse.

9. *Hic.*] Scilicet Æmilius.

Futuit multas.] Scilicet mulieres.

Et se facit esse venustum] Id est, jactat se esse pulcrum. Ex eo quod cum multis rem habet, posteà ex indignatione infert.

10. *Et non pistrino traditur.*] Quasi diceret, dignior esset qui asinum incitaret ad versandam pistrini rotam. Interrogativè autem hoc proferri debet, & sermo ipse habet mixtam reprehensionem.

11. *Quem si qua attingit.*] Non modò Æmilium lacerat, sed etiam mulieres illas, quæ sui Æmilio copiam faciebant; adeo ut illas dicat etiam *posse lingere culum carnificis ægroti*, quæ possunt Æmilium osculari.

12. *Carnificis.*] *Carnifices* enim solent odio haberi. Sed ad majorem illarum detestationem *ægroti* addidit. Nam *ægroti* semper immundiores esse solent, & maximè quia pharmaca sumere coguntur, quibus inquinatior redditur culus.

PERVIGILIUM VENERIS,

QUOD QUIDAM CATULLO TRIBUUNT.

CRAS amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.
Ver novum, ver jam canorum, vere natus orbis est.
Vere concordant amores, vere nubent alites.
Et nemus comam resolvit de maritis imbribus.
Cras amorum copulatrix inter umbras arborum
Implicat casas virentes de flagello myrteo.
Cras Dione jura dicit fulta sublimi throno.
Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.
Tunc cruore de superno, spumeo pontus globo

ANNOTATIONES.

2. *VEr novum.*] Hoc Poëmatium, quod nonnulli de *vere* inscribunt, sive Catulli, sive cujuscunque alterius sit, meritò Pithæus Medicorum pueris ac manibus commendavit, cum valdè corruptum ac multis partibus mutilum, vulneribusque hac tenus immedicabilibus laborare visum sit viris eruditis. Illius autem cicatrices paulò coaluisse, benignamque Æsculapii opem sensisse eruditus lector hic animadvertet.

Vere natus orbis est.] *Orbem natum fuisse vere* existimat. Quod etiam affirmat Virgilius lib. 2. Georgic. v. 336.

Non alios primâ crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim: Ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.

Panegyristes ad Maximian, *O felix beatumque ver novo partu! O tempus, quo meritò omnia nata esse credantur.* Celebris est porrò quæstio tum apud Philosophos, tum Theologos, utrum *vere* an autumno mundus fuerit conditus, aliis in hanc, aliis in illam sententiam abeuntibus.

4. *De maritis imbribus.*] *Marites imbres* eleganter appellat spumam & sanguinem.

5. *Amorum copulatrix.*] Venus mater *amorum* circumfusâ umbræ nebulâ oberrare solet, veloque suo favet furtis amantium, pavidosque tegit amatores.

6. *De flagello.*] Sic de *flagellis* Isidorus lib. 17. cap. 105. *Summitates vitium ac fruticum flagella nuncupantur, eo quod flatu agitentur.*

7. *Dione.*] Mater est Veneris; sed hic pro Venere ipsa sumitur.

9. *Spumeo pontus globo*] Venus ex mari concepta dicitur, quod ex humida natura consurgit coeundi aviditas.

Cærulas inter catervas, inter & bipedes equos
Fecit undantem Dionem de maritis imbribus.
Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.
Ipsa gemmas purpurantem pingit annum floribus,
Ipsa surgentes papillas de Favonî spiritu.
Urget in notos penates, ipsa roris lucidi
Noctis aura quem relinquit, spargit humentes aquas;
Micant lacrymæ, trementes de caduco pondere;
Gutta præceps orbe parvo sustinet casus suos.
In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ:
Humor ille, quem serenis astra rorant noctibus,
Mane virgines papillas solvit humenti peplo.
Ipsa jussit mane ut udæ virgines nubant rosæ.
Facta Cypris de cruore, deque amoris osculis,
Deque gemmis, deque flammis, deque Solis purpuris,
Cras ruborem qui latebat veste tectus ignea
Unico, marita, nodo non pudebit solvere.
Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.

ANNOTATIONES.

10. *Bipedes equos* *Bipedes* dicuntur *equi* Neptuni, qui posterioribus pedibus carent, priores tantùm habentes, quibus pontum legunt & natant.

13. *Purpurantem pingit annum.*] Ver mundi dicitur *pictor*, quia gemmulis, colorumque ac florum varietate multiplici tellurem illustrat, ac decorat.

14. *Surgentes papillas.*] Hîc *papillæ* sunt rosarum alabastri, ac prima germina, seu rosarum calyces nondum dehiscentes, & patentes, convolutis foliorum panniculis conniventes. De his rosarum *papillis* Plinius lib. 21. cap. 4. *Rosa nascitur & germinat granoso cortice, quo intumescente & in virides alabastros fastigiato paulatim rubescens dehiscit ac sese pandit, in calycis medio sui complexa luteos apices.* Alabastros hos Plinianos noster Auctor designat per *surgentes papillas*, hoc est, nascentes, germinantes, crescentes. De his etiam B. Hieronymus Epistol. 26. ad Pammachium. *Quis*, inquit, *parturientem rosam, & papillatum corymbum, antequàm in calathum fundatur orbe, & tota rubentium foliorum pandatur ambitu, immaturè demessum æquis oculis marcescere videat?* Quem Plinius *alabastrum* dicit, *papillatum* corymbum Vir sanctus appellat.

15. *Urget.*] Propellit, effundit in folia.] Hoc Maro *trudere* dixit lib. 2. Georgic.

Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.

17. *Micant lacrymæ.* Eleganti tralatione *roris guttas* vocat *lacrymas*.

21. *Humenti peplo.*] Lutatius ad Lib. 10. Thebaid. Statii, *Peplum*, ait, *est vestis candida, aureis clavis picta, sine manicis, quod simulacris fiebat. Sed peplum primùm ab Atheniensibus est institutum, quod matronæ suis manibus faciebant, &c.*

23. *Facta Cypris de cruore.*] Hîc *Cypris* genitivus est, neque vult hoc loco *Cyprin* seu Venerem ortam ex sanguine rosæ, sed rosam ex Veneris cruore ortam seu purpuratam.

De amoris osculis.] Nonnulli legunt, *deque Adonis osculis*

25. *Cras ruborem.*] De rosis quæ præcedunt omnia sunt intelligenda, quas Venus è virginibus maritas fieri voluisse dicit; hoc est, ex clausis & tectis ut erant in calycibus suis, aperiri & expandi: *Cras*, inquit, ô rosa marita, quæ antè virgo fueras non pudebit te *ruborem*, qui veste igneâ calycis tectus latitabat, unico nodo solvere, & in apertum pandere.

Cras

Ipsa Nimphas Diva loco jussit ire myrteo,
It puer comes puellis; nec tamen credi potest
Esse amorem feriatum, si sagittas vexerit.
Ite Nimphæ, posuit arma, feriatus est Amor;
Jussus est inermis ire, purus ire jussus est,
Neu quid arcu. neu sagitta, neu quid igne læderet.
Sed tamen Nymphæ cavete, quòd Cupido pulcer est,
Totus est in armis idem quando nudus est Amor.
Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.
Compari Venus pudore mittit ad te virgines:
Una res est, quam rogamus: cede virgo Delia;
Ut nemus sit incruentum de ferinis stragibus.
Ipsa vellet te rogare, si pudicam flecteret;
Ipsa vellet ut venires, si deceret virginem:
Jam tribus Choros videres feriatos noctibus,
Congreges inter catervas ire per saltus tuos,
Floreas inter coronas, myrteas inter casas.
Nec Ceres nec Bacchus absunt, nec Poëtarum Deus.
Detinent, & tota nox est perviglanda cantibus.
Regnet in silvis Dione. Tu recede, Delia.
Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.
Jussit Hyblæis tribunal stare Diva floribus,
Præses ipsa jura dicet, assidebunt Gratiæ.
Hybla totos funde flores, quotquot annus attulit,
Hybla florum subde messem, quantus Ennæ Campus est.
Ruris hîc erunt puellæ, vel puellæ montium,
Quæque silvas, quæque lucos, quæque fontes incolunt.
Jussit omneis adsidere pueri mater alitis,
Jussit, & nudo puellas nil Amori cedere.
Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.
Et recentibus virentes ducat umbras floribus.

ANNOTATIONES.

43. *Congreges.*] Contribulis; gentilis, & *congrex. gis.* idem sunt.

44. *Nec Ceres, nec Bacchus.*] Hieronym lib. 2 adversus Jovinian. *Esus carnium*, inquit, *& potus vini. ventrisque saturitas, seminarium libidinis est.* Unde & Comicus:

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

45. *Perviglanda.*] Pro *Pervigilanda.*

49. *Assidebunt Gratiæ.*] Scribit Phornutus Venerem *adsidentes* sibi semper habere *Gratias*, & Suadelam & Mercurium Apud Apuleium lib. 2. 6. & 10. Venus *Gratiarum* Choro stipatur, totoque Cupidinum populo comitatur.

50. *Hybla totos funde flores.*] *Hybla*, seu *Hyble* Siciliæ mons est, thymo *florum*que copiâ abundans.

Ennæ Campus.] Ille *Campus Enna* est in Siciliæ umbilico positus, in quo Proserpinam à Plutone raptam fuisse fabulantur.

52. *Ruris hic erant puellæ.*] Nympharum alias crediderunt antiqui terrestres, alias cœlestes, alias fluviales, alias marinas, alias stagnorum, alias agrorum præsides. Quæ silvis præerant *Dryades*, & *Hamadryades*; quæ montibus *Oreades*, vel *Orestiades*; quæ pascuis & floribus *Napææ*; quæ stagnis, & fluviis *Naiades*; quæ mari *Nereides* dicebantur.

Cras erit quo primus æther copulavit nuptias.
Ut pater totis crearet vernus annum nubibus,
In sinum maritus imber fluxit almæ conjugis.
Unde fœtus mixtus omneis aleret magno corpore.
Ipsa venas atque mentem permeante spiritu
Intus occultis gubernat procreatrix viribus,
Perque cœlum, perque terras, perque pontum subditum;
Pervium sui tenorem seminali tramite
Imbuit, jussitque mundum nosse nascendi vias.
  Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.
Ipsa Troianos nepotes in Latinos transtulit:
Ipsa Laurentem puellam conjugem nato dedit.
Moxque Marti de sacello dat pudicam virginem.
Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias:
Unde Ramnes & Quirites: perque prolem posteram
Romuli matrem creavit & nepotem Cæsarem.
  Cras amet, qui nunquam amavit, quique amavit, cras amet.
Rura fœcundat voluptas: rura Venerem sentiunt:
Ipse Amor puer Dionæ rure natus dicitur.
Hunc aget cùm parturiret, ipsa suscepit sinu,
Ipsa florum delicatis educavit osculis.
  Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.
Ecce jam super genistas explicant agni latus,
Quisque tutus quo tenetur conjugali fœdere.
Subter umbras cum maritis ecce balantum greges:
Et canoras non tacere Diva jussit alites
Jam loquaces ore rauco stagna cygni perstrepunt:
Adsonant Terei puellæ subter umbram populi;
Ut putes motus amoris ore dici musico:
Et neges queri sororem de marito carbaro.
Illa cantat, nos tacemus. Quando ver venit meum?
Quando faciam ut Chelidon, ut tacere desinam.
Perdidi Musam tacendo, nec me Phœbus respicit.
Sic Amyclas cùm tacerent perdidit silentium.
  Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.

Annotationes.

69 *Laurentem puellam*] Laviniam scilicet filiam Regis Latini, qui *Laurenti* regnavit.

70 *Moxque Marti.*] *Iliam* seu *Rheam Silviam* Vestalem dicunt illam *virginem*, ex qua *Mars* genuit Remum & Romulū.

91. *Amyclas perdidit silentium*] *Amyclæ* civitas dicitur fuisse in Italia inter Caietam ac Terracinam à Laconibus condita, cujus cum cives ex Pythagoræ præcepto ab esu carnium & animalium cæde abstinerent, serpentesque ex vicinis paludibus natas occidere nefas putarent, ab iisdem dicuntur interempti. Alii verò volunt *tacendo Amyclas* periisse, quia cùm sæpius aliquando hostium adventus falsò nuntiaretur, legibus cautum est, ne quis hanc famam spargeret; unde postea ex improviso captæ sunt ab hostibus *Amyclæ*; unde natum est proverbium, *Amyclas tacendo periisse.*

VERSUS OBSCOENI

RESECTI

E TIBULLO.

LIBR. I. ELEG. IX. v. 25. & 26.

Sed corpus tetigiſſe nocet, ſed longa dediſſe
Oſcula, ſed femori conſeruiſſe femur.

ANNOTATIO.

26. *Sed femori impoſuiſſe femur.*] Rem turpem verbis tegit non penitus inhoneſtis.

Item, Ibidem. v. 35. & ſeq.

At Venus inveniet puero ſuccumbere furtim,
Dum tumet, & teneros conſerit uſque ſinus:
Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
Oſcula, & in collo figere dente notas.

ANNOTATIONES.

35. *Conſerit teneros uſque ſinus.*] Actum libidinis exprimit.

37. *Et dare anhelanti.*] Præ nimia agitatione, dum Veneris opus peragitur.

Pugnantibus linguis.] Laſciviam exprimit, *linguarumque* mobilitatem, quâ in coitu colluctantes *pugnare* ſibi blanditiis & humidis oſculis videntur. Hoc *valgiter oſculari* dixit Petronius. Ali dicunt hoc, *columbari*, vel *columbatim oſculari*.

38. *Notas.*] Signa, maculas, morſiunculas.

EJUSDEM TIBULLI
AD PRIAPUM,
DE INERTIA INGVINIS.

QUID hoc novi est? Quid ira nunciat Deum?
Silente nocte candidus mihi puer
Tepente cum jaceret abditus sinu,
Venus fuit quieta, nec viriliter
Iners senile penis extulit caput.
Placet, Priape? Qui sub arboris coma
Sacrum soles revincte pampino caput

ANNOTATIONES.

1. *Quid hoc novi est.*] In veteribus excusis Tibulli nomine editur hoc polit issimum Poëmatium: itemque in veteri membrana Tibulliana, quæ penes Cujacium erat. Totumque ex puris iambis constat. Et sanè multùm spirat illam venustatem, quæ hodie percipitur in Elegiis illius suavissimi Poëtæ. Quod ne cui mirum videatur, Tibullum Priapeia conscripsisse, jam puto satis confirmari superiore Epigrammate, *Villicus ærari &c.*
Sed & clariùs Martialis:

Quam qui composites metro Tibulli
In Stella recitat domo libellos. Scaliger. Intelligit ex hoc Epigrammate, Martialis scilicet, Scaliger lascivi carminis fuisse auctorem Tibullum, quod ambigo, & *αἰέχον*). *Ramirez.* Epigramma hoc, nisi Tibullo à doctis passim adsignatum viderem, suspicionem commovere poterat mihi, à Veronensi illo anteambulone ejus potiùs, quàm à Poëta Romano hoc nostro lusum fuisse. Ita & lepores in eo sales, numerique omnes Catulliani, haud adumbrati hercule, verum ad vivum expressi penitùs graphiceque elucent. Quid multis? Pura pura Latina omnia, & quasi in melle sita: de verbis loquor. Etenim re ipsâ nihil turpius, nihil flagitiosius. *Dousa Pater.*

6. *Placet Priape?* Credo esse querimoniam Poëtæ cum Priapo, non Priapo, de insolito ficulæ suæ languore, vel potiùs (cum Petronio dicam) nervorum paralysi jocosè expostulantis, quasi diceret: *Quantum mutatus ab illo Hectore*, qui coronâ pampineâ caput redimitus, ruberque & valens cum indomito ac rubente fascino sub arborum umbris sedere continenter es solitus! Hoccine, ô Priape, placet, vel æquum videtur tibi, ut, quo propitio adeo usque adhuc, atque ex libidine ipsius meâ usus sum semper, nunc, cum vel maximè usus erat, partem mei, hoc est, rem communem indignissimè, alienissimoque tempore mollis, debilis, fractus repente defereres, ac destitueres, quasi caballus in clivo? Hoc de te merui, inquam, ut in primis ætatis fretis juvenanti senectæ, & extremæ lassitudinem imponeres mihi? *Dousa P.*

7. *Revincte.*] Ita non rarò veteres loquuntur.
Tibull. ad Bacchum:

Huc venias hoderne, tibi dem thuris honores,
Liba & Mopsopio dulcia mella feram

Hodiernus enim dicendum erat.
Albinovanus in Epicedio Mæcenatis.

Impiger Alcide, multo defuncte labore
Te memorant curas sic posuisse tuas,

Nam dicendum erat *defunctum.*
Plautus in Curculione.

Haud malè meditate malè locutus es.

Theocritus: ὄλβιε κῶρε γένοιο.
Debuit enim dicere, ὄλβιος.

Ruber sedere cum rubente fascino.
At, ô Tripalle, sæpè floribus novis
Tuas sine arte deligavimus comas,
Abegimusque voce sæpè, cùm tibi
Senexve corvus, impigerve gracculus
Sacrum feriret ore corneo caput.
Vale nefande destitutor inguinum,
Vale, Priape, debeo tibi nihil.
Jacebis inter arva pallidus situ.
Canisque sæva, susque ligneo tibi
Lutosus adfricabit oblitum latus,
Scelestе penis, ô meum malum grave,

ANNOTATIONES.

Persius:

Stemmate quod Thusce ramum millesime ducis,
Censoremque tuum, vel quod trabeate salutas.

Ausonius:

Distinctas interne vias mirere domorum.

Hoc est, *internas*.

Propertius:

Sit mihi te referas levis.

Nam *levem* dicere debuit. *Scaliger.*

8 *Ruber sedere cum rubente fascino.*] Petronius dixit, *Scorteum fascinum*, id est, rubrum penem coriaceum, ut Suidas exsertìm tradit voce βαλλοί. Indubiè eum in modum effictum membrum illud, ut sic ad veritatem utcunque accederet. Nec aliter Priapi simulacra figurari consuevisse, indicio esse potest toties repetita ejus mentio. Catullus;

Sedet revinctus cum rubenti fascino.

In Carm. Priap.

Rubro Priape furibus minare mutino.

Confecti ex varia materie varios in usus olim Phalli ex ligno *ficu* potissimùm, qui *ficulnei* sæpiùs appellati, ex *ebore*, ex *auro*. ex *serico*, & ex *lineo panno*, quibus Lesbiæ tribades abutebantur. Item ex *vitro*, qui *Phallovitrobolι*, aut *Phallevitrebeli* Capitolino, si mendax scriptura non est, dicuntur. Erant videlicet vitrea pocula in obscœnam pudendi figuram effigiata.

Unde Juvenalis Satir. 11.

Vitreo bibit ille Priapo.

Ubi Scholiastes: *In vitreum penem, quos appellant Drillopotas.* Pocillatorum icunculas manibus illos Priapos extollentium Pignorius Opere de Servis exhibet. Cæterùm non solùm per obscœnitates bibebant, ut ait Plinius, immò ipsas edebant obscœnitates Placentarum namque genus habuere in deliciis, pudendi quoque virilis speciem omninò referentium, & *Siligines* vocabantur *Priapi*. Sic Martialis edocet Epigramm. 69. lib. 14. Item placentæ fuere aliæ in muliebria inguina. *Gonsalvus de Salas.*

11. *Abegimusque.*] Ille Horatianus Priapus, si sciens fallit, imprecatur sibi hæc,

——— *Merdisque coinquiner albis Corvorum.* ———

Iccirco *μηνίσκοι* imponebantur statuis, ne ab avibus conspurcarentur. Aristophanes avibus:

Ἢν δὲ κρίνητε χαλκεύεσθε μηνίσκους φορεῖν
Ὥσπερ ἀνδριάντες. ὡς ὑμῶν ὃς ἂν μὴ μηνίσκον ἔχῃ,
Ὅταν ἔχητε χλανίδα λευκὴν, τότε μάλισθ' οὕτω δίκην
Δώσεθ' ἡμῖν πᾶσι τοῖς ὄρνισι κατατιλώμενοι.

Hi *μηνίσκοι* adhuc, hodieque in templis Christianorum imponuntur capitibus statuarum. Cujus tamen rei causam ignorantes pictores dum putant

Gravi, piâque lege noxiam lues.
Licet querare; nec tibi tener puer
Patebit ullus, imminente qui toro
Juvante verſet arte mobilem natem.
Puella nec jocoſa te levi manu
Fovebit, apprimetve lubricum femur.
Bidenſque amica Romuli ſenis memor
Paratur, inter atra cujus inguina
Latet, jacente pantice, abditus ſpecus,
Vagâque pelle tectus annuo gelu
Araneoſus obſidet forem ſitus.
Tibi hæc paratur, ut tuum ter, aut quater
Voret profunda foſſa lubricum caput.
Licebit æger angue lentior cubes,
Tereris uſque donec ah miſer miſer
Triplexque quadruplexque compleas ſpecum.
Superbia iſta proderit nihil, ſimul
Vagum ſonante merſeris caput luto.
Quid eſt, iners? Pigetne lentitudinis?
Licebit hoc inultus auferas ſemel.
Sed ille cùm redibit aureus puer,
Simul ſonante ſenſeris iter pede,
Rigente nervus excubet libidine,
Et inquietus inguina arrigat tumor;
Neque incitare ceſſet, uſque dum mihi
Venus jocoſa molle ruperit latus.

ANNOTATIONES.

honoris causâ imponi debere, non ſolùm non omnibus ſtatuis imponunt: ſed & imaginibus pictis adhibuerunt: quæ tamen illis opus non habent. *Scal.*

20. *Noxiam.*] Vide Notas in Petron.

25. *Bidens amica.*] *Bidentem amicam* vocitat, non quæ duos (id quod de ovibus dici ſolet) annos haberet modò, ſed quæ binos, non ampliùs, dentes in mortariolis, hoc eſt, in exarmatis ploxemi veteris gingïvis ſuperſtites retinuiſſet ſibi. *Douſa P.*

30. *Araneoſus.*] Feſtivè quoque ejus barathri *fores araneoſum ſitum obſidere* cavillatur. Quo loquendi genere uſus & Catullus, ubi inquit:

Vel pene languido ſenis ſituque araneoſo.

Eodem referri etiam poterit non incommodè Martialis illud:

Et araneorum caſſibus pares mammas. Idem.

VERSUS OBSCOENI
RESECTI
E PROPERTIO.

LIB. II. ELEG. IV. v. 18. & seq.

MULTA priùs dominæ delicta queraris oportet,
Sæpè roges aliquid, sæpè repulsus eas.
Et sæpè immeritos corrumpas dentibus ungues,
Et crepitum dubio suscitet ira pede.
Nequicquam perfusa meis unguenta capillis
ibat, & expenso planta morata gradu.
Non hîc herba valet, non hîc nocturna Citæis,
Non per Medeæ gramina cocta manus.
Quippe ubi nec causas, nec apertos cernimus ictus,
Unde tamen veniant tot mala cæca via est.
Non eget hic medicis, non lectis mollibus æger,
Huic nullum cœli tempus, & aura nocet.
Ambulat, & subitò mirantur funus amici;
Sic est incautum quicquid habetur amor.
Nam cui non ego sum fallaci præmia vati?
Quæ mea non decies somnia versat anus?
Hostis si quis erit nobis, amet ipse puellas,
Gaudeat in puero, si quis amicus erit.
Ttanquillo tutâ descendis flumine cymbâ.
Quid tibi tam parvi littoris unda nocet?

ANNOTATIONES.

18 *Gaudeat in puero.*] *Puerum* amet, ac potiatur amato.

19 *Tranquillo flumine.*] Per quietum flum n decorsum laberis tutâ naviculâ, & extra periculum naufragii. Apostrophe est ad quemlibet, ut Eleg 12.

Nonne putas miras hunc habuisse manus.

Et lib. 3. Eleg. 3.

Non est ingenii cymba gravanda tui.

20. *Quid tibi tam parvi.*] Metaphoris à re nautica desumptis in rebus suis amatoriis frequenter utitur Propertius Infra Eleg. 14.

Nunc ad te, mea lux, veniet mea littera navis
Servata; an mediis sidat onusta vadis?
Non ego veliferâ tumidum mare findo carinâ,
Tuta sub exiguo flumine nostra mora est.

Alter sæpè uno mutat præcordia verbo,
Altera vix ipso sanguine mollis erit.

ANNOTATIONES.

21. *Alter sæpè uno.*] Puer flectit mentem, animum, & sententiam ad lenitatem.

De puella tamen Tibullus:

Sed flecti poterit, mens est mutabilis illi.

22. *Altera vix ipso.*] Puella vix morte ipsâ mitescet. *Sanguis* hoc loco pro cæde & nece sumitur. Quàm facilè tamen flectatur puella exprimit Poëta Elegiâ proximè sequenti, ubi dicit:

Quàm facilè irati verbo mutantur amantes!

EX EODEM LIB. II. ELEG. XIV.

V. 11. & seq.

NON ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est,
Quum caderent magnæ Laomedontis opes;
Nec sic errore exacto lætatus Ulysses,
Quum tetigit caræ littora Dulichiæ.
Nec sic Electara salvum quum aspexit Oresten,
Cujus falsa tenens fleverat ossa soror.
Nec sic incolumem Minoïs Thesea vidit,
Dædaleum lino cum duce rexit iter:
Quanta ego præteritâ collegi gaudia nocte;
Immortalis ero, si altera talis erit.
At dum demissis supplex cervicibus ibam,
Dicebar sicco vilior esse lacu.
Nec mihi jam fastus opponere quærit iniquos,
Nec mihi ploranti lenta sedere potest.
Atque utinam non tam serò mihi nota fuisset
Conditio. Cineri nunc medicina datur.

ANNOTATIONES.

12. *Sicco vilior esse lacu.*] Eram contemptior eo *lacu*, qui ferè aridus nulli est usui. *Lacus* enim si perennem habet aquam, utilis est navigationi, piscibusque alendis. Si verò aret, quid contemptius, cum neque jumenta ex eo bibant, nec vestes in eo laventur?

13. *Nec mihi.*] Non amplius mihi adversatur ejus iniqua ac crudelis superbia,

Opponere.] Objicere amori meo. Sic Eleg. 5. lib. 2.

Quod si fortè tuis non est contraria votis.

14. *Nec mihi ploranti.*] Non potest non commoveri meo fletu, meisque precibus.

Lenta sedere potest.] Irata quæ est, nec audire vult amantem licet supplicem. Vide Annot. ad Eleg. 6. lib. 1. v. 12.

16. *Conditio.*] Pactio nimirùm hæc amoris fruendi. Sæpè etiam dicitur de conjugio; sed hic est *conditio* stupri.

Cineri nunc medicina. Proverbium est, quo demonstratur serotinam me-

Ante pedes cæcis lucebat ſemita nobis:
Scilicet inſano nemo in amore videt.
Hoc ſenſi prodeſſe magis. Contemnite amantes.
Sic hodie veniet, ſi qua negavit heri.
Pulſabant alii fruſtrà, dominamque vocabant;
Mecum habuit poſitum lenta puella caput.
Hæc mihi devictis potior victoria Parthis,
Hæc ſpolia, hæc reges, hæc mihi currus erunt.
Magna ego dona tuâ figam, Cytherea, columnâ,
Taleque ſub noſtro munere carmen erit:
Has pono ante tuam tibi, Diva, Propertius ædem
Exuvias totâ nocte receptus amans.
Nunc ad te, mea lux, veniat mea littora navis
Servata, an mediis ſidat onuſta vadis?
Quod ſi fortè aliquâ nobis mutabere culpâ,
Veſtibulum jaceam mortuus ante tuum.

ANNOTATIONES.

dicinam eſſe inefficacem. Fruſtra namque medicamentum adhibetur mortuo jam in *cineres* redacto.

18. *Scilicet inſano.*] Cæcus omnis amans, ſicut & Amor ipſe fingitur cæcus.

19. *Contemnite amantes.*] Fingite vos ſpernere puellas, quæ ipſæ vos ſpernunt, & par pari referte; tunc enim ultrò vos ipſæ petent. Ut ſuprà Eleg. 9.

Hic te etiam potitur, qui te prior ipſe reliquit.

Ovid. de Arte amandi lib. 1.

Quod refugit multa capiunt, odere quod inſtat.

Alii legunt, *contendite*, diverſâ ſententiâ, hoc eſt, enitendum eſſe ac perdurandum, quia obſequio tandem delinitæ puellæ cuncta concedunt.

20. *Sic hodie veniet.*] Seſe facilem tibi tandem præbebit, & fruendam hoc pacto, contemnendo nimirùm, vel contendendo.

21. *Pulſabant alii.*] Ille fruſtrà *pulſat* januam & fores, vel quatit feneſtras, quem amica non vult admitti. Sic Eleg. 5. lib. 4.

Janitor ad dantes vigilet, ſi pulſet inanis,
Surdus in obductam dormiat uſque ſeram.

22. *Mecum habuit poſitum.*] Honeſta periphraſis actûs inverecundi.

Lenta puella.] Opere nocturno feſſa ac languida.

29. *Veniet mea littora navis.*] Dum mihi venti ſunt in amore ſecundi, *navem meam* ad *littus* tuum appellam, tuoque fruar amore.

30. *Mediis ſidat onuſta vadis.*] Oneris gravitate depreſſa *ſubſidat*, deorſumque feratur, & hæreat *mediis* in brevibus obruta cumulis arenæ.

EX EODEM LIB. II. ELEG. XV.

v. 3. & ſeq.

O Me felicem, ô nox mihi candida, & ô tu
Lectule deliciis facte beate meis!

Propert. FFfff

Quàm multa appositâ narramus verba lucernâ?
Quantaque sublato lumine rixa fuit?
Nam modò nudatis mecum est luctata papillis;
Interdum tunicâ duxit operta moram.
Illa meos somno lassos patefecit ocellos.
Ore suo, & dixit, siccine lente jaces?
Quam vario amplexu mutamus brachia? quantum
Oscula sunt labris nostra morata tuis?
Non juvat in cæco Venerem committere motu.
Si nescis, oculi sunt in amore duces.
Ipse Paris nudâ fertur periisse Lacænâ,
Cum Menelaëo surgeret è thalamo.
Nudus & Endymion Phœbi cepisse sororem
Dicitur, & nudæ concubuisse Deæ.

ANNOTATIONES.

3. *Apposita lucerna.*] *Lucernam* illam accipe cubicularem, de qua Martialis in Apophor.

Lucerna dulcis lectuli conscia.

Ad *lucernas* etiam spectabantur meretriculæ, ut habet Horat. lib. 2. Sat. 7.

Narramus verba.] Blanditias dicimus amoris præludia, seu Veneris anticœnia, unde & Catullus:

Verbosâ gaudet Venus loquelâ.

De his blanditiis vide Ovid. Lib. 2. de Arte amandi sub finem.

4. *Sublato lumine rixa.*] Remotâ lucernâ magna fuit inter amantes non solùm amoris velitatio, sed & gravis pugna.

5. *Nudatis luctata papillis.*] Quemadmodum & dixit suprà Eleg. 1. hujus Libri.

Seu nuda erepto mecum luctatur amictu.

6. *Tunica duxit operta moram.*] Remorata est meam cupiditatem, moramque injecit operi.

Ovid. Lib. 1. Amor. Eleg. 5.

Ecce Corinna venit tunicâ velata recinctâ
Candida, &c.
Deripui tunicam, nec multùm rara nocebat,
Pugnabat tunicâ se tamen illa tegi.

7. *Patefecit ocellos ore.*] Significat osculo sibi amicam oculos aperuisse somno oppressos.

8. *Siccine lente jaces.*] Verba sunt puellæ Propertii sui lentitudinem ac inertiam increpantis.

10. *Oscula sunt labris.*] De osculis, variisque amplexibus eleganter Petron. *Jam pluribus osculis collisa labra crepitabant; jam implicitæ manus omne genus amoris invenerant; jam alligata mutuo ambitu corpora animarum quoque mixturam fecerant, &c.*

11. *In cæco Venerem corrumpere motu.*] *Motu*, qui fit in tenebris, deteriora facere gaudia Veneris. Non me juvat, inquit, concubitus ille tenebricosus, & ideo lucernam adesse cupio, ut oculos etiam pascam, *qui sunt in amore duces.*

13. *Paris nuda Lacæna.*] *Paris* Dearum judex fertur perditè Helenam Spartanam Menelaï uxorem adamasse, postquam eam *nudam* vidisset.

Lacæna.] Hoc est, Spartana; Lacedæmones enim *Lacæni* quoque, seu Spartani dicti sunt. Non de Helena, sed de Venere dixit Ovidius Lib. 1. de Arte amandi.

Luce Deas, cæloque Paris spectavit apertâ,
Cum dixit Veneri, vincis utramque Venus.

15. *Nudus & Endymion.*] Dicitur *Endymion* Lunam, quæ & Diana est, adamasse, à qua fingitur in Latmo monte Cariæ consopitus, ut cum dor-

Quod si pertendens animo vestita cubaris ;
Scissâ veste meas experiêre manus.
Quin etiam si me ulteriùs provexerit ira ;
Ostendes matri brachia læsa tuæ.
Necdum inclinatæ prohibent te ludere mammæ.
Viderit hoc, si quam jam peperisse pudet.
Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore,
Nox tibi longa venit, nec reditura dies.
Atque utinam hærentes sic nos vincire catenâ
Velles, ut nunquam solveret ulla dies.
Exemplo junctæ sic sint in amore columbæ ;
Masculus & tutum fœmina conjugium.
Errat, qui finem vesani quærit amoris,
Verus amor nullum quærit habere modum.
Terra priùs falso partu deludet arantes,
Et citiùs nigros sol agitabit equos :
Fluminaque ad caput incipient revocare liquores ;
Aridus & sicco gurgite piscis erit :
Quàm possim nostros aliò transferre calores.
Hujus ero vivus, mortuus hujus ero.
Quod mihi si tecum tales concedere noctes
Illa velit, vitæ longus & annus erit.
Si dabit hæc multas, fiam immortalis in illis.
Nocte unâ quivis vel Deus esse potest.
Qualem si cuncti vellent decurrere vitam,
Et pressi mulio membra jacere mero ;

ANNOTATIONES.

mientem deosculaterur ; cum eadem nuda *nudum* deinde concubuisse fabulantur.

20. *Ostendes matri.*] Sic apud Anacreontem ad matrem Venerem Cupido conqueritur ab apicula vulnus acceptum.

21. *Necdum inclinata mamma.*] Nondum propendentes, ut solent à partu. Lacte enim intumescunt *mammæ*, quo pòst exhausto, laxiores esse solent.

Ludere] Vel obscœnum est, vel saltem idem est, quod Gallicè *folastrer*, Græcè, *παίζειν*, vel *ἀφροδιάζειν*.

22. *Viderit.*] Illi curæ sit, cui partus & rugæ comites pudorem incutiunt.

23. *Oculos satiemus amore.*] Ad saturitatem usque pascamus *oculos*.

27. *Exemplo juncta sint columba.*] Imitare columbas, quid enim agendum sit in amore nos ipsæ docent, cum sese continuis osculis mutuò prosequuntur.

Ovid. Lib. 2. de Arte amandi.

Quæ modò pugnarunt, jungunt sua rostra columbæ,
Quarum blanditias, verbaque murmur habet.

Martial. Lib. 2. Epigram. 66.

Amplexa collum basioque tam longo
Blandita, quàm sunt nuptiæ columbarum.

28. *Masculus & tutum.*] Columbis ignota sunt adulteria ; conjugii fidem non violant, servant domum ; nisi cælebs aut vidua domum relinquit, & imperiosos mares subinde etiam iniquos fœminæ ferunt.

Non ferrum crudele esset, neque bellica navis,
  Nec nostra Actiacum verteret ossa mare.
Nec toties propriis circum oppugnata triumphis
  Lassa foret crines solvere Roma suos.
Hæc certè meritò poterunt laudare minores.
  Læserunt nullos pocula nostra Deos.
Tu modò, dum licet, hunc fructum ne desere vitæ,
  Omnia si dederis oscula, pauca dabis.
Ac veluti folia arentes liquêre corollas,
  Quæ passim calathis strata natare vides;
Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,
  Forsitan includet crastina fata dies.

EX EODEM LIB. II. ELEG. XXII. v. 23. & seq.

SCIS here mi multas pariter placuisse puellas,
  Scis mihi, Demophoon, multa venire mala.
Nulla meis frustrà lustrantur compita plantis:
  O nimis exitio nata theatra meo!
Sive aliquis molli deducit candida gestu
  Brachia, seu varios incinit ore modos.
Intereà nostri quærunt sibi vulnus ocelli,
  Candida non tecto pectore si qua sedet.
Sive vagi crines puris in frontibus errant,
  Indica quos medio vertice gemma tenet.
Quæ si fortè aliquid vultu mihi dura negavit,
  Frigida de tota fronte cadebat aqua.
Quæris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnes?
  Quod quæris, quare non habet ullus amor?
Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris?
  Et Phrygis insanos cæditur ad numeros?
Unicuique dedit vitium natura creato:
  Mi fortuna aliquid semper amare dedit.
Me licet & Thamyræ cantoris fata sequantur,
  Nunquam ad formosas, invide, cæcus ero.
Sed, tibi si exiles videar tenuatus in arcus,
  Falleris. Haud unquam est culta labore Venus.
Percontere licet. Sæpè est experta puella
  Officium totâ nocte valere meum.
Jupiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos,
  Et cœlum noctu bis sine rege fuit.

ANNOTATIO.

25. *Jupiter Alcmenæ geminas Arctos*] *Jupiter* cum *Alcmena* cubans duas noctes simul conjunxit, ut ipsius diutiùs amore & amplexibus frueretur; inde

Nec tamen idcircò languens ad fulmina venit.
  Nullus amor vires eripit ipse suas.
Quid? Quum è complexu Briseïdos iret Achilles,
  Num fugêre minus Thessala tela Phryges?
Quid? Ferus Andromachæ lecto quum surgeret Hector,
  Bella Mycenææ non timuere rates?
Ille vel hic classes poterat, vel perdere muros.
  Hic ego, Pelides, hic ferus Hector ego.
Aspice uti cœlo modò sol, modò luna ministret:
  Sic etiam nobis una puella parum est.
Altera me cupidis teneat, foveatque lacertis,
  Altera si quando non sinit esse locum.
Aut si fortè irata meo sit facta ministro,
  Ut sciat esse aliam, quæ velit esse mea.
Nam meliùs duo defendunt retinacula navem,
  Tutiùs & geminos anxia mater alit.
Aut si es dura, nega: sin es non dura, venito.
  Quid juvat in nullo pondere verba loqui?
Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,
  Speranti subitò si qua venire negat.
Quanta illum toto versant suspiria lecto,
  Quum recipi, quem non noverit illa, vetat.
Et rursum puerum quærendo audita fatigat,
  Quem quæ scire timet, quærere plura jubet.

ANNOTATIONES.

tamen non est factus languidior ad vibranda fulmina, quia nimirùm amor supeditat vires, non eripit.

29. *E complexu Briseidos.*] Nec Achilles, inquit, à concubitu *Briseidos* debilior veniebat in certamen adversus Troianos

30. *Thessala tela.*] Achillea, quia nimirùm Achilles *Thessalus* fuit.

31. *Andromacha lecto cum surgeret Hector.*] Nec etiam *Hector* hebetior segniorque ab amplexu uxoris *Andromacha* Græcorum classem invadebat.

34. *Hic ego Pelides, hic ferus Hector.*] In amore, rebusque Venereis, non minùs se robustum esse gloriatur, quàm *Achilles & Hector* fuerunt. Sic etiam Tibull. Eleg. 1. lib. 1.

Hic ego dux, milesque bonus, &c.

35. *Aspice uti cœlo sol* Exemplo probat duabus saltem opus esse sibi puellis; ut si forsan ab altera excludatur, admittatur ab altera.

42. *Tutius & geminos.*] Sicut mater minori sollicitudine & anxietate afficitur, quæ duos habet filios, quàm illa cui tantùm unicus est filius; ita ego, inquit Poëta, *tutiùs* duas amo puellas, quàm unam, securiusque duabus operam impendo, quàm uni.

43. *Aut si es dura, nega.* Pars beneficii accepti videtur esse, si citò *neges* juxta illud:

Diligo præstantem, non odi, Cinna, negantem.

45. *Hic unus dolor est.*] Illa enim puella miserè torquet amantem, quæ nec negat, sed cunctatione suspendit.

49. *Puerum quærendo audita fatigat.*] Servulum iterum iterumque percontando, qui eam *audiit*, obtundit, enecat, miserum habet, vexat ac cruciat. Juxta illud Horatii Epod 14. Od.

Occidis sæpè rogando.

EX LIB. IV. ELEG. V. à v. 33. ad verſum 53.

Denique ubi amplexu Venerem promiſeris empto,
Fac ſimules puros Iſidis eſſe dies.
Ingerat Apriles Iole tibi: tundat Amycle,
Natalem Maiis Idibus eſſe tuum.
Supplex ille ſedet; poſitâ tu ſcribe cathedrâ
Quidlibet: has artes ſi pavet ille, tenes.
Semper habe morſus circa tua colla recentes,
Litibus alternis quos putet eſſe datos.
Non te Medeæ delectent probra ſequacis,
Nempe tulit faſtus auſa rogare prior:
Sed potiùs mundi Thais pretioſa Menandri,
Quum ferit aſtutos comica mœcha Getas.

ANNOTATIONES.

33. *Amplexu empto.*] Gaudiis vel muneribus, vel pecuniâ mercatis.

34. *Puros Iſidis dies.*] Finge te operatam Sacris *Iſidis*, ac ſecubare. *Puri dies* dicuntur *Iſidis*, hoc eſt, caſti, pudici, ſancti, religioſi: quòd per hos, ut & certis quibuſdam rebus, ita & Venere abſtinendum eſſet: tunc enim cum fœminæ Sacris *Iſidis* ac Veneris operam dabant, à viris ſecubabant. Tibull Eleg. 1. lib. 2.

Vos quoque abeſſe procul jubeo, diſcedite ab aris.
Queis tulit heſternâ gaudia nocte Venus.

35. *Ingerat Apriles. Iole, tibi.*] Lena docet artes, quibus puella ab amatoribus munera ſolerter extorqueat. Fac, inquit, ut *Iole*, & Amycle, quæ ſunt ancillarum nomina, ſæpiùs ingerant tibi, recolantque Calendas *Apriles*, tuumque diem natalem Idus eſſe Maias, quia nimirùm diebus illis munera mitti ſolebant.

Unde Virgil.

Munera mitte mihi, meus eſt natalis, Iola.

Idibus etiam Maiis natus dicitur Mercurius.

Martial.

Maia Mercurium creaſtis Idus.

Mirum eſt à Propertio hoc in loco fuiſſe præteritas ſilentio Calendas Martias, quæ Juvenali dicuntur fœmineæ.

Munera fœmineis tractas ſecreta Calendis.

Ovid lib. 1. de Arte amandi.

Sive dies ſuberit natalis, ſive Calenda
Quas Venerem Marti continuaſſe juvat.

39. *Semper habe morſus.*] Livores intelligit, quos mordicus impreſſerit amator. Sic etiam Ovid.

Ille viri videat toto veſtigia lecto,
Factaque laſcivis livida colla notis.

41. *Medea probra ſequacis.*] Noli, inquit, convicta, maledictaque probroſa jactare in amatorem, quibus libidine furens *Medea* uſa eſt in Jaſonem, ſed potius adhibe blanda verba, quibus Thaïs à Mænandro celebrata, ad ſervos amatorum mitigandos, utebatur. Vel ſenſus eſt: noli tu prior rogare amatorem, ut fecit *Medea*, quæ priùs eſt Jaſonis amore ſuccenſa, quàm ipſe de illa amanda cogitaret: unde meruit per contemptum a Jaſone repudiari.

43. *Thais pretioſa.*] De *Thaide* meretrice Athenienſi ſuprà dictum eſt. Dicitur autem *pretioſa*, quia grande pretium exigebat ab amatoribus

44. *Comica mœcha.*] Dicitur, quæ in comœdiis inducitur.

Ferit aſtutos Getas.] Deludit, emun-

In mores te verte viri, si cantica jactat,
I comes, & voces ebria junge tuas.
Janitor ad dantes vigilet: si pulset inanis,
Surdus in obductam somniet usque seram.
Nec tibi displiceat miles non factus amori,
Nauta nec, attrita si ferat æra manu:
Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
Cælati medio quum saliere foro.

ANNOTATIONES.

git, malo dolo & damno afficit versutos *Getas*. hoc est, servos, ut dicitur Eleg. 3. lib. 3.

Qui volet austeres arte ferire viros,

Geta porrò & *Davus* apud Comicos nomina sunt servorum. ut *Lydus*, & *Syrus*. qui ita dicebantur à nominibus populorum, ex quibus erant oriundi; ut testatur etiam Strabo lib. 7. Donatus in Adelph. *Infidelis servus in Comœdiis vel Syrus. vel Geta.*

45. *In mores te verte viri.*] Gere morem amatori. *Morum* enim similitudo, ac morigeratio conciliat amorem

47. *Janitor ad dantes vigilet.*] *Janitor* excubet ac paratus sit fores aperire *dantibus*, & quibus manus fœcundior ac gravior fiet: ut ait Plautus. Si verò quis inanis, cui manus sunt steriles, qui nihil affert, fores pulset; tunc idem *janitor* occlusâ semper serâ, foribusque obstructis dormiat. Tibullus Eleg. 5. lib. 1.

Heu canimus frustrà, nec verbis victa patescit
Janua, sed plenâ (nummis) *est percutienda manu.*

Unde & illa apud Plaut. in Pseud. Act. 1. Scen. 3. *Nihil te mei miseret? Inanis accedis? Nihilne te pudet? Te amatorem inventum esse inanem. quasi cassam nucem?*

49. *Nec tibi displiceat miles.*] Præcepta sunt infamis lenæ, quæ puellam docet neminem à se excludendum esse, quicumque ille sit, qui stipem. aut æs. seu pretium afferat, etiamsi sit nauta, *miles*, vel etiam gladiator, servus, ac mancipium, cui pendeat è collo titulus regionis, artis, & pretii.

52. *Cum medio saltare foro.*] Mancipia, dum venalia prostarent, in *foro saltare* ac discurrere circum turbam solebant, ut qui, qualesque essent, cognoscerentur.

EX EODEM LIB. IV. ELEG. IX.
à versu 9. ad 11.

His ego constitui noctem lenire vocatis,
Et Venere ignotâ furta novare mea.
Unus erat tribus in secretâ lectulus herbâ.
Quæris concubitus? Inter utramque fui.

ANNOTATIONES.

8. *Venere ignotâ.*] Amore & amplexu nondum experto, & insolito, illis scilicet scortis, noctem minùs asperam reddere, sed hilariùs traducere cupiebat Propertius.

Furta novare.] Adulteria, scortationesque instaurare; quod etiam Tibullus sibi non fuisse insolens, nec displicuisse testatur.

Nota Venus furtiva mihi est.

FINIS.

INDEX

INDEX

VOCABULORUM OMNIUM, QUÆ IN PROPERTII ELEGIIS LEGUNTUR.

Numerus prior Librum, posterior verò Elegiam designat.

A.

atque

C

carpere

corpus

D

E.

equis

esse mea maluit quàm. 1: 8 |
esse suam invitam cogeret. 1: 5 |
esse fidem senserit. 2: 17 |
esse locum non sinat. 2: 22 |
esse noluit rudes. 2: 6 |
esse velis. 2: 17 |
esse bonæ non temere. 2: 21 |
esse virum in tunica. 2: 6 |
esse tumulum capiti. 2: 27 |
esse Deos non putat. 2: 29 |
esse miser pro te deneget. 2: 24 |
esse putaret amor. 3: 24 |
esse senem sic juvat. 4: 12 |
esse parat noverca. 4: 5 |
esse Maiis Idibus natalem tuum. 4: 5 |
esse satis una mora. 4: 4 |
conspices esse Tati. 4: 4 |
esse lupam altricem pudet. 4: 1 |
esse moras temporis. 4: 3 |
esse loquax quilibet poterat 3: 25 |
esse jugum bene conveniens non sinis. 3: 25 |
esse intra fortunam tuam. 3: 9 |
esse juvat securos. 3: 11 |
esse iram non fraudes in amore meo. 3: 6 |
esse licebit. 2: 34 |
esse putas. 2: 29 |
esse potest verior. 2: 29 |
esse debuit secta via animi. 3: 5 |
esse sine vano debet nuncius. 3: 5 |
esse preces præsentes viderit. 2: 30 |
esse diem post cineres augurer. 3: 1 |
esse potest timor. 3: 5 |
esse potes timor audaci. 3: 7 |
esse suæ ad istus. 3: 14 |
esse in partes. 3: 9 |
esse factum credidit. 4: 2 |
esse velim semper pallidus. 3: 8 |
esse virum sumpta toga. 4: 2 |
esse meus si potes. 4: 2 |
esse cœpit dis primus 4: 4 |
esse puros Isidis dies 4: 5 |
esse datos litibus alternis. 4: 5 |
esse tuo Phœbo fertilis Bacche soles. 4: 6 |
ausas esse scelus magnum. 4: 7 |
esse metu melior. 4: 11 |
esse tuum onus cœpit 4: 12 |
esse meos cineres duxerit. 4: 12 |
esse fide in meis libris. 4: 1 |
esseda Britanna jugis cælata. 4: 1 |
esseda te deportant Tibur. 2: 32 |
essem ego, quod nunc tu. 2: 25 |
essem militiæ tuæ sarcina 4: 3 |
essent venales ad munus amicæ. 2: 16 |
quod esses, esse putaret amor 3. 24 |
esses mihi carinæ. 3: 14 |
esses Ionii facta puella maris 2: 26 |
esset ferrum crudele. 2: 15 |
esset facta tibi copia. 1: 9 |
esset nemo dives Romæ. 2: 16 |
esset Pelion iter cœli. 2: 1 |
est ventorum quodcumque paras. 3: 7 |
est fuscina sumpta Deo. 3: 7 |
est tibi mater in ore. 3: 7 |
est cum tali flumine. 3: 3 |
est ingenii cymba tui. 3: 3 |
est secura virum ignotorum. 2: 34 |
est minus de me. 2: 31 |
est nox consumpta lusu. 2: 32 |
est Dea invidiosa. 2: 28 |
est salva puella per magnum Jovem. 2: 28 |
est vobiscum Iope. 2: 28 |
est fortuna perennis. 2: 28 |
est nulla fuga. 2: 30 |
est exorabilis ille Deus. 2: 30 |
est locus hic in quo. 2: 30 |
est combustus Io et Semele. 2: 30 |
est viva reducta domum. 2: 32 |
est satis Ægyptus. 2: 33 |
est noctes operata Deo. 2: 33 |
est longa Roma petita via. 2: 33 |
est invidiosa minus. 2: 32 |
est inter lucos Teia. 4: 9 |
est ausa rogare. 4: 7 |
est Calliope digna. 4: 6 |
est Phœbi portus. 4: 6 |
est satis posse. 4: 2 |
est jacta mihi anchora. 3: 24
est aspicienda via cœli. 4: 1 |
est gloria Lysippo. 3: 9 |
est ista tuæ fiducia formæ. 3: 24 |
est tibi forma potens. 3: 20 |
est locuta de facie mea. 4: 7 |
est quod ferar. 3: 9 |
est minus cum ducitur annus. 3: 15 |
est mala, sed cunctis ista terenda via est. 3: 17 |
est lubrica tota via. 4: 4 |
si est fa. 3: 12 |
est nulla poscendi, nulla est reverentia dantis. 3: 13 |
est color toties collatus Eoo. 3: 24 |
est nostro parvus in ore sonus. 4: 1 |
est etiam aurigæ species. 4: 2 |
est data palma meis libris. 4: 1 |
est mihi grata vox. 4: 3 |
est visa incumbere fulcro. 4: 7 |
est elata capillos. 4: 7 |
cui est nomen ab usu. 4: 7 |
nam est partita sedes. 4: 7 |
est ætas mutata. 4: 12 |
est tota sine crimine. 4: 12 |
est hæc merces triumphi. 4: 12 |
est detractum. 4: 12 |
est perorata causa. 4: 12 |
est facta via. 3: 13 |
est neque odoratæ. 3: 14 |
est una tantum causa. 2: 34 |
est nihil durius amante. 2: 17 |
est clusa Calypso. 2: 21 |
est Cæsaris gloria. 2: 16 |
est passa jacere domo. 2: 18 |
est parum una puella. 2: 22 |
est his vitiis ventum ad prœlis. 2: 6 |
est hoc mihi jus. 2: 20 |
est Græcia tracta salo. 3: 7 |
est fallacia lunæ. 1: 1 |
est visus cinis Nestoris. 2: 13 |
est tangere caput. 2: 10 |
est. 2: 22 |
est perpessus vincla vates Melampus. 2: 3 |
est in amore rota. 2: 8 |
est semita facta solo. 3: 3 |
est aurigæ species. 4: 2 |
est notior Helena. 2: 34 |
est nunc ira recens. 2: 5 |
est nunc tempus discedendi. 2: 5 |
est questa redire dies. 2: 18 |
est ejecta. 2: 21 |
si est pudor. 1: 4 |
est magna gloria tua.

F.

fidem

G

H.

hæc

I.

in canes

L

VOCABULORUM.

lenta

M.

meum

N.

O.

P.

Parthum

Promethei

R.

S.

INDEX

ſigna

T.

tenui

V.

INDEX

INDEX

X.

Z.

FINIS.